DE REGIMINE MAGNORUM AUXILIORUM IN CURATIONIBUS MORBORUM...

Omobono Pisoni

Digitized by Google

Cl III
Rg
Pis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE REGIMINE MAGNORUM AUXILIORUM

In Curationibus Morborum

DISSERTATIONES QUATUOR.

DE OFFENSIONIBUS MEDICI OPEROSI

DISSERTATIO SINGULARIS,

AUCTORE

HOMOBONO PISONE

CREMONENSI

In Academia Patavina Medicinæ Practicæ Profeſſore.



PATAVII, MDCCXXXV.

Typis Joannis Baptiſtæ Conzatti.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNI PETRO PASCHALICO
MICHAELI MAUROCENO
EQUITI
LAURENTIO THEUPULO
EQUITI, ET D. MARCI PROCURATORI
REI LITTERARIÆ PRÆSIDIBUS,
CETERISQUE EJUSDEM ORDINIS VIRIS SPECTATISSIMIS

HOMOBONUS PISO
F.

Quandoquidem, Ampliſſimi SENATORES, *ex Patria inſtituto, Veſtraque Indolis excellentia ſtudioſam Juventutem optimis artibus inſtrui ſumma ope nitimini, mihi dubitandum non fuit, quin haſce meas lucubrationes Tironum profectui Vobis opta-*

optatiſſimo elaboratas æquali benignitate excepturi eſſetis, Veſtroque fauſtiſſimo Patrocinio aucturi. Medicam praxim artis univerſæ ſcopum favorabili Veſtro juſſu annos triginta ſeptem in Gymnaſio excolui, eamque diuturna conſuetudine, fructus ubertate, & majore cum vero ſimilitudine mihi cariorem typis etiam excolendam ſuſcepi, inſtillandamque Juventuti. Alteram hujus generalem partem ante paucos annos publici juris feci, alteram in præſens facio, complexam grandium auxiliorum rectam adminiſtrationem in morbis: unde latior, fertiliorque patet ſcribendi campus, quam ex conquiſitis illecebris novarum opinionum, nihil opportunis ad artis adjutricis incrementum. Quemadmodum enim navis rector, ſive veteri rudique indutus veſte, ſive nova eleganterque concinnata ad gubernaculum movendum accedat, peritius non movet; item Medicus beneficentior non adſiſtit ægroto, ſive veteris Phyſicæ, & Medicinæ inſtructione, ſive novitatibus ſparſa morbum meditetur. Itaque non gloriæ inventoris, & novatoris ſitiens, ſed utilitatis ægrotantium, erudiendæque juventæ, animum appuli ad eam Medicinæ partem, quæ neque rerum vetuſtarum cariem, neque novarum inſtabilitatem, viceſque patietur, & tota erogatur in excutienda remedia ſenſuum judicio expoſita, uſuque quotidiano celebrata. Extant

tant

Digitized by Google

tant quidem de eodem argumento antiqua & nupera monumenta, ſed illorum prolixitas, & diſtractio in varias Galeni interpretationes Tironibus negotium faceſſunt; aliorum doctrina non admodum conducibilis eſt, contracta quidem & libera litigiis verborum, ſed fere minus exacta ad leges ſectæ Rationalis proximiorque Empiricæ. Quocirca ex utriſque facta utiliorum collectione, demptis impedimentis, additiſque, quæ deſiderari judicavi, diffiſus minime ſum, exiturum opus eſſe, & Tironibus fructuoſum paratumque, nec alteris nauſeam crambes recoctæ pariturum: quo nomine contendi, omnia clare, diſtribute, ſimplici incompoſitoque ſermone explanare, qualem optat Seneca[a] *in oratione dante operam veritati. Illud quoque ad communem utilitatem permagni intereſſe exiſtimavi, ſi veriſſimam Valeſii ſententiam, Calamitoſius eſſe ægrotis, incidere in Medicum neſcium quieſcendi, quam agendi, in uberiore lumine collocarem; idque conſecuturus poſt expoſitum regimen magnorum auxiliorum in morbis curandis, obtendi gravem multiplicitatem occaſionum errandi in Medicina, & fallaciam remediorum, præclaram rationem, cur Noſtri acrius penſitent agendi momenta, evadantque parciores incertorum.*

Habetis, Sapientiſſimi TRIUMVIRI, quo men-

(a) Epiſt. 4.

mentem meam intenderim in hoc opere emittendo, rara quidem & ſingulari ſupellectile vacuo, non autem ſedulitate, & ſollertia, quam potui, majore; qua mihi demandatum munus tradendæ praxeos executus ſum, & conatus Veſtris beneficiis quadantenus reſpondere, gnarus me plane & in totum non poſſe. Eadem in præſens mihi mens eſt, idemque in ſenectutis meæ imbecillitate contendo; nec unquam contentionem ſponte remittam, Veſtra benificentia excitatus fretuſque; qua meam præteritam ætatem large foviſtis, & futuram egentiorem fovendam ſpero. Pluſquam dimidium vitæ ſpatium exegi Patavii ſub hoc cælo naturæ favore, & afflatu clementiæ Veſtræ ſaluberrimo; nec unquam mihi vita in votis fuit, niſi quo tempore incœpi hunc ſpiritum ducere, veſtra jura capeſſere, & Sereniſſimo Imperio ſubditus eſſe, imo quodammodo ad partem Imperii admiſſus. Vera ſiquidem libertas eſt, & quoddam genus Imperii iis legibus obtemperare, quibus dominus & ſubditus obtemperant, ut par ſit utriuſque conditio, imo ſubditi melior; qui vacuus pondere, curiſque regiminis eadem tranquillitate, & libertate donatur; nec aliud onus ſibi impoſitum ſentit, niſi quod ipſe ſibi imponeret, ſi dominus eſſet ad tuendam publicam ſocietatem, ad quam natura inducti ſumus, inſtitutique. Amore erga nos, quo naſcimur,

mur, & cupiditate noſtræ conſervationis, animadverſione Tullii[a]*, ferimur omnes ad ſocietatem & communicationem utilitatum, ſine qua, neque ingenitum amorem alere poſſumus, neque conſervationis deſiderium explere. Ergo liber eſt, parque propemodum imperanti, qui parendo ſuæ naturæ jura ſervat, eamdemque ſubit parendi neceſſitatem, quam imperans ipſe; præterea eximitur omni oneri a communis conjunctionis cuſtodia non poſtulato. Quanta vero lenitate, & convenientia cum humana natura ad libertatem nata ipſa imperandi ratio temperetur, ingens ubique Venetæ regionis populi numerus, amor, obſequium, alacritas, & felicitas præclare teſtantur. Si enim, uti viſum eſt Tullio, qui bene imperat, aliquando paruerit neceſſum eſt, an non jucundiſſimum rectiſſimumque erit imperium ea duntaxat jubentium, quibus pariter ipſi obediant? Hanc optatiſſimam conditionem cum univerſis Venetæ Ditionis communem cumulat omnibus numeris expleta benignitas, & liberalitas, qua ex publico conſenſu Litterarum Cultores Patavino Lyceo adſcitos, Providentiſſimi ejuſdem Moderatores, complectimini, efficitiſque, ut cum magna vitæ honeſtate parem jucunditatem conjungant. O munificentiam optime collocatam, veraque gloriȩ feracem! Habemus ex Tullio*[b]*, prin-*

(a) Lib. 5. de fin. (b) Lib. 2. de fin.

cipale honeſtorum, & laudabilium in ſcientiis poſitum eſſe; ideoque Principi in amore litterarum flagrantiſſimo, iiſque excolendis, promovendiſque liberaliſſime dedito nihil ad ſummam honeſtatem, laudemque deeſſe poſſe. Cum autem ab honeſtate nunquàm utilitas ſeparetur, uti Socrates apud Tullium definit[a]*, illa hercle uberrima manat in principatum ab excultis, provectiſque ſcientiis, Sapientiæ altricibus, in quarum uſu maximum præſidium ad regna beanda Plato collocavit. Hac rectiſſima mente, intentaque ſcientiarum, & ſapientiæ cultui, nulla temporum iniquitate, nulla rerum mutatione interrupto intermiſſoque Publicus veſter Dominatus fulcitur, & iccirco ceteris ætate major, æqualiſque futurus, ſic animo præſentiente, totius orbis ætati. Nutant imperia, atque internis, vel externis ictibus concuſſa tandem diruuntur; quorum fulcimentum totum eſt in metu populorum, non amore, in ſeveritate legum, non æquitate, in vi, aſtuque Moderantium, non probitate, & lenitate, in robore, & licentia militari, onerandiſque vectigalibus, non in animorum ornatu, augendiſque ſingulorum fortunis. An non igitur de veſtra Reipublicæ perpetuitate jure ſperandum erit? in qua nihil violentum eſt, nihil improvida feſtinatione deliberatum, nihil contra æquitatem, hu-*

(a) Lib. 3. de off. cap. 3.

humanitatem, fidem, & conſtantiam, ſed omnia comparata ad Suos fortunandos, Externos alliciendos, pacemque tuendam: quam non ſine divino afflatu Majores veſtri pro votorum, & curarum ſumma ſibi deſignarunt. Urbem itaque veſtram opere plus quam humano conditam, imperiumque ſub fauſtiſſimis auſpiciis Pacis tamdiu Superi conſervabunt, quamdiu pacis erunt immutabiles amatores protectoreſque. Hoc intentiſſimo pacis ſtudio in Vobis ceteriſque Patriciis fovetur æqualis amor, & cura optimarum artium, ut externa paci pax animorum ex cognito vero proficiſcens adjungeretur, hiſque copulatis nihil ſupereſſet optandum ad cumulum tranquillitatis humanæ. Quam ſapienter igitur Auguſtus Senatus adeo proluxus eſt in Patavina Academia, florentiſſima omnium ſcientiarum ſede, conſervanda, amplificandaque, Voſque, Viri Summi, moderandæ præficit! nempe qui aut ſupremis legationibus, aut graviſſimis magiſtratibus obitis, magnificentiæ, vigilantiæ, conſilii, æquitatis, probitatiſque ſingulari facto periculo longe plurimum eminetis. Vobis de Patria optime meritis, id regimen ceterorum princeps decernit, Voſque non rerum caducarum & fortuitarum, ſed immortalium Patronos conſtituit, exhibetque luculentiſſimum teſtimonium, quam ample magnificeque de Vobis ſentiat. Valde ſapien-

tis eſt documento Tullii[a], *judicare de Sapiente; ideoque videtis, quanto in pretio Patrum prudentia veſtras perſpectas virtutes habeat, quibus de re litteraria, Sapientia robur, ut ait Tullius*[b], *fovente, judicium, & tutelam committit. Hæc dum commemoro, veſtramque conſultiſſimam rationem regendæ Academiæ mihi tot annos compertam mente revolvo, gravem acciperem dolorem, mihi vires defuiſſe ad Publicæ Majeſtati pro dignitate reſpondendum, niſi veſtra beneficentia in me pluries effuſa me confirmaret, meamque ſenectutem ſolaretur. Ad hanc igitur perductus hoc tenui ſtudiorum meorum monumento, quibus ope veſtra vacare potui, Vobis reverentiſſime oblato, extrema prævenio, animique contentione, quam poſſum maxima, precor a Deo Optimo Maximo affluentiam omnium proſperitatum, Patriæque Veſtræ beatiſſimam perennitatem, Vobis omni privata felicitate potiorem, cariorem que.*

(*a*) Lib. 2. de Nat. Deor. (*b*) In Part. Orat.

INDEX CAPITUM

DISSERTATIONIS PRIMÆ.

Cap. I. *De venæ ſectionis effectibus primariis, & ſecundariis.* Pag. 1
Cap. II. *Sola quantitas ſuperflua, & infeſta indicans eſt venæ ſectionis, ut evacuantis.* 14
Cap. III. *An liceat venam in cacochymia evacuationis gratia reſignare.* 24
Cap. IV. *De Indicante Phlebotomiæ ut revellentis, & derivantis.* 35
Cap. V. *Expenditur celebre præceptum Hippocratis de vena præcidenda.* 41
Cap. VI. *De impedimentis venæ ſectionis acceptis a rebus naturalibus, & primo a viribus.* 45 *De impedimentis venæ ſectionis acceptis ab aliis rebus naturalibus.* 51
Cap. VII. *De impedimentis venæ ſectionis acceptis ex rebus non naturalibus.* 62
Cap. VIII. *De impedimentis venæ ſectionis acceptis ex humorum vitio.* 77
Cap. IX. *De impedimentis venæ ſectionis acceptis a morbis.* 96
Cap. X. *De impedimentis venæ ſectionis acceptis ab ſymptomatis.* 110

DISSERTATIONIS SECUNDÆ.

Cap. I. *De Purgatione, & Medicamento purgante.* 119
Cap. II. *De indicante purgationis inferioris.* 131
Cap. III. *De comparatione purgationis cum venæ ſectione.* 133

Cap.

Cap.IV. *De impedimentis inferioris purgationis acceptis a rebus naturalibus.* 139
Cap.V. *De impedimentis purgationis inferioris acceptis a rebus non naturalibus.* 147
Cap.VI. *De impedimentis purgationis inferioris acceptis a rebus præter naturam, & primum ab ipſo humore purgando.* 151
Cap.VII. *De humoribus non coctibilibus, aut coctione non indigentibus.* 162
Cap.VIII. *De humoribus motis ad ambitum corporis, & in eo ſubſiſtentibus.* 166
Cap.IX. *De impedimentis infernæ purgationis acceptis a morbis, & ſymptomatis.* 173
Cap.X. *De Vomitu, ejuſque indicante.* 185
Cap.XI. *Utrum vomitio, an dejectio ſit præſtantior evacuatio.* 192
Cap.XII. *De impedimentis vomitionis.* 197

DISSERTATIONIS TERTIÆ.

Cap.I. *DE Sudore, ejuſque cauſſis, & viis.* 208
Cap.II. *De inſtrumentis eliciendi ſudoris.* 214
Cap.III. *De Indicantibus Sudoris.* 219
Cap.IV. *De impedimentis provocandi Sudoris acceptis ab rebus naturalibus, & non naturalibus.* 225
Cap.V. *De impedimentis Sudoris ab affectionibus præter naturam acceptis.* 231
Cap.VI. *An evacuanda per ſudorem coqui debeant.* 242

DISSERTATIONIS QUARTÆ.

Cap.I. *DE uſu Hydrargyri ad excitandam ſalivam.* 247
Cap.II. *An peculiares humores per os Hydrargyrum evacuet.* 258
Cap.III. *Oſtenditur, Hydrargyrum ad ſalivandum remedium*

eſſe

eſſe conſentaneum Dogmaticæ Medicinæ. 264
Cap. IV. *De Indicante Salivationis per Hydrargyrum.* 271
Cap. V. *De impedimentis provocandæ ſalivæ per Hydrargyrum acceptis a rebus naturalibus, & non naturalibus.* 280
Cap. VI. *De impedimentis ducendæ ſalivæ per Hydrargyrum acceptis a rebus præter naturam.* 290
Cap. VII. *De præparatione corporis Hydrargyro perducendi ad ſalivationem.* 301
Cap. VIII. *De indicationibus generalibus occurrendi Hydrargyri noxis.* 305
Cap. IX. *Utrum præſtet præbere Hydrargyrum ad provocandam ſalivam, an alvum miſtura purgantium.* 318

INDEX CAPITUM DISSERTATIONIS
De Offenſionibus Medici Operoſi.

Cap. I. *DE internis occaſionibus errandi in Medicina.* 331
Cap. II. *Expenduntur ſigna dominantis in corpore humoris morbidi tradita ab Sanctorio tamquam demonſtrativa.* 349
Cap. III. *De cauſſis externis errandi in Medicina.* 376
Cap. IV. *Oſtenditur, quam in lubrico verſetur frequentator venæ ſectionis in febribus.* 385
Cap. V. *Expenduntur argumenta venæ ſecandæ in febribus propoſita ab Joanne Freind tanquam evidentia.* 413
Cap. VI. *Expenditur frequentia venæ ſectionis in inflammationibus internis.* 423
Cap. VII. *Oſtenditur, quam in lubrico verſetur purgationis frequentator in febribus.* 441
Cap. VIII. *Expenditur frequentatio expurgationis in morbis longis.* 460

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato *De Moderamine Magnorum Auxiliorum lib. 8, De Offenſionibus Medici actuoſi lib. 3. Auctore Homobono Piſone Cremonenſi &c.* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Conzatti Stampatore in Padova, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 10 Febraro 1732.

(Gio: Franceſco Moroſini K. Rif.
(
(Pietro Grimani K. Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segret.

DE

DE REGIMINE MAGNORUM AUXILIORUM In Curationibus Morborum

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De venæ ſectionis effectibus primariis, & ſecundariis.

ADmonitus a Seneca, quæcunque ſalutaria ſunt; ſæpe agitari debere, ſæpe verſari; ut non tantum nota ſint nobis, ſed etiam parata, deterritus minime ſum ab ſcribendo vetera, & pluries tractata, ſed ſaluberrima; quamvis in præſens antiquæ doctrinæ ſatietas plurimorum animos occupet, ſola vellicet alliciatque novitatum prurigo; longe retroque relictis Priſcorum veſtigiis magna cum utilitate tandiu preſſis. Illud etiam me confirmavit adverſus Novatorum Genium, & Antiquitatis faſtidium, quod nulli poſt mille ſæcula nato, ut ait idem Seneca, (a) præcluditur occaſio aliquid adhuc adjiciendi, actaque a Majoribus peragendi, nec ab aliis inventorum deeſt nova ſcientia, & diſpoſitio, æquiore, & breviore via ad eorumdem notitiam perducens, qualem hiſce lucubrationibus certabo

(a) *Epiſt.* 64.

enitarque munire. Ipſa porro inventorum retractatio, diligenſque agitatio ita notitiam extendit, totque novas animadverſiones elicit, ut ex ſententia Tullii [a] rerum cognitio infinita evadat. Quod ſi in aliis facultatibus accidit, id multo magis in Medicina, quæ cum omnium artium Plinii [b] animadverſione inconſtantiſſima ſemperque novis opinionibus jactata ſit, novam ſcribendi materiam ex facili ſuppeditare poteſt, partim vetuſtorum ſquallorem ſitumque detergendo, partim recentia, quorum copia, & varietate obruimur, rejiciendo, partim ad meliorem frugem redigendo. Ratio quoque ſcribendi a multis medicis ſcriptoribus neglecta, qui ſua jejune, aſpere, inconditeque evulgarunt Priſcorum documentis retractatis gratam novitatem & ſine tædio lectorem moraturam aſpergere poteſt. Adeo diſplicuit Tullio [c] negligentia ſcribendi, uti licet in amore Philoſophiæ flagrantiſſimus foret, nunquam ad eos philoſophos acceſſerit, in quibus deſideraretur apte diſpoſita, nitida, urbanaque ſcribendi ratio, ſine qua nulla poteſt eſſe ex lectione delectatio abs Tullio quæſita. Si quis autem eo ſe animo ad Medicinam conferret, quo Tullius ad Philoſophiam, expeteretque voluptatem aliquam ex ſcriptionis modo, eam profecto ex paucis auctoribus percipere poſſet: ſiquidem bene multi ita negligenter ſuas cogitationes litteris mandarunt, ut lectorem non omnino impolitum alienent, non alliciant, moleſtia, non delectatione afficiant. Philoſophica quidem, itemque medica laborioſe accerſitum ornamentum reſpuunt, accuratumque nimis ſermonem, reprobatque Seneca [d] ſcribens philoſophiam moralem ut putidum; commendat tamen cultum, & eloquentiam obviam, & paratam, aut parvo conſtan-

tem,

(a) *Lib. 3. de Orat.* (b) *Lib. 29. Nat. Hiſt.*
(c) *Lib. 2. Tuſcul. Quæſtio.* (d) *Epiſt. 75.*

tem, quæque non ſollicito contingere poteſt; qualem Tibi Superi conceſſere, Joannes Ferneli, qui magnam Medicæ doctrinæ gravitatem cum pari eloquentia, & naturaliter colorata conjungens Æmulus facundiſſimi Romanorum prædicaris. Æger quidem medicum ſanantem quærit, non diſertum, ſicuti navigaturus peritum nautam, non formoſum; cum utrumque peritia tueatur, non iſtum forma, non illum ſermonis concinnitas. Tamen qui Medicinæ dat operam, animumque induxit, dum in umbra, & otio ſedet, vacare ſuis meditationibus poſterorum utilitati, & litteris convenienter uti, magnopere cavere debet in ſcribendo incuriam, in idque incumbere, ut Medicinam tanquam nobiliſſimam Philoſophiæ partem verſet, ab liberalibus etiam ingeniis excolendam, non tantummodo ut artem quæſtuoſam a plebeiis. Itaque in publicum iterum proditurus ſine novis, rariſque repertis, animum, mentemque conjeci in materiam tanto utiliorem, quanto vulgatiorem, ante paucos annos editæ conjunctam, eamque diſtribute, lucide, pure, preſſeque, quantum per me licet, exponendam. Quo confecto, ut loquar cum Horatio, publica materies privati juris erit; & fructuoſa quærenti gratius faciam, quam novitatum apparatu; ſperoque tamen de tritis rebus novas conſiderationes non defuturas. Ita porro barbariem, & dictionis inconcinnitatem evitare ſtudebo, ut nunquam oculos ab recta ratiocinatione dejiciam, quæ mihi ſemper potiſſima cura fuit, eritque nil commoto a laxiore ſtudiorum ratione hodie medicis adprobata. Nihil certe ad dialecticam attentius exigendum eſt, quam magnorum auxiliorum uſurpatio, in qua apex Medicinæ, honor medentium, & ſalus ægrotantium poſita ſunt. Suaſerunt ut hanc materiam potiſſimum verſandam eligerem, munus meum tradendæ praxeos in Academia tan-

diu obitum, gravitas, neceſſitaſque doctrinæ, demum mea natura, ætaſque ſenilis ad ſolidiora utilioraque propenſa. Paſſim in contemplatione rei medicæ obſcura, & dubia offendimus, ſed plura, magiſque ambigua in his, quæ potius phyſica ſunt, quam medica, longeque diſtant a praxi, fere plena imaginationibus, & arbitriis, frondibuſque affluentia, ſed vacua maturo fructu, qualem optat quæritque Senectus. Quocirca hiſce relictis totus addictus ſum dirigendo officio Medici, ſcilicet occupationi ad ſenectutem aptiori, quæ per longam rerum agitationem opinationum vanitate comperta, deinceps ea conſectatur, quæ proxime cum opere copulata ſenſuum quoque fide comprobantur, neque tot erroribus patent, quot vagæ imaginationis opera. Unde plures Philoſophi, qui in juventute, & vigente ætate phyſicorum commentationi operam impenderant, in ſenectute animum appulerunt ad moralem Philoſophiam, quæ proxime opus attingit, uti pars Medicinæ, quam alias agitavi, & nunc agitare pergo. In utraque diſciplina eadem eſt ratio ſtudii, idemque ſcopus, regimen actionum, in altera earum, quæ pertinent ad valetudinem animi, in altera corporis.

Paucis ante annis ſcribens de methodo medendi, tantummodo complexus ſum ſpectantia ad generalem ejuſdem conſtitutionem, atque ad inventionem indicantium ſpeciem remediorum; nulla ex profeſſo particularia remedia expendi, de quibus ſcriptores Methodi poſt traditam univerſalem rationem tractare ſolent. Sic doctiſſimus Fernelius præmiſſis ſummis medendi legibus, agit de venæ ſectione, purgatione, deinde inveſtigat medicamentorum varias facultates, univerſamque eorum materiam diverſis corporis partibus, earumque morbis accommodatam perſequi-

ſequitur: quam latiſſimam provinciam obeundam non ſuſcipio, ſed duntaxat tractandum de magnis, & uſitatioribus remediis, quorum efficacia diligentiorem operam adminiſtratoris requirit, propter notabiles effectus ſalubres, vel inſalubres, ſecuturos diverſitatem adminiſtrationis. Hoc additamentum omiſſo operi ſatis eſto, eorum auxiliorum examine relicto, quorum medendi ratio minus exhibet negotii, infrequentiorque uſus eſt. Paucioribus intentus, neque in plura diſtractus, fortius eiſdem adlaborabo; mihique breve percurrendum ſpatium præfinivi, quo pari paſſu a carcere ad calcem incederem, nec longitudine viæ vires infirmarem. Itaque agam de venæ ſectione, purgatione, ſudoris excretione, itemque ſaliva per hydrargyrum provocanda, inquiramque quemadmodum ſingulæ vacuationes utiliter celebrandæ ſint: quas omnes in numerum magnorum auxiliorum conjicio. Venæ ſectionem, & purgationem eſſe magna remedia, deciſum eſt in ſchola Priſcorum; nec in dubium vocatur, uſum hydrargyri ad eliciendam copioſe ſalivam, uti fit in morbo celtico, aliorum excedere magnitudinem. Solum dubitari poteſt de excretione ſudoris copioſi, quod infra commodius excutiam, de eadem ſpeciatim agendo. Ergo tractationis initium erit, examen venæ ſectionis, de cujus impedimentis Sanctacruz utiliter ad Tirones ſcripſit: ſed utilius, & abſolutius fuiſſet opus, ſi prius illius indicantia expoſuiſſet, & ſubjeciſſet impedimenta, ut exequi decrevi.

Venæ ſectioni antiquiſſimo remedio, quod Verna omnium principem appellat, a Podalirio, ut aliqui narrant, invento plures contradixere, & primo Chryſippus Cnedius, cujus veſtigia ſecuti ſunt Medius, Ariſtogenes, Eraſiſtratus, aliique, non pauci etiam ex Recentioribus, quo-

rum

rum opinationi refellendæ hoc loco non immoror; tantum obſiſtam, ubi contrariæ rationes obviam opportune venient, ſed breviter, congruenterque ad meam ſtudiorum rationem: ſiquidem hanc defenſionem contra Helmontium toto conatu ſuſcepit Verna, ſupraque indigentiam perſecutus eſt, omnia excutiens ab irato adverſario inconſiderate effutita. Videntur tamen in totum non reprobandi venæ inciſionis oppugnatores, attento tanti remedii uſu pravo; quo vel negligentia, vel ignorantia, vel intemperantia Medentium ſæpius in damnum ægrotantis convertitur; teneoque pro certo, me non longe a veritate aberraturum eſſe, ſi dixero, ex centum venæ ſectionibus de more imperatis tertiam partem cum vera ratione vix fieri, & bene vertere. Detrahit ſcalpellum animæ proxima inſtrumenta ſpiritus, vitæque altorem ſanguinem deprædatur; quem per ſanitatem non ſolum e nobis aliquanto largius effluere inviti patimur, ſed etiam ex aliis: imo conſtat aliquos exanimatos eſſe ad intuitum ſanguinis ex vulneribus a ſe inflictis erumpentis; adeo natura avida ejuſdem eſt, noſque ab effundendo deterret. Quo commonemur, quam caute & conſiderate ſit effundendus; & quantum naturæ anticipationem negligant, qui levi quacunque de cauſſa vitæ conceptacula inſcindunt, adimuntque fulcimentum. Lubricum eſt etiam circumſpectis viris, venam tempeſtive aperire, propter varia, & fortuita inde conſequentia, & propter obſcuras, ambiguaſque notas veræ opportunitatis; ſed multo periculoſius eſt ſcalpellum ab aliis diſtrictum, ſoli conſuetudini ſervientibus, omniaque ex lucro metientibus. Quis non videat, ſi paulum advertit, eorum ictus frequentius eſſe noxios, quam ſalutares, & eſſe vulnerantium, non ſanantium? Ut igitur rei tanti momenti, & uſui quotidia-

diano expoſitæ pertractandæ viam prætermam, antequam indicantia, impedimentaque venæ inciſionis propono, inquiram, quid illa apta nataque ſit efficere ſuis, aut fortuitis acquiſitiſque viribus. Habet enim ſanguinis detractio vires ingenitas, habet fortuitas, & aliunde adſcitas ob varium ſanguinis ipſius ſtatum, aliarumque accidentium concurſum: ex quo varia præſtare fortuito poteſt, videlicet calefacere, exſiccare, humectare, incraſſare, attenuare, aliaque diverſa, neque expectata, & proviſa efficere. Calefactio videtur contraria ſanguinis effuſioni, nec inde poſſe oriri; quatenus ſanguis fomes eſt caloris, ejuſque detractio fortitis partem adimit, & caloris. Tamen evenire poteſt, ut per venæ ſectionem mutato partium contactu, laxataque compage, particulæ calidiores, tenuioreſque ſolutæ ab craſſioribus coeant, & fortius agitentur, intenſioremque calorem accendant. Cum autem intenſior calor, ſi perſeveret, plus humidi abſumat, hoc etiam reſpectu phlebotomia erit idonea exſiccare. Ea quoque ratione ſanguis per venæ apertionem magis incaleſcere poterit, ſi plus juſto inanita vaſa hauriant humorem billioſum, vel alios exoticos ſuccos in cavitatibus contentos, aptoſque ad augendam ſanguinis fermentationem, vel alium motum concitandum; qua forſitan de cauſſa interdum incidit, ut inciſa vena in ſimplici tertiana duplicem reddat, poſtea continuam. Efficax etiam venæ punctio creditur ad promovendam perſpirationem, non minuendam; & hinc a Methodicis Medicis abs Themiſone profectis inter præcipua remedia ad reſerandos clauſos meatus collocata fuit: unde forſitan manavit tritum effatum Galeni, ſaluberrimum eſſe in putridis ſanguinem emittere, quas a prohibita ventilatione corporis accendi autumabat. Perpetuum tamen non eſt, a venæ inciſione

ſione adjuvari inſenſibilem perſpiratum recluſis clauſis meatibus, requirunturque certa ſanguinis miſtio, quantitas, viriumque robur pro ſuſtinendæ futuræ detractioni. Abſque dubio vegetus cordis pulſus, arteriarumque oppido conducit ad faciliorem inſenſibilium excretionem: ideoque eodem debilitato illam poſſe retardari, minuique quis ambigat? Obſervatum fuit ab Sanctorio (de Ponderatione) viribus jacturam patientibus, copiam ſolitam inſenſibilis effluvii decreſcere, atque accisis viribus æquari. Hinc admonemur, non adeo fidendum eſſe remediis, ut vulgus ſolet, quaſi unum eumdemque ſemper effectum parituris, ſi poſſunt etiam contrarium. Alter effectus adventitius, & fortuitus venæ ſectionis eſt humectatio corporis, conſequens ad refrigerationem inductam a calidi vacuatione, nec ablatam ab ullis ex dictis cauſſis calefacientibus. Manifeſtum eſt refrigerato ſanguine, & perdurante refrigeratione minus humoris diſſipari, ſicque copiam majorem ſupereſſe; & humidius corpus reddi. Porro ex ſanguinis impendio non ſolum primæ qualitates immutantur, calor, frigus, humiditas, ſiccitas, ſed etiam ſecundæ, & has inter habitus ejuſdem, ſive, uti vocatur, conſiſtentia. In ſanguinis detractione reliquus commovetur, & commotione attenuatur, & præſertim ex detractione facta tempore calido, atque in calidis temperaturis. Unde Veteres phlebotomiam æſtivo tempore declinabant veriti ne per id tempus ſanguis extractione ad naturam bilis perduceretur, magis attenuatus, & percalefactus. Pariter variant effectus ejuſdem auxilii, ut major, vel minor eſt copia ſanguinis, quo tempore vena inciditur; quæ nempe inciſa, corpore ſanguine non redundante, affligit vires, in redundantia opprimente, recreat. At Helmontius in oppoſitum intentiſſime pugnat, perſuaſus, non poſſe

ſanguinem nimietate peccare, & viribus obeſſe, imo una cum ſanguine vires augeri, & hæc duo ita inter ſe ſe nexa eſſe, ut ex robuſtis viribus ſanguis gliſcat, & viciſſim ex aucto ſanguine vires, docentibus ſacris litteris, animam, hoc eſt robur vitale in ſanguine conſiſtere, Generatim Helmontius pronuntiavit, quod reſtrictius, & verius Fernelius, dum inquit (de ſignis plenitudinis) vires plerumque, ut in habitu athletico, cum ſanguine, & carnis mole æquabiliter creſcere. Verum hæc cogitanti, opponentique Helmontio ipſa natura in Hyppopotamo alvei niluaci piſce occurrit, qui longa ſatietate obeſus turgens exit in littus, & ſpeculatus inter cæſuras cannarum acutiſſimum ſtipitem impreſſo pede venam ſibi vulnerat, detractoque ſanguine in flumen alacrior redit. Quid mirum igitur juvenem robuſtum, & optima ſanitate fruentem, omnibus curis ſolutum, diuque uſum opipara menſa ſanguinis copiam congerere, cum moleſtia diſtendentem vaſa, & alacritatem facultatum minuentem? Conſtat ex Statica Sanctorii imminuta, & retardata perſpiratione corpus gravius fieri, minuſque ad ſua munera expeditum; eamque retardari, minuique ex copia diſtendente non ſolum doctrina Galenica docet, ſed ipſa rerum natura. Turgentibus omnibus vaſis ſanguine, capillaria quoque circum undique in corporis habitu diſtenduntur, comprimuntque glandulas ſubcutaneas, vaſaque tranſpirabilium excretioni ſervientia, & compreſſa minus excerni permittunt. Si ſanguinem hac occaſione demas, nonne vides inde ablatum iri diſtenſionis moleſtiam, corpus levatum, vireſque copia preſſas erectum? Quis porro probaverit, ſanguinem ita exuberare non poſſe, ut vaſa nunquam incommode diſtendat, ſaltem acceſſione variarum cauſſarum nos alterantium, & magnam

B par-

partem inevitabilium? Habes reſponſum ad Helmontianum argumentum, ut medico neceſſarium eſt. *Si cupis* hac de re philologas amplificationes, Vernam adeas totum in commendanda phlebotomia. Dominicus Laſcala faciens cum Avempoluca arabico medico habet pro fabuloſo, quod narrat Plinius de Hippopotamo, eventumque ita interpretatur, quaſi fortuito ſanguis ex Hippopotamo manaret, non ex impreſſo pedi acuto ſtipite harundinis, uti Plinius narrat. Mihi vero conſideranti, quam mira efficiant animalia ſuo commodo, ſuorumque fœtuum, improbabile non videtur ita eſſe inſtitutum, & comparatum equum fluviatilem, ut moleſtiam perſentiens ſibi venam pedis, oblato ceſæ cannæ aculeo aperiat. Facilius eſt naturæ miranda moliri ad ſua opera tuenda, quam noſtræ imaginationi concipere; neque ejus poteſtatem, & amplitudinem noſtro captu metiri fas eſt. Si tamen id neget Condemnator phlebotomiæ in belva, certe negare non poterit, quod evenire videmus in hominibus, quibus capitis gravitate, vel dolore laborantibus ſanguis e naribus ſponte exiliens ſæpe levamento eſt. Sicut autem copia ſanguinis caput gravat, ut oſtendit ſanatio, quid mirum inde totum corpus gravari poſſe, & levari per illius vacuationem? Amputato brachio, vel crure in ſphacælum corrupto, vel alia ex cauſſa, utile creditur quotannis ſaltem in vigore ætatis venam cruentare, quominus ſanguis ſolitus diſtribui membris ante amputationem, in reliquis pernicioſe cumuletur. Id argumentum propoſitum fuit ab Legato Regis Anglorum Condemnatori Phlebotomiæ, tanquam evincens, poſſe congeri ſupervacaneam, & noxiam ſanguinis copiam, nec infirmum eſſe fatetur Condemnator; tamen reſpondet, poſt obtruncata membra *majorem a natura effici ſanguinis*

ſanguinis

guinis conſumptionem, quæ ex ſale in ſanguine nidulante dependet, & de illius ſuperabundantia majus fieri diſpendium, aliaſque partes aliquando perfectius nutriri. Hæc omnia donarem Adverſario, ſi cauſſam attuliſſet, cur, defectis quibuſdam membris quantitas ſanguinis ſolita illis nutriendis impendi, partim a ſale diſſipetur, partim erogetur in uberiorem nutricatum reliquorum membrorum. De qua tamen nihil dixit, nec ullo experimento oſtendit, poſt ſectionem membrorum reliqua ex copioſiore nutritione ſubſecuta augeri, totamque difficultatem arbitrio, non ratione ſolvit. Neque ſane hanc ſolvere in proclivi eſt, obſervante Galeno[(a)], in iis ſolere per circuitum redire ſanguineam excretionem, qui a vita exercitata tranſeunt ad otioſam; item quibus aliquis artus præciſus eſt, ut inquit Hippocrates. [(b)] Poterius quoque credit, omnem Philoſophiam ruere, ſi dicamus, poſſe ſanguinis quantitatem nocere; qua ſcilicet non immutatur rei bonitas, ſed augetur, perficiturque. Et ſane, ſi conſideretur quantitas abſtracta, & quam habet in mente Poterius, fateor & ego, ex ea ſanguinem non depravari, corrumpique. Si tamen comparetur quantitas ſanguinis cum capacitate vaſorum, & reputetur quid ex eis repletis, pro variis animalis accidentibus contingere queat, non obſcure apparebit, quemadmodum ea ſanguinem vitiet, & corrumpat, vel alias noxas infligat. Proxime vero quantitas ſanguinem non corrumpit, ſed corruptionis occaſio eſt, ſi per eam, uti dictum eſt, imminuatur perſpiratio, & inde febris excitetur. Similiter vaſa proxime non diſfringit, ſed ruptionis occaſio eſt in vehementi motu corporis, qui impetum faciens in vaſa magna ſanguinis copia diſtenta multo facilius hæc diffringet, quam mediocrem quantitatem continentia: quo reſpectu

 Hip-

(a) *Lib. 5. de ſympt. cauſ.* (b) *Lib. 2. de Febribus cap. 8.*

Hippocrates monuit, cito ſolvendum eſſe habitum Athletarum. Porro periculum ruptionis, quod imminet a forti motu corporis, ſi vaſa humore turgeant, pariter aliis ex cauſſis exagitantibus, & calefacientibus ſanguinem impendere poteſt; itemque poteſt ex eiſdem non ſolum ruptionis periculum, ſed etiam inflammationis impendere.

Effectus primarii evidentes, & perpetui venæ ſectionis ſunt imminutio quantitatis, motus totius fluenti ſanguinei inciſam partem verſus. Copiam tolli parte ſanguinis adempta ſenſus judicat, nec ulla indiget inſtructione ad judicandum. Porro inciſa vena totum ſanguinem eam verſus commoveri probat exinanitio vaſorum inde ſecutura toto fluento exhauſto, niſi foramen obturaretur.

Item venæ inciſio primo per ſe refrigerat auferendo partem caloris cum ſanguine exeuntis; deinde promovendo calidorum inſenſile effluvium, & corporis perſpiratum; demum tollendo ſanguinis compreſſionem ortam ex illius affluentia. Ut enim explicant Recentiores, quando propter multitudinem ſanguis vaſa diſtendit, & ipſe ab illis comprimitur, acquiſitoque validiore elatere ſuis particulis validius concutit vaſorum particulas; unde calor intenditur; & contra imminuta copia, & compreſſione remittitur. Verum enimvero refrigerationem non adnumero primariis, perpetuiſque effectibus venæ ſectionis: quippe quæ pro variis accidentibus interdum non refrigerat, interdum etiam calefacit, ut ſupra adnotatum eſt. Nunquam autem refrigerat, uti animadvertit Martianus[a]: ſi calor a ſanguine non accenditur, ſed ab humore bilioſo. Quinimo idem auctor ibidem notat ex Hippocrate, ſanguine immodice excreto febres excitari, & plerumque urentes propter bilem inde commotam, & commotione magis incaleſcentem.

Ex

(a) *Lib. 2. de Mor. Mulie. Hipp.*

Ex ſtabilitis primariis, & perpetuis effectibus phlebotomiæ duo ejuſdem uſus proficiſcuntur, videlicet ad minuendam copiam, corrigendumque motum præter naturam ſanguinis per eam facta revulſione, & derivatione. Quia tamen eadem apta eſt per ſe refrigerare, niſi ex accidenti inhibeatur effectus, aliquando refrigerationis gratia uſurpatur. Varia igitur præſtare poteſt venæ ſectio, & interdum accidere, ut ſimul tollat ſuperfluam quantitatem, revellat humorem aliquo præter naturam concitatum, derivet, refrigeretque. Si quis cum ſanguinis redundantia pleuritide dextri lateris tentari cœperit, vena in brachio ejuſdem lateris perforata aufert plenitudinem, revellit, derivat, refrigeratque. Tolle plenitudinem; ſupereſt ſolum beneficium revulſionis, derivationis, & refrigerationis, niſi hæc ab aliquo fortuito interpelletur. In morbo autem, in quo ſola peccat copia ſine fluxu ſanguinis in certas partes petente revulſionem, & derivationem, ſolam affluentiam ſanguinis demet apertio venæ, non revellet, non derivabit, deficiente occaſione revulſionis, & derivationis. Ut igitur variant indicantia, ſive occaſio tundendæ venæ; item variat medentis intentio, qui modo unam tantum ex dictis utilitatibus ſibi reportandam præfigit, modo duas, modo omnes: quarum aliæ requirunt loci delectum in vulneranda vena, uti revulſio, & derivatio; aliæ ſolam vulnerationem, uti detractio quantitatis, & refrigeratio. Singularum igitur occaſiones veſtigemus, & primo detractionis quantitatis.

CA-

CAPUT II.

Sola quantitas ſuperflua, & infeſta indicans eſt venæ ſectionis, ut evacuantis.

EX contrariorum lege, univerſæ rationis medendi fulcimento, evidens eſt venæ ſectionem tanquam præſidium evacuans ab ſola quantitate ſupervacanea, & incommoda indicari poſſe; cui nullum aliud eſſe poteſt contrarium niſi detractio, unicum curationis inſtrumentum. Qualitati qualitatem opponimus, quantitati quid opponemus, niſi vacuationem? Cum autem vulgari ſermone dicimus eſſe vacuandos malos humores, ad qualitatem reſpicimus inhærentem quantitati, ſive rebus quantitate prædictis, ſine qua non conveniret evacuatio, ſed ſola correctio per contrariam qualitatem; id quod in medio poſitum eſt, extraque controverſiam. Ergo primum in uſu phlebotomiæ conſilium, uti loquar cum Paulo,(a) eſt ſanguinis redundantis ablatio, quæ quidem multimodis obtineri poteſt, parſimonia cibi, frictione, exercitatione, aliiſque vacuantium generibus, ſed citiſſime vena inciſa. Quocirca ſtatim ac compertum habemus ſanguinem immodice adauctum eſſe, diſtringendum ſcalprum non eſt, ſed meditanda redundantiæ menſura, aliaque accidentia vel lentam detractionem permittentia, vel celeriter factam expoſcentia. Quantitas per venæ apertionem adimenda hujuſmodi ſit oportet, ut aliqua ratione magnum morbum pariat, vel foveat, vel minetur, nec tardam evacuationem patiatur. Quamvis enim in præſens tam levibus de cauſſis ſanguis hauriatur, quaſi detractio parvi momenti foret, ta-

(a) *Lib. 6. cap. 4*

tamen ab Antiquitate inter magna, & generoſa remedia repoſita fuit, & ſolum ex gravi occaſione in uſum vocata, quam vel ſolus magnus morbus præſens, vel impendens exhibet.

Copia ſanguinis ab Antiquis duplex eſt conſtituta, altera pervulgato nomine appellata ad vaſa, altera ad vires, tertiam tamen addidit Horatius Augenius[a], ut ait, a Recentioribus prætermiſſam, ſed a Galeno, & Avicenna indicatam, ortamque ex permiſtione utriuſque plenitudinis. Cum igitur ex plenitudine venarum, & copia ſanguinis exiſtat potiſſima occaſio ſanguineæ vacuationis, diligenter in eam inquirendum eſt; de qua nondum ſatis explicate, meo judicio, pertractatum fuit, pluresque extant controverſiæ, & obſcuræ interpretationes maxime de plenitudine ad vires relata, quæ multo difficilior eſt altera ad vaſa pertinente. Hæc nihil eſt aliud ex communi conſenſu, quam boni ſanguinis affluentia eo provecta, ut diſtenſione vaſis vim inferat, cognoſciturque ex ſenſu ipſius diſtenſionis, & tumore totius corporis præſertim ab exercitatione, qua omnia membra exporrigi videntur. Quamvis igitur hæc plenitudo conſletur a copia probi, utiliſque ſucci, ſuſpecta tamen eſt, redditque animal variis morbis obnoxium, nimirum aut ruptioni vaſorum, aut lethali ſyncopi, aut corruptioni, aut aliis effectibus pro diverſitate cauſſarum incurſantium. Dividitur hæc plenitudo ad vaſa in puram, impuramque. Puram creat ſanguinis ubertas nullius qualitatis exceſſu intemperati, neque humoribus alienis inquinati, qualem imaginatur Hippocrates in Athletis, de qua loquens ait, ad extremum bonitatis perveniſſe. Impura levi vitio afficitur, contracto vel ab exuperante qualitate, vel mixtione incongruentis humoris, vel

(a) *Lib. 1. cap. 4. de ſang. miſ.*

vel alteratione ſubſtantiæ non inſigni, citraque formæ corruptionem: qua corrupta, quod fluit per venas, non impura plenitudo, ſed cacochymia vocatur. Sic levis, imperfectaque putredo, & ſi ſanguinis ſubſtantiam permovet, calorem adauget; quia ejuſdem formam, & eſſentiam non demolitur, plenitudinis rationem non tollit, neque parit vitioſitatem, quam Græci vocant cacochymiam. Alias enumerant Priſcorum ſcholæ plenitudinis differentias, acceptas ex quatuor diverſis humoribus, quibus credunt fluentum ſanguineum permiſceri; aliamque appellant ſanguineam ex parte ſanguinis proprie dicta, aliam pituitoſam, melancholicam aliam, aliam bilioſam, ſumpta nomenclatione ex pituita, melancholia, & bile ſanguinem componentibus: de qua compoſitione ſatis dixi in mea methodo, ad eludendas Recentiorum oppoſitiones, qui multo ſe ſapientiores Majoribus exiſtimant eorum humorum oppugnatione.

Satis de plenitudine ad vaſa, quantum attinet ad præſens inſtitutum. Plura dicenda ſuperſunt de plenitudine ad vires dicta, propter diſſenſum auctorum in ea conſtituenda, & ipſius rei obſcuritatem. Nomine plenitudinis ad vires communiter intelligitur copia major ſanguinis, quam ut poſſit a viribus regi. Cum autem nomine virium comprehendantur omnes facultates noſtri corporis, animales, vitales, & naturales, primo in controverſiam venit, ad quam facultatem plenitudo referatur; atque alii hanc referunt ad facultatem naturalem imparem mutandæ copiæ in alimentum partium; alii vero ad facultatem animalem; idque non uno in loco videtur ſenſiſſe Galenus: cujus tamen verba in ſuum placitum torquet Horatius Augenius oppoſitæ ſententiæ ſtrenuus propugnator. Verum convenienter ad priſca documenta videtur plenitudo

ſupra

ſupra vires tribuenda eſſe duabus facultatibus, naturali, & animali; naturali, quia ſanguis inde redundat, quod nequit converti in partium nutrimentum, & converſio pertinet ad virtutem naturalem; animali pariter tribuenda videtur, quatenus indicatur a ſenſu deprimentis ponderis, quem infert ea plenitudo, atque ad vim animalem ſpectare indubitatum eſt. Itaque ex diverſa ratione plenitudo ad vires utramque facultatem attingit, naturalem, & animalem; naturalem tanquam ſui cauſſam, animalem tanquam indicium. Placuit id litigium dirimere juxta veterem doctrinam, quamvis aliter ego ſentiam de hac plenitudine, cogarque plura deſerere ab Antiquis tradita, ex quibus nulla illius idea mihi clara occurrit. Fernelius [a] ſancit plenitudinem ad vires illam eſſe, in qua tametſi ſanguis nec qualitate, nec copia ſymmetriam, & commoderationem exceſſit, vires alia quavis ex cauſſa imbecillas premit. Veruntamen ſi cauſſa debilitans interna eſt, non apparet quomodo poſſit conjungi cum ſanguine omnis vitioſitatis experte. Horatius Augenius, [b] qui definit univerſe plenitudinem ſanguinis eſſe redundantiam ſupra mediocritatem, aperte ſancit, etiam in plenitudine reſpectu virium eſſe quantitatem majorem medioeri: quo definito, peto, cur hæc abundantia attineat ad vires, quod ab hiſce regi nequeat, non attineat altera, quæ vocatur ad vaſa? Si enim regi nequit, utpote uberior naturali quantitate, multo minus regi poterit a viribus redundantia comparata cum vaſis, magis exſuperans mediocrem quantitatem: quæ proinde potiore ratione dicenda eſſet plenitudo ad vires. Quod ſi dicant in una eſſe vires imbecillas, in altera robuſtas; quærendum eſt, utrum imbecillitas præcedat copiam, an conſequatur. Præcedere certe non poteſt: quia

 præ-

(a) *De Sg. lib. 2. cap. 1.* (b) *Lib. 2. cap. 4. de miſ. ſang.*

præcedente nequit congeri copia boni ſanguinis, ex quo credit Galenus plenitudinem ad vires creari [a]; idemque affirmat generari non poſſe redundantiam probi ſanguinis, niſi cum virium robore. Sin autem infirmitas virium ſequitur abundantiam, hæc idcirco cumulata non erit, quia virtus naturalis nequiverit abſumere certam ſanguinis quantitatem in nutritionem partium; ideoque nulla erit ad vires plenitudo. Itaque adeo obſcurum eſt, incertumque, in quo conſiſtat hæc plenitudo, ut non defuerint ex Antiquis, qui eam nihil aliud eſſe decreverint, quam cacochymiam, nec ullam majorem copiam cum ea neceſſario conjungi; ut a nullo Veterum tradita ſint certa ſigna illius cognoſcendæ; idque aperte fatetur Fernelius [b], qui difficultatem cognoſcendæ non diſſimulavit. Senſu inquiunt plures Antiqui, incumbentis ponderis, & ſegnitia corporis ad motum plenitudinem ex comparatione cum viribus indicari: ſed utrumque indicium valde ambiguum eſt; quippe utrumque ab aliis cauſſis ſine plenitudine aptum proficiſci; uti accidit tempore auſtrino, quo humectatæ laxatæque fibræ muſculorum corpus oneroſius reddunt, tardiuſque ad motum. Quid quod docet Sanctorius, [c] corporis viventis pondus æquivocum eſſe, & fieri poſſe, ut corpus ſit ſolito oneroſius, cum ſe quis leviorem perſentit; contraque ſe graviorem ſentiat, dum corpus levius eſt? Quid plura? Horatius Augenius [d] exponens notas plenitudinis ad vires definite aſſerit, eſſe multum obſcuras, neque fidendum eſſe corporis gravitati, ſed contemplari oportere, an cum gravitate copulentur cauſſæ ſanguinis incrementum oſtendentes, perſuaſus ſine aliquo tumore venarum, & tenſione, non poſſe cumulari dictam plenitu-

(a) *Lib. 9. Meth. cap. 5.* (b) *Lib. 2. Meth. cap. 2.*
(c) *De Pond. Aphor. 29.* (d) *Lib. 1. de ſang. miſſ. cap. 11.*

nitudinem inſeparabilem ab augmento ſanguinis exſuperante mediocritatem. Hiſce attentis offendiculis ad concipiendam plenitudinis ſupra vires productionem, productamque internoſcendam, exiſtimo vel eam commentitium quid eſſe, vel nihil aliud eſſe niſi quantitatem ſanguinis ſuapte natura innocuam, ſed ex aliquo affectu ſuperveniente redditam gravem; meumque ſenſum ſic declaro. Fac aliquem mediocri ſanguinis quantitate donatum, tertiana continua corripi: dico quantitatem, quæ ante febrem onerosa non erat, ſed ſtatui corporis conveniens, oborta febri fieri poſſe onerosam: quatenus ſanguis incaleſcens intumeſcit, magis vaſa diſtendit, copioſos halitus effundit, & hoc pacto minuere poteſt perſpirationem, febremque fovere. Itaque copia, quæ ante morbum nulla ſui parte ſuperflua erat, redundanſque, videtur ex morbo parte aliqua major evadere, quam ut debeatur ſtatui corporis; & hanc, ſi placet, potes vocare redundantiam ad vires, ſive ad ſtatum corporis comparatam. Verna cum Eraſiſtrato[a] aliter conſtituit plethoram ratione virium: quæ tamen nihil eſt aliud, niſi plethora ad vaſa in eo augmento, ut nimia copia viribus incommodet, & pariat affectum, ſive laſſitudinem ulceroſam; quam multo congruentius Scholæ Galenicæ ſuccorum acrimoniæ adjudicant, quam Verna redundantiæ, quæ diſtenſione declaratur, non ſenſu rei ulcerantis. Aliam præterea Verna aſtruit generalem plenitudinem, & ait ſuccreſcere non ex vitio liquidi in quantitate, vel qualitate, ſed primario ab conſtrictione, & convulſione vaſorum vi cauſſæ exterioris. Quamobrem ex mente Vernæ ita poſſunt a cauſſis externis omnia vaſa anguſtari, ut difficulter capiant naturalem fluidi quantitatem, expeditumque curſum inhibeant. Cauſſas

(a) *De Phlebot. part. 1. cap. 5.*

vero ad hanc reſtrictionem aptas enumerat multas & primo loco frigiditatem ambientis, quam unice expendam. Aſſerebant Antiqui ab hac cauſſa cutis poros obſtrui, impediri liberum perſpiratum, impeditumque variorum morborum effectorem eſſe: id quod facilius intelligimus, quam inde omnia vaſa coarctari, reddique ſanguinem multum, & ſuperfluum. Etenim ſi vis frigoris pervadens totum, intimumque corpus externa, internaque vaſa ſtringit, ipſum quoque ſanguinem cogit, aptatque reſtrictis alveis. Dicat Verna, cur ſæviente frigore quartanæ, quo vehementer vaſa anguſtantur, & deprimuntur, incluſus ſanguis ſibi viam alicubi non aperiat. Id evenire certum eſt, quoniam ab eadem cauſſa ſanguis ipſe reſtringitur, & anguſtius ſpatium ſine violentia occupat. Sunt etiam tunicæ vaſorum flexibiles, aptæque ad majorem extenſionem; neque tam facile, ut imaginatur Verna, ſic arctari poſſunt a niſu externo, ut naturalem contenti liquidi motum turbent. Sed liberum eſto unicuique ſua uti, vel abuti imaginatione.

Declarata noſtra ſententia de utraque plenitudine ad vaſa, & vires, diligenter veſtigandum eſt, quam utraque vim habeat ad indicandam venæ vulnerationem. Quantitas magna ſanguinis in morbis, extraque morbos periculoſa eſt, tollendaque, licet quantitas ſpectata ab omnibus accidentibus abjuncta nocere nequeat. Multa neceſſaria, & fortuita occurrunt extra morbos in uſu vitæ nos alterantia; adverſus quæ munitiores ſumus moderata ſanguinis copia, quam exuberante; quam proinde præſervationis gratia prodeſt vel recluſa vena ſemel imminuere, vel paulatim aliis adminiculis. Ut autem nondum præſente morbo grandis copia ſuſpecta eſt, & providentiæ cauſſa recte aufertur; ſic multo magis in morbis, quos vel producit, vel fovet. Fateor tamen a ſola copia proxime, &

per

per ſe non produci morbos, ſed alterius cauſſæ interventu; uti cum eo uſque increvit, ut perſpirationem inhibens, aut diariam febrem, aut putridam accendat; cujus accenſæ cauſſa proxima erit extraneum in venis retentum, & ſanguinem turbans, agitanſque, cauſſa remota copia perſpirationem impediens; cujus ablatio initium eſt curationis. (a) Narrat Galenus Adoleſcentem liberum, & palæſtræ peritum incidiſſe in febrem abſque putredine hoc pacto. Solitus erat ſeſe palæſtra exercere, intermiſſaque dies circiter triginta hac conſuetudine, ſeſe deinde vehementius brevi tempore exercuit, & poſtridie imputri ſynocho detentus fuit. Ergo intermiſſio exercitationis uberiorem ſanguinis copiam, pleniorem que corporis habitum peperit; & inde conſecuta eſt reſtrictio cutis, & diminutio inviſibilis evacuationis. Acceſſit vehemens exercitatio, qua multum ſanguis agitatus incaluit, effuditque copioſam materiem inſenſilis perſpirationis, quæ a conſtipatione cutis retenta vim fomitis febrilis acquiſivit, febremque excitavit cum intolerabili calore, totius corporis tenſione, temporumque pulſatione. Remedio fuit præſentiſſimo detractio ſanguinis uſque ad animi deliquium, inde refrigerato ſanguine, depletis vaſis, reſtitutaque libertate perſpirationis. Sanguinis igitur uberior quantitas fuit occaſio obſtructionis, impediti perſpiratus, & inde febris, quam tamen non accendiſſet, niſi a vehementi motu corpus æſtuaſſet; nec vehemens motus facile corpus ad febrem præparaſſet, niſi plenitudo adfuiſſet; quam proinde etiam per ſanitatem adimere conducit, quo minus adverſa, & fortuita offendant. Oborta febri Galenus elicuit ſanguinem ad animum uſque deficientem non ablaturus cauſſam proximam febris, ſed quæ fovebat proximam, & partem etiam proximæ: ſiquidem

(a) *Lib. 9. Meth. cap. 4.*

dem ex vulnere venæ una cum ſanguine copia calidioris, & tenuioris materiæ effluit, cauſſa, ut opinor, ſimplicis ſynochi. Pone nunc ab eiſdem cauſſis generari inflammationem vel internam, vel externam. Plenitudo vaſorum occaſio tantum erit inflammatæ partis, non cauſſa proxima, & principalis; & idcirco videmus excitari inflammationes non ſolum in corporibus ſanguine affluentibus, ſed etiam in iis, quibus ineſt vix naturalis, & media ſanguinis quantitas. Eadem tamen cauſſa apta ad creandas inflammationes incidens in corpus ſanguine refertum, promptius, & majorem inflammationem creabit, quam in alterum minus ſanguine abundans.

Vidimus magnam copiam ſanguinis nocere, & quemadmodum noceat. Quid autem iſta in morbis magnis indicet citam curationem expoſcentibus perſpectum eſt, videlicet citam oblationem, ſolum a venæ apertione impetrabilem. Neque vero unica eſt ratio in dictis morbis tundendæ venæ, ſcilicet ut auferatur cauſſa alias concitans, vel conſervans. Si enim aſſumamus repletionem vaſorum nullo pacto fuiſſe in cauſſa morbi magni; tamen iſte perturbans corporis œconomiam redundantem ſanguinem vitiare poteſt, & in humorem noxium vertens morbum augere. Porro morbi magnitudine aliquod grande remedium poſtulante, quia omnium conſenſu utilius celebratur depletis vaſis, quam copia tumentibus, hoc etiam nomine detrahenda eſt copia redundans.

De altera redundantia ratione ſtatus corporis difficilius eſt determinare, an ſit adimenda per venæ ſectionem; cum prudens determinatio pendeat ex ſollerti examine ſingularis ſtatus corporis, cujus reſpectu dicitur ſanguis abundare; cum beneficium ſperabile ex ſcalpello ſit obſcurius, & incertius, quam in vera redundantia. Id unum mihi

rema-

remanet animadvertendum de utraque plenitudine, diu utramque perdurare non poſſe in magna ægrotatione, ſi præſertim febris adeſt, ob conſumptionem aſſiduam, quæ fit per os, atque inviſibilia ſpiracula, per detractionem alimenti; & inde impeditam reparationem deperditæ ſubſtantiæ: opinorque ab hac celeri diſſipatione, quæ in morbis accidit, forſitan originem traxiſſe vetus illud præceptum traditum a Celſo (a), nunquam utile eſſe poſt diem quartum ſanguinem mittere; quod materia ſpatio ipſo exhauſta eſt, vel corpus corrupit. Porro quamvis difficile eſt ſtatuere numerum dierum, quo quælibet redundantia exhauritur; tamen poſt quatuor dies, quibus æger paſſus eſt morbi afflictionem, cibi tenuitatem, aliaſque cauſſas extenuantes extrinſecus advenientes, non multum ſupereſſe poſſe exiſtimo. Neſcio igitur quid ſibi velit monitum plurium medicorum, licere ſanguinem detrahere poſt decem, viginti, pluresque dies, a quo tempore morbus incœpit, dummodo interſit plenitudo cum virium robore; niſi velint attendere ſolam quæſtionem de jure, non de facto. Meam profecto fidem ſuperat, poſſe viginti, vel plures dies in cibi penuria, & corporis febrili angore conſiſtere plenitudinem venarum, expoſcentem evacuationis gratia phlebotomiam. Neque Hercules commoveor aliquot exemplis, quæ videntur oppoſitæ opinationi favere, admonitione Senecæ, (b) rerum omnium a Sapiente ſpectandum eſſe conſilium, non exitum, cujus veram cauſſam in negotio reductæ ſalutis ſæpe ignoramus.

(a) *Lib. 2. cap. 10.* (b) *Epiſt. 14.*

CAPUT III.

An liceat venam in cacochymia evacuationis gratia reſignare.

VAria eſt apud auctores cacochymiæ interpretatio; aliique hoc nomine ſolum vitium humorum deſignant, alii ſuperfluam quantitatem, & vitium; definitque clariſſimus Fuchſius[a] cacochymiam exceſſum tum in quantitate, tum in qualitate, ſecutus Galeni placitum[b], qui cacochymiam appellat, ubi tantum unus humor a ſanguine proprie dicto diverſus in corpore redundat; cum qua redundantia neceſſario conjungitur prava qualitas, nutriendoque corpori inepta. Omnium humorum cum debita proportione miſtorum augmentum plenitudinem efficit, unius magnus exceſſus vitioſitatem, copiamque. Inter haſce ſententias Horatius[c] Augenius expeditiorem elegit, conſtituitque cacochymiam in humorum excrementitiorum incremento, aut ſumma eorundem malitia, aut utroque ſimul, cum manifeſta læſione actionum, aut præparatione ad læſionem. Itaque, quia non unicum vitium nomine cacochymiæ denotatur, factum putem, ut diſſentiant inter ſe ſe auctores de vena in eadem tundenda. Ut autem aliquid certius decernatur, inquirendum eſt, quot modis vitioſus ſuccus in venis progeneretur; quos tres ex Veterum doctrina invenio. Primus ex placito Galeni eſt, cum unus ex quatuor humoribus ſanguinem componentibus, excepto ſanguine proprie dicto, reliquos quantitate multum exſuperat. Alio modo vitiatur ſanguis, ſi hu-

(a) *Lib. 2. inſtitut. Med. ſec. 5. cap. 1.* (b) *Lib. 13. Meth. cap. 6.*
(c) *Epiſt. Medic. lib. 5. epiſt. 5.*

ſi humor aliquis natura ſua inhabilis nutricatui, veluti pituita ſalſa, bilis vitellina, aliique hujus generis ſucci eidem admiſcentur. Poſtremo ſanguis ſuam bonitatem amittit non per admiſtionem exotici humoris, non per unius exceſſum, ſed corruptionem ſuæ ſubſtantiæ factam a violentia cauſſarum; quam proinde vocant deteriorem cacochymiam, aut corruptelam. Sanctacrux opinatus humores diverſos, ex quibus ſanguis coaleſcit, non poteſtate tantum, ſed actu, & ſua forma præditos in ſanguine contineri, judicat in aliqua cacochymia vel pituitam, vel alterutram bilem ſeparari ab optimo ſanguine, inque varias partes tendere pro humorum, morborumque diverſitate, in caput, ventriculum, aliaſque partes; craſſos vero humores, aut denſos, aut glutinoſos tanquam fœces adhærere parietibus vaſorum plurimorum morborum effectores. Hiſce expoſitis, quæ ab aliis animadverſa ſunt de vitioſitate ſanguinis multimodis contracta, adjicio, quæ mihi ſimiliora veri videntur, captuque faciliora. Duobus modis opinor, vitiari poſſe ſanguinem, per corruptionem eſſentiæ, atque per ablationem convenientiæ inter quantitatem diverſarum partium componentium. Corrumpitur eſſentia ſanguinis per diſſolutionem partium, eo prorſus modo, quo res reliquæ corrumpuntur, uti docet Hippocrates, aliique Leucippi, Democriti, & Epicuri fautores. Licet autem generalis corruptionis modus unus ſit, partium componentium diremptio, tamen cum hæc fieri poſſit inter plures, vel pauciores ſanguinis partes, & inter iſtas major, vel minor, ſequitur plures quoque, & diverſas eſſe mutationes, & a naturali miſtione receſſus. Aliquando priore miſtura deſtructa, nova fit partium confuſio, & novus humor ad ſenſum generatur ab ſanguine colore, habituque diverſus, qualis aliquando apparuit in

D phle-

phlebotomia, qualem ſe vidiſſe teſtatur Jacobus Vvaſdichius apud Mangetum in quodam Canonico Segneſtadio, cujus inciſa vena fudit humorem nullum habentem veſtigium ſanguinis, ſed ſimilem albumini ovi, vel ſeri gelatinæ, vel ſaniei. Aliquando etiam ita dirimitur compago partium, ut iſtæ in extracto diſſolutæ, & ſine ſolita coagulatione maneant, neque tamen ad ſenſum diverſum humorem proferant; ſicuti mihi aliquando obtigit obſervare in ſanguine maligne febrientium, qui tamen e medio ſublati ſunt. Alio modo a ſuo ſtatu recedit ſanguis, cum auſertur convenientia inter diverſas partes ſanguinem compingentes; quas ineſſe aliarum rerum compoſitio oſtendit, ciborumque, ex quibus ſanguis ſuccreſcit: quas tamen non actu, & ſua forma præditas ineſſe autumo ſub phyſica conſideratione, ſed tantum potentia, donec ſanguis naturaliter habet. Id tamen vitium levius eſt quam prius expoſitum, contrahiturque ex majore copia quam natura petit calidarum, & tenuium particularum, quas bilioſas vocant, cumulata; vel ſiccarum, & frigidarum, quas melancholicas; vel frigidarum, & humidarum, quas pituitoſas vocant. Id vitium appello leviorem cacochymiam, ſicuti primum graviorem, ſi omnium, vel plurimarum partium diremptus factus ſit. Cum autem humor exoticus, præterque naturam illabitur in ſanguinem, parit vitium ejuſdem, ad alterutrum ex propoſitis ex facili reducendum. Hæc ſufficiant pro explicatione depravati, corruptique ſanguinis intra venas, quantum huc attinet: exiſtimoque, de qua re nihil ſenſus judicare poteſt, non multo plura probabiliter addi poſſe. Quod vero dicebat Sanctacrux, craſſos, denſos, & glutinoſos humores affigi immobiles tunicis vaſorum, improbabile non cenſeo, ſed rarum eſſe affirmo ex teſtimonio eruditorum, qui plurimum verſati
in

in cadaverum proſectionibus nihil tale ſe inveniſſe mihi aſſeruerunt.

Præmiſſa brevi notione cacochymiæ, proximum eſt, ut deliberem de venæ inciſione in ea celebranda, vel prætermittenda. Ac quidem celebrandam eſſe decerno, ſi humores venarum, amiſſa naturali bonitate, etiam quantitate mediocritatem exſuperent, quando eadem ratio valet in redundantiam vitiati, probique ſanguinis. Fortaſſis dubitari poteſt, utrum ſanguis vitiatus ea copia poſſit acervari, qua probus, eamdemque producere vaſorum diſtenſionem; de quo diſputandum non eſt; ſed eo poſito incremento, & cumulo, nequit ambigi de opportunitate phlebotomiæ ad eum detrahendum; niſi præſens morbus, vel imminens lentiorem, tardioremque aliis adminiculis factam detractionem permittit. Palam eſt redundantis mali ſucci germanum remedium eſſe purgationem; quam tamen ſæpe cogimur procraſtinare propter cruditatem, vel aliud vitium materiæ, vel occluſas vacuationis vias, vel propter longius ſpatium; quo perficitur expurgatio. Subitam itaque morbo flagitante redundantiæ ablationem, quo citius auxilio moliemur, quam icta vena ocyſſime ſuperfluum adimente? Sin autem cacochymia non ſuperet mediocrem quantitatem, neque vaſorum inſolitam diſtenſionem pariat, videtur ceſſare præcipuum argumentum ſanguineæ detractionis; & nihilominus clari nominis auctores ab ea non temperant: quorum deliberatio plures morbos attingens penſitanda naviter eſt. [a] Celſus docet, ſi materia deeſt, vel integra eſt, alienam eſſe, atque incongruam venæ vulnerationem; at ſi copia ſui male habet, vel corrupta eſt, nullo modo melius ſuccurri. Verum quo [illegible] corruptum ſanguinem educemus? Quali-

D 2 tate

(a) *Lib. 2. cap. 10.*

ſtate nocet, non quantitate, quæ ſola detractione curatur; ſicuti qualitas per oppoſitam qualitatem tantum corrigitur; ideoque Galenus nunquam ſanguinem mittit, ubi humores venarum plurimum ab illius natura diſtant. Quid autem magis inde diſtat, quam corruptus ſanguis, ſi corruptio ſit abſoluta, non incipiens, & emendabilis. Imaginemur vel majorem portionem ſanguinis corruptam eſſe, vel minorem, vel æqualem, vel totum ſanguinem corruptione affectum. Plurimo ſanguine polluto ſine ſpe emendationis, ſi uncias, puta, decem haurias, aliquam etiam portionem immiſti boni vacuabis, prætereaque certam quantitatem ſpirituum, qui per omnia vaſa fuſi & motu perenni agitati ex aperta vena promptiſſime evolant. Quid igitur commodi ſperabis ex ſcalpello in hac ſanguinis conditione? Detrahis paucas uncias corrupti integro permiſtas, plures libras in venis vitiati relinquis, & inſuper multos ſpiritus diſſipas. In æquali vero quantitate corrupti, incorruptique humoris par, vel efficacius argumentum urget venæ ſectores. Neque porro confugiendum eſt ad rationem a pluribus inculcatam, vitioſum ſanguinem naturæ oneri eſſe, per emiſſionem tolli partem oneris, levari naturam, & roborari ad vincendum quod ſupereſt infeſti. Quippe tantum roboris ineſt naturæ, quantum boni ſanguinis per venas commode fluit, quibus reſeratis effluunt contenta ſine delectu, parque portio utilis, & inutilis, ſi pares portiones continentur. Age nunc: venam feri, ut partem oneris adimas, recrees, muniaſque naturam adverſus reliquum onus. At ſi ſimul tantundem virium eripis, præclare vides, naturam recreatum non iri, æquali parte oneris, & virium ſubducta. Porro ſpeculatione non opus eſt, ut noſcas in majore quantitate intacti ſanguinis quam polluti non ſanam eſſe deliberationem, ſex uncias,

pu-

puta, inculpati effundere, ut duas mali emittas. Cum autem totus ſanguis inemendabili vitio affectus eſt, neque ducendi conſilium ſupereſt, neque ſpes protrahendæ vitæ. Quamlibet igitur opineris ſanguinis contaminatam eſſe portionem, inde nullum poteris arripere argumentum cruentandæ venæ, duntaxat ut partem aliquam contaminati excernas. Poſſunt tamen cum mala qualitate ſanguinis conjungi alii affectus, propter quos utiliter vena reſignetur. Pone ex multa in ſanguine bile cumulata continuam, & vehementem febrem accenſam eſſe. Inde totus ſanguis agitatur, æſtuat, & tumet elevat copiam calidorum halituum, plus ſolito diſtendit vaſa ex copia halituum, & tumente ſanguine minuitur perſpiratio, augetur fomes febrilis. Si venam tundas, ut ex facto foramine erumpentibus copioſe halitibus, augeatur perſpiratio, minuatur fomes febrilis, nonne probabili duceris argumento, & medicationem temere non inchoabis? At enim conſultius eſſet, purgatione bilem educere, quam ſcalpello ſanguinem. Concedo: & quidem ita exequendum decernerem, ſi ſperare poſſem, commotionem materiæ crudæ, & nondum ad ſeparationem diſpoſitæ bene ceſſuram eſſe, quod nec Hippocrates ſperavit, nec ſperabile natura oſtendit, ſolum poſt coctionem criſes moliri conſueta. Cum optimum in morbis efficere nequimus, quod poſſumus optimum eſt, ſi unicum; nec hactenus inventa eſt fortium febrium continuarum melior curatio. Fateor tamen non in omnibus febribus, in quibus plurimi ſanguinem vel iterato effundunt, in promtu eſſe congruam rationem ſperandi levaminis, niſi liceat cum Willisio fabulari, qui hæc habet: (a) *Enim vero vaſis aperto foramine ſtatim ſanguis fermenteſcens particulas extraneas, quæ licet una congeſtæ, & ſui portionem iſtam, in qua plurimæ aggre-*

(a) *De Phlebot. ſect. 3. cap. 1.*

aggregantur, foras extrude ." Itane, ubi agitur de vita mortalium, pro ratione utimur arbitrio, noſtraque ſequimur deſideria, tanquam argumenta ex arte agendi? Utinam, bone Deus! ita contingeret, uti optat Vvilliſius. Quam utiliter ſanguis emitteretur! Quam frequentes eſſent boni ſucceſſus! Quantum patrocinii nacti eſſemus contra Eraſiſtratum, alioſque phlebotomiæ oppugnatores! qui tamen, uti credo, ad has imaginationes riſu diſſilient. Docta quidem eſt natura ſine doctore, pluraque mira facit arti impoſſibilia; ſed hæc effectu cognoſcimus, nec aſſumere poſſumus eſſe facturam naturam, niſi conſtet facere conſueviſſe. Dicam cum Vvilliſio, ſimul ac vena aperitur, ſanguinem pollere ingenio congregandi extraneas particulas, & congregatas excludendi, ſi mihi conſtet de facta congregatione, & expulſione; ſed ſine hac notitia nonne videar deſipere, ſi cum Vvilliſio fermenteſcenti ſanguini eam vim tribuero? Exulet e ſcholis medicis poetica imaginandi libertas, & apertiſſima inanitas opinionum. Erratum in ſanguinis detractione eſſe capitale poteſt; de quo propterea fundendo quæſtio graviter, intenteque pertractanda eſt, non perfunctorie, & pueriliter.

Sanctacrux [a] tanquam evidens judicat in putrefactione ſanguinis, ſive incipiente putredine venæ punctionem indicari, cauſſatus materiam peccantem eſſe ſanguinem per venas facile vacuandum, nullo modo ſubditum medicamento purganti, neque alterantibus corrigendum. Miror autem, virum dogmata Galeni profitentem ſtatuiſſe, in ſanguine putreſcere incipiente, non eſſe tentandam per alterantia putredinis cohibitionem, docente Galeno, exemplo vini imperfectam, neque terminum aſſecutam putredinem corrigi poſſe, & liquorem in priſtinum vindicari.

Re-

(a) *De Impedim. ag. auxil. cap. 5.*

Retinendus igitur ſemiputridus ſanguis, reprimendaque alterantibus putredo, niſi aliunde ſuadeatur extractio, videlicet ab utilitate in febre ſperabili, ut ſupra expoſitum eſt, vel alio nomine. Fortaſſis etiam non improvidum conſilium eſſet, ſi quis conjiceret, gravem putredinem late fuſum iri per ſanguinem, principio morbi, antequam vires acciduntur, & magna ſanguinis portio plane corrumpitur, certam illius quantitatem emittere; quo minor quantitas corruptioni ſuperſit; dummodo aliunde non timeretur ex emiſſione noxa.

Huc ſpectat, ut inquiram in celebre præceptum Galeni, pro curatione melancholiæ jubentis vulnerari venam in brachio, oblata conjectura, ſanguinem melancholicum in univerſi corporis vaſis contineri, non ſolius cerebri, ſub ea conditione, ut vulnerato vaſe, niſi ſanguis melancholicus appareat, ſtatim obturetur vulnus, nihilque ſanguinis ducatur. Ergo videtur, nihil eſſe poſſe Galeno in cauſſa ſolvendæ venæ in melancholia præter qualitatem melancholici humoris, & proinde videtur phlebotomia non ſolum redundantis humoris remedium eſſe, ſed etiam vitioſi citra redundantiam. Quanquam autem a pluribus flocci penditur auctoritas Galeni, vigente tamen etiamnum præcepto ſi non ob auctoris cultum, certe propter vim conſuetudinis, illud expendere non prætermittam. Horatius Augenius vir plane doctus, (a) atque doctrina galenica inſtructiſſimus demonſtrat, Galenum imperantem venæ ſectionem abſque plenitudine habere pro ſcopo revulſionem; idemque Galenum pariter ſenſiſſe in curatione melancholiæ genitæ ex conſenſu totius corporis inde ducitur, quod ille medicationem cacochymiæ congeſtæ vel copia bilis flavæ vel atræ inſtituit purgante accommodato ſuperanti humori, non ſan-

(a) *Tom. 3. epiſt. lib. 5*

ſanguinis detractione. Sed donemus, Galenum ſanguinem melancholicum fudiſſe non tollendæ multitudinis cauſſa, non revulſionis celebrandæ, ſed tantummodo ad extrahendam partem vitiati humoris; ejus nihilominus conſilium ſupra ſtabilitis non opponeretur, neque probaret venæ punctionem, congruum inſtrumentum eſſe vacuandi pravi humoris abſque ſuperflua copia. Aſſerens, vacuationem per phlebotomiam pertinere ad quantitatem immodicam; non labem ſanguinis, intelligo perperam tundi venam ad educendum vitioſum ſuccum confuſum cum ſanguine, vel ejuſdem corruptam partem, quod ex aperto foramine ſine delectu humores ſcaturiunt. Ceterum toto ſanguine melancholico reddito, ſi quis portionem hauriret, ut ex ſequente congruentiore victus ratione melior ſanguis generaretur, & facilius ſuperſtes corrigeretur, non video cur reprehendendus foret. Si tamen inciderem in febricitantem ſanguinis melancholici ſine copia ſupervacua, non eum ea ſpe detraherem, ut ſuperſtes idonea victus ratione ad meliorem ſtatum perduceretur. Quippe febris turbans, debilitanſque coctionem, ſicque impediens generationem boni ſucci operam abſque dubio fruſtraretur: non tamen fruſtra eſſet ſanguinis effuſio in cacochymia melancholica citra febrem admittente per alias cauſſas ſalubrem correctionem. Siquidem autem ſanguis melancholicus craſſus eſt, & obſtaculum liberioris perſpirationis; & venæ inciſio eum commovendo attenuat, ſicque auget perſpirationem, hac item utilitate incidere venam licet. Hic memoratu digna eſt curatio facta a Galeno cujuſdam nobilis mulieris affectæ cacochymia melancholica cum extenuatione carnoſæ ſubſtantiæ, & dejectione appetentiæ; in qua licet totius corporis moles valde conſumpta foret, tamen eminebant venæ ſanguine plenæ, colore lividæ. Primo itaque medi-

medicationis die Galenus ſanguinis ſeſquilibram elicuit; poſtridie libram, tertio uncias octo, ſicque ægrotanti bonam valetudinem reſtituit. Duplici titulo profuit repetita venæ inciſio, imminutione quantitatis, & correctione qualitatis, ideſt craſſitudinis ſanguinis attenuati per iteratas detractiones.

Sententia, quam tueor, refellens in cacochymia abſque copia venæ apertionem ut evacuantem, eo fulcitur, quod humores ex reſerato vaſe ſine delectu ſcatent, contra quam nonnullis oppugnatoribus viſum eſt. Hos igitur audiamus. Mediocri, inquit Proſper Martianus[a], facta ſanguinis detractione, is tantummodo emanat, qui optimus eſt, degener impuruſque relinquitur, cum incremento cacochymiæ; ſuamque opinionem deſumit ex Hippocrate affirmante, in jugulatis primum ſanguinem calidum, & ruberrimum exire, deinde pituitoſiorem, & bilioſiorem. Favet evidenter hæc opinio Martiani mihi affirmanti, in cacochymia ſine copia non expeti phlebotomiam ut evacuantem, quatenus aſſerit illa per mediocrem ſanguinis quantitatem extractam exigi quod purius eſt, atque vividius, relinqui impurum. Quis enim inde non perſpiciat in cacochymia, in qua portio ſanguinis ſalva ſit, nec adſit copia naturali major, non convenire moderatam ſanguinis effuſionem, ſcilicet hauſturam inprimis purius vitioſo ſuperante? Verumenim vero hoc patrocinio uti mihi non placet, conſtanter ſentienti liquidum venarum ex inflicto vulnere pro ratione commiſtionis ſine diſcretione erumpere, niſi diſcretio commiſtarum partium fiat, quo tempore vena vulneratur; quæ mihi factu difficillima videtur, & ab veri ſimilitudine abhorrere. Cur autem melior, & rubicundior ſanguis primum exilict? An quia tenuior, levior mobilior-

(a) *De Natura Humana in Com. Hipp.*

biliorque? Ceterum docet Hippocrates aquam eorum, quæ in ſanguine continentur, graviſſimam eſſe; quam tamen una cum ſanguine egredi cernimus, modo in majore, modo in minore quantitate, ut eſt major, vel minor quantitas per ſanguinem fluctuans. Aſpicimus inſuper in mediocri ſanguinis emiſſione ex pleuriticis puriorem tantummodo partem non exire, ſed omnes indiſtincte; uti apparet ex vitioſa ſuperficie in liquore emiſſo, & coagulato, quamvis principio morbi totus ſanguis eadem labe non ſit affectus; quare hic ſolus in moderata extractione ex placito Martiani deberet emanare. Item Sanctacrux exiſtimat in cacochymia, quam vocat cum ſupernatantia bilis, uberiorem portionem ſanguinis, quam bilis ex inciſa vena effluere; idque inde colligit, quia in febribus bilioſis ab ſectione venæ plus vividi ſanguinis, quam bilis in vaſculis apparet. Inane tamen id argumentum prorſum eſt, niſi probetur, majorem bilis portionem quam ſanguinis in eis febricitantibus contineri, eamque ſub propria aſpectabili forma. Quis autem id probandum aſſumat? Quis probari poſſe ſperet? Siquidem univerſus ſanguis venarum in conſpectum non venit, ut diſpicere liceat, quota pars ſit ſanguinis proprie dicti, quota bilis. Itaque quantum conjectura aſſequi poſſumus, quicquid fluidum eſt in venis, commiſtumque ex apertis promiſcue ſcatet, & pro cujuſque quantitate: de quo ſi dubitatum eſt ab aliquibus Antiquis, certe dubitari nequit a Recentioribus fere omnibus pro evidenti habentibus, ſanguinem per omnia vaſa ab externo impulſu circumduci abſque dubio foras expellente ſine delectu, quicquid effluere aptum eſt. Non intelligo tamen, quam convenienter ad ſuam doctrinam plures ex hiſce auctoribus moneant, ut late vena perforetur, quo poſſit ſanguis æqualiter miſtus exire ſine diverſarum partium dirern-

remptu. Ut id recte dixerint Antiqui, tamen qui volunt ſanguinem totum per carnium poros, aut capillarium anguſtias citiſſime trajici, cur dubitant, ne tota ſanguinis compages ex vulnere anguſtiore exiliat, cujus tamen anguſtia multum ſuperat capacitatem capillaris meatus?

Perfecto, & concluſo, a cacochymia univerſali vaſorum non peti vacuationis gratia venæ punctionem, adnoto in particulari, hoc eſt vitioſis ſuccis in particularibus vaſis concluſis non alio remedio promptius ſubveniri, quam eorum apertione; quæ fieri ſolet cucurbitulis ſcarificatis, in hunc finem, ut ait Celſus,[a] præcipue inventis, ut affectis partibus deplendis inſerviant. Hac ratione, ſi concedimus limoſum, & fæculentum ſanguinem ab reliquo ſepoſitum in vaſa ſedis demitti, congerique, ut opinati ſunt Antiqui, quis non videat, viam vacuationis appoſitiſſimam eſſe eorumdem vaſorum aperturam?

C A P U T IV.

De Indicante Phlebotomiæ ut revellentis, & derivantis.

REvulſioni, & derivationi per venæ ſecturam obtinendæ adeo ab Antiquis celebratæ inculcatæque non pauci Recentiores, ne legibus Circuitionis contradicere viderentur, vale dixerunt, alii etiamnum ſuffragantur, ut expoſui in nova ſanguinis Circuitus inquiſitione: qui ſi minus cum ejus legibus congruunt, certe congruunt cum uſu ſalutari venæ ſectionis tandiu ſtabilito. Utiliter igitur non ſolum ex Priſcorum doctrina, ſed etiam plurium Recentiorum indagabo indicantia phlebotomiæ, ut vim

(a) *Lib. 2. cap. 11.*

habet revellendi, derivandique; eaque colligam ex ipſis definitionibus revulſionis, & derivationis. Revulſio, uti communiter definitur ab ſcholis, eſt humoris in aliquam partem fluentis averſio ad oppoſita diſtantiſſima: ceterum videtur aptior definitio, ſi dixeris, eſſe averſionem humoris præter naturam, & pernicioſe fluentis. Unde patet indicans revulſionis per venæ punctionem, eſſe motum ſanguinis præter naturam, non ſitum, & conſenſum partium, uti viſum eſt Horatio Augenio[a]. Inventa eſt revulſio ex contrarietate locorum, ſituſque partium affectarum, aliarumque conſentientium; eaque docet, ubi efficienda ſit, ſed a motu vitioſo reprimendo indicatur. Ut enim quod evacuatur indicans primarium eſt evacuationis; item quod avertitur, indicans eſt primarium averſionis. Ergo ſanguinis in partem aliquam motus contra naturæ inſtitutum indicans eſt principale venæ ſectionis, dummodo motus ſit celer, & cum impetu factus, vel magnum morbum excitans, vel excitare paratus. Quandoquidem lentus, & debilis aliis inſtrumentis, quæ magnis remediis non adſcribuntur, emendari, cohiberique poteſt, ſcilicet cucurbitulis ſiccis, frictionibuſque: nec unquam ſcalpellum diſtringendum eſt, niſi adſit indicantis magnitudo, in fluxionibus ab impetu motus oriri ſolita. Pariter niſi fluat humor, ſed eſſe in procinctu cognoſcimus, & inde non leve detrimentum imminere, ex arte venam ferimus, inhibituri futurum impetum. [b] Sic Hippocrates non ad ſolos curandos morbos, ſed etiam futuros arcendos jubet vulnerari venam longiſſime a locis, ubi dolor, & ſanguis cogi didicit; ut ita conſuetudo mutetur, nec eodem ſanguis, morbuſque redeant. Fluens humor curationis gratia

petit

(a) *Lib. 2. de ſang. miſ. cap. 18.*
(b) *Lib. de Oſſium nat. num. 13.*

petit revulſionem, fluxurus præſervationis: qui ſane antequam fluere incipiat, per venam ictam in parte contraria non retrahitur, ſed ſolum impeditur, quo minus fluat ad locum conſuetum, & hoc reſpectu in ſchola medica laxiore philoſophica revelli quodammodo dicitur, & revulſio pertinere ad lapſum, lapſurumque humorem. Quanquam autem revulſio per partem contrariam, & quantum licet, a loco affecto diſſitam celebratur, tamen ſervandus eſt ex veteri doctrina rectus vaſorum proceſſus, quo citius, & fortius vis motus contrarii communicetur aberranti e via ſanguini: ideoque (a) doctiſſimus Fernelius inter interna, externaque, dextra, & ſiniſtra, anteriora, & poſteriora, inferiora, ſuperioraque contrarietatem idoneam revulſioni non agnoſcit, niſi inter ſectam venam, partemque affectam rectus fibrarum, vaſorumque poſitus interſit.

Adverſarii phlebotomiæ, ut hanc extra Medicinam eliminent, nec uſquam conducibilem probent, iccirco ad revellendum inhabilem judicant, quod conſtat, pertuſam in brachio venam non valere compeſcendo ſanguini, e naribus exilienti, licet adſint debitæ conditiones diſtantiæ, contrarietatis, directique ſitus: quibus equidem manus victas darem, ſi labente e naribus ſanguine, ſemper brachium fruſtra cruentaretur; tamen utiliter cruentari ſæpe experientia oſtendente revulſio comprobatur. Quod ſi remedia aliquando fruſtrata rejicienda ſunt, non video, quæ poſſint adprobari tanquam in omni occaſione reſponſura, nullo occurrente, quod aliquando expectationem non fefellerit. Fac omnia eſſe paria in morbis, idem remedium quod ſemel profuit, ſemper proderit: diverſitate aliqua non prodeſt, quæ impedit effectum, inſitam

(a) *Lib. 2. Meth. cap. 5.*

tam virtutem non redarguit, idem ſemper acturam, ubi patiens idem prorſus erit.

De derivatione diffident inter ſe, diſcordantque auctores, quam alii pertinere credunt duntaxat ad illapſum humorem, partemque obſidentem; alii illabentis remedium faciunt, conſtituuntque, derivationem eſſe fluentis humoris averſionem a parte affecta per propinquas: ex quorum ſententia idem eſt indicans revulſionis, & derivationis, totumque diſcrimen ſumitur ex loco, per quem fluens humor a parte impetita revocatur; qui in revulſione valde diſtat a parte afflicta, parum in derivatione. Ut litigium paucis expediam, aſſero, derivationem ſpectare tum ad humorem illabentem, tum illapſum, dummodo liquidus ſit, aptuſque ad ſequendum curſum manantis ſanguinis e vena puncta: idque tantummodo inter revulſionem, derivationemque intereſſe exiſtimo, quod illa propter loci diſtantiam vim debilem habet commovendi humoris ad ſedem morbi delati, validiorem habet derivatio propter loci propinquitatem. Quare ſolam molituri derivationem, venam ipſam, cum permittitur, inſertam in partem afflictam, & huic propinquam vulneramus. Secantes igitur venam in loco affectionis tantummodo evacuamus; in diſtantiſſima tantum revellimus; in ſpacio inter utramque medio revellimus, derivamuſque; quoque magis accedimus ad partem affectam, magis derivamus, minuſque revellimus; & contra magis revellimus ex longiore a parte affecta receſſu. Is duntaxat humor neque revulſioni, neque derivationi exponitur, qui loco laboranti affigitur inhabilis ad fluorem, nec alio inde removeri modo poteſt, quam per ipſam partem obſeſſam.

Revulſio magis facit ad præpediendum ægrotationis incrementum, derivatio ad tollendum, quod genitum eſt, ut

ut pote inſtituta ad removendum humorem in parte morbida concluſum, vel in propinqua. Ut autem revulſionis, & derivationis diverſus ſcopus eſt, item diverſum tempus. Revellitur humor, quo tempore in partem concitatur, irruitque: derivatur, cum impetus fluxionis, ardorque remiſit: cujus tanto major remiſſio expectanda eſt derivationem molituro, quanto propinquiorem vexato membro venam ferire mens eſt. Quippè inventa fuit derivatio ad ſupplendam vacuationem ex parte laborante vetitam ab illius interiore ſitu, vel dolore, aliove impedimento. In pleuritide dextri lateris vena cubiti in eodem latere perforata derivare creditur ab pleura progreſſum eo humorem; itemque ab oculo inflammato vena, quæ in alterutrum fertur angulum; & ab aure vena, quæ ſub ipſa exiſtit. Quanquam autem harum omnium venarum vulnera derivare dicuntur, tamen præclare vides, quanta ſit diverſitas inter has derivationes, accepta a majore, vel minore propinquitate loci, in quo vena propter eumdem finem præciditur: eademque diverſitas oſtendit quocunque morbi tempore ex eadem parte derivare non licere. Derivationem in Pleuritide opportune peragimus initio morbi pertuſa vena brachii id loci occupante, ut neque magna diſtantia ab inflammata membrana derivationem impediat, neque magna propinquitate revulſionem. At, puta, in Phrenitide non auderem ſanguinem e venis frontis, vel narium derivationis cauſſa haurire, niſi fluxionis impetus reſediſſet, præmiſſaque revulſione; ſicuti præceptum eſt a Majoribus, veritis, ne ſine dictis conditionibus recluſo vaſe parti laboranti propinquo, eo major humorum copia alliciatur. Quocirca, cum in principio ægritudinis, & impetu fluxionis derivamus; id apte efficimus ex ſitu, conſenſuque partium præbente opportunitatem ſimul revellendi, derivandique.

Mo-

Modus effundendi ſanguinis revulſionis gratia, judice Galeno, eſt quo modicum detrahitur, parcaque detractio pluries, ut vires ferunt, iteratur. Sic proponens Galenus[a] curationem ſanguinis e naribus erumpentis paulum adimit, & horam unam intermittit, inſtauratque pluries hoc intervallo vacuationem, ſi ab indigentia poſtuletur, permittatur a viribus. Hanc revellendi rationem, quamvis a plurimis Medicis adprobatam, tanquam abuſionem refutat Proſper Martianus[b] in explicatione textus Hippocratis: *In vulneribus ſanguis concurrit; opitulandum igitur, ut vacuum impleatur*. Pro repletione vacui interpretatur Martianus, revulſionem, quæ humoribus ad partem aliquam extra leges naturæ fluentibus occurrit, vel totum corpus deplendo, vel partes adjacentes loco affecto. Cum itaque notabilis ſanguinis detractio, non exigua idoneam inanitionem totius, vel certarum partium præſtare poſſit, vellicat Galenum, ejuſque fautores, qui duas, vel tres ſanguinis uncias eliciunt, paremque repetunt detractionem revulſionis impetrandæ gratia. Et hercle generatim galenica revocandi humoris ratio admitti nequit; meritoque redarguitur in morbo forti, ortoque ab concitato humorum curſu; cui feſtinam revulſionem expoſcenti minus opportuna eſt facta per minutas vacuationes, perque intervalla iteratas; opportunior eſt altera acervatim facta; ut ſervata proportione virium inter contraria, celeriter irruenti humori oppoſiti motus pari, vel etiam majore celeritate obſiſtamus. In derivatione vero ſemel effundenda eſt tota quantitas, quæ requiritur ad cito inaniendam partem, non partitis vicibus; ne mora humor illapſus magis parti adhæreſcat, & inde difficilius abducatur.

CA-

(a) *Lib. 5. Meth. cap. 3.* (b) *Lib. 6. Epid. ſect. 5.*

CAPUT V.

Expenditur celebre præceptum Hippocratis de vena præcidenda.

IN *acutis paſſionibus ſanguinem mittendum eſſe, ſi fortis appareat morbus, & qui habent, vigentis ſint ætate, & robur ipſis adfuerit*, eſt notiſſimum præceptum Hippocratis, vel alterius doctiſſimi, graviſſimique auctoris. Dubitat vehementer Galenus, ſit ne liber quartus de ratione victus acutorum, Hippocratis, an alterius, non vero de illius præcepti præſtantia, quod permagni facit, & profitetur, Senis graviſſimam Doctrinam ſapere. Ex ea ſententia tres ſunt conſtituti venæ cruentandæ ſcopi primarii, magnitudo morbi, robur virium, vigor ætatis, qui tamen non eandem habent ſcopi rationem. Convenit enim inter auctores, a morbi magnitudine indicari phlebotomiam, a robore permitti; ætatem vero roboris indicium eſſe, quam aliqui proinde ad robur referunt, duoſque tantum ſcopos faciunt, morbi magnitudinem, viriumque firmitatem. Ipſe pariter ea tria ſcopos appello, nomine ſcopi intelligendo, quod offertur Medico ſpeculandum pro remedio recte determinando; in qua ſignificatione omne indicans ſcopus eſt, ſed non omnis ſcopus rationem obtinet indicantis. Sic ex illis tribus ſola morbi magnitudo indicans primarium ſimul eſt, atque ſcopus: reliqua duo, ſcopi quidem ſunt, non tamen primaria indicantia Hoc loco acres miſcentur controverſiæ de indicatione magni morbi, ſervetque Horatius Augenius contendens contra Alexandrum Maſſariam, ab grandi morbo grande dumtaxat generatim remedium peti, non ſingulare venæ punctio-

ctionis, ut mihi videtur, veriorem partem ſecutus. Namque omnis morbus indicat remedium ex contrarietate cum remedio; qua ratione calidus indicat frigidum, ſiccus humidum, pariliſque modo alii morbi alia contraria. At nulla contrarietas apparet primo, & per ſe inter morbum magnum, & phlebotomiam, nec apparere poteſt, niſi ex magnitudine morbi contracta ad aliquam differentiam. Morbus poſcit ſui expulſionem per contrarium, & quatenus inter morbum, & contrarium certa requiritur menſura, ſi morbus magnus eſt, magnum quoque remedium exigit, cujus tamen differentia non innoteſcit, niſi ex differentia magnitudinis morbi. Certe Hippocrates in textu non de quacunque magnitudine morbi locutus eſt, ſed conjuncta cum acutie, ſeu celeri motu: nihilo tamen minus inde non elucet magnitudinis diſcrimen, potius ſanguinis detractionem, quam aliud magnum remedium expoſcens. Quo pacto igitur ad veritatem interpretabimur Hippocratis præceptum adeo commendatum a Galeno; Valleſius duplici ratione (a) conatur illud ab omni dubitatione, & difficultate vindicare, & primo fatetur, a magnitudine affectionis non denotari per ſe ſpeciem remedii, & ſanguinis detractionem; denotari tamen ex accidenti; ſiquidem nunquam ſanguinem detrahimus, quin adſint affectus vehemens, vireſque firmæ. Utriſque vero præſentibus nunquam ab ſcalpello ideirco temperamus, quod nunquam cum validis facultatibus morbi vehementia conjungitur, per ſe ſanguinis miſſionem non ſuadentis. Eſt igitur Valleſio morbi magnitudo una cum virium firmitate indicatio ex accidenti ducendi ſanguinis, tanquam indicium, ſubeſſe morbum per ſe poſtulantem emiſſionem; & hoc pacto tuetur Hippocratis decretum in omnes morbos valere,

(a) *Lib. 3. contro. cap. 1.*

ſere, nulla facta exceptione. Veruntamen hanc Valleſii defenſionem ipſe Hippocrates infirmat, qui in Pleuritide dolore deſcendente infra ſeptum tranſverſum utitur purgatione, prætermiſſa venæ inciſura: atque in libris de morbis, de affectionibus, aliiſque docet, inflammationes varias corporis partes occupantes ſola purgatione curari, eas ſcilicet, animadverſione Proſperi Martiani[a], in quibus prævalet cacochymia plenitudini: & tamen hæ inflammationes morbi ſunt acuti, vehementeſque, cum virium robore idoneo tolerandæ purgationi a Sene imperatæ. Altera ratio Valleſii pro ſaucianda vena in omni magna ægrotatione eſt, quia omnis ingens ægrotatio magnum aliquod auxilium flagitat, & hoc qualecunque ſit, rectius adminiſtratur miſſo prius ſanguine. Ruit tamen hæc quoque ratio ex ipſo Hippocrate, præcipiente uſurpationem magni remedii, hoc eſt purgationis materiæ turgentis, itemque affluentiæ bilioſæ effectricis inflammationis internæ, nulla præpoſita ſanguinis effuſione. Aliorum igitur interpretationibus omiſſis, dicam quod mihi minus ab veritate diſtare videtur. Vidimus, ipſum Hippocratem non in omnibus acutis cum viribus robuſtis ſanguinem duxiſſe; ideoque ad omnia inutilia litigia declinanda animadverto hanc propoſitionem: In acutis paſſionibus mittendus eſt ſanguis, ſi morbus eſt fortis, robuſtus æger, & vigenti ætate, eſſe indefinitam, & ſolum moraliter univerſalem, non logice: ſicuti dicunt ipſi Logici propoſitionem indefinitam in materia contingente, qualis eſt iſta, Cretenſes ſunt mendaces, eſſe tantum moraliter univerſalem, non logice, nec omnes ad unum Cretenſes comprehendere, ſed tantum pleroſque. Hac eadem limitatione accipienda eſt Hippocratis præceptio de vena tondenda in acutis,

 aliæ-

(a) *Lib. 4. de rat. vic. acut.*

aliæque plures ejuſdem auctoris, ut eſt in confeſſo. Verum enim vero vel aliqua poſita ejus præcepti exceptione, non fruſtra Galenus idem tot laudibus proſecutus eſt: Cum enim in Medicina operoſa valde ſit inveſtigatio ſingularium indicantium exhibitorum a ſolis proprietatibus morborum, & multo operoſior conſecutio, magno in pretio habendum eſt præceptum, quod in magna rerum ambiguitate paucis regulam complectitur eliciendi ſanguinis; quam ſi quis etiam nulla adhibita diſtinctione obſervaret, identidem, ut opinor, ſalutariter emitteret, nunquam cum notabili jactura; dummodo convenirent expoſitæ conditiones, & emiſſio foret moderata, & in principio facta; dummodo morbi acuties, ut audit apud Hippocratem, ſumatur, qui animadverſione Valleſii(a), morbum, & alia quæcunque acuta vocat, quæ cauſſas calidas ſequuntur, celeritate, & vehementia teſtatas. Pone indicatum ab Hippocrate in morbo concurſum. Hic certe conjungi nequit cum ſpirituum paucitate, neque cum ſanguinis inſigni corruptione, adverſa firmitati virium, quam aſſumimus adeſſe. Abeſt igitur periculum infligendæ notabilis noxæ ab icta vena, non abeſt ſpes reportandi levaminis innixa ætatis, viriumque fortitudini, urgente affectu vehementi celerique, cui fovendo licet opinari non parum conferre ſanguinem aut copia, aut æſtu, & nimia rarefactione, aut motu præter naturam.

CA-

(a) *In Prognoſtico Hippocratis.*

CAPUT VI.

De impedimentis venæ ſectionis acceptis a rebus naturalibus, & primo a viribus.

DUo requiruntur recte, ſapienterque deliberaturo in omni morbo remedia, ſive magna ſint, ſive mediocria, ſive parva, præſentia indicantis, vacuitas impedientis: cumque ſatis de indicante phlebotomiæ diſputaverim, proximum eſt, ut perſequar impedimenta, de quibus ſcripſit non inerudite Antonius Ponte Sanctacrux; nec ego tractare conſtituiſſem, niſi alia occurrerent adimenda, alia addenda, multa illuſtranda, propter tot novas opiniones evulgatas, deſertamque Galeni doctrinam poſt opus Sanctacrucis, illius veſtigiis preſſius inhærentis. Hinc mihi ſupervacua fugienti, niſi fallor, continget, ut cum utilitate non levi Tironum de integro retractem, quæ ab Sanctacruce agitata fuerunt, nihilque olent ex recenti Schola. Servabo tamen meliori ex parte ejuſdem auctoris ordinem, nihilque momenti ab eo indicatum præteribo, meis additis animadverſionibus, & detractis, quæ intermiſcet Sanctacrux, nec pertinent ad ſuſceptam provinciam, ordinemque præſtitutum perturbant.

Quicquid Medicina ſpeculatur, in tres partes diſtribuitur, res naturales, non naturales, præterque naturam, neque quicquam aliud meditetur oportet, phlebotomiam, aliaque remedia adminiſtraturus. Singulas igitur percurram, & veſtigabo, quidnam inde impedimenti objici poſſit uſui grandium auxiliorum, & primo phlebotomiæ, principio examinis ducto a rebus naturalibus, ad quas pertinent vires, temperamentum totius, & partis, habitus corporis,

con-

conſuetudo, ætas, ſexus, & quædam accidentia, veluti ſenſus partium, actionis dignitas, & alia hoc loco expendenda. Nomine virium intelligo facultatum robur noſtris operationibus valide, & ſecundum naturam obeundi compar, oriturque a ſpiritibus, humoribus, & ſolidorum ſubſtantia, duo comprehendente, ut alias oſtendi, convenientem temperiem, & materiæ modum. Cum autem in morbis lædantur actiones, liquido conſtat, vires integras eſſe non poſſe, quam tamen integritatem non requirit venæ ſectio, ſed tantummodo menſuram tolerandæ futuræ jacturæ æqualem, & ſpatio morbi ſuſtinendo; quæ diligenter indaganda eſt, non una, nec æqualis efficaciæ occurrente cauſſa vires infirmante. Unde duplex in Scholis conſtituta eſt debilium virium differentia, quarum aliam eſſentiæ vocant, aliam oppreſſionis. Multa diſputat Sanctacrux de virium debilitate in eſſentia, inquirens, utrum intemperies ſolum facta, an ea, quæ fit, poſſit illam inferre; inquiſitio obſcura, & ſpinoſa, parumque nuperis placitis conſentanea, mihique omittenda, ſectanti clariora. Quantum igitur attinet ad præſens inſtitutum, omnem imbecillitatem in eſſentia appello ortam a cauſſis, virium eſſentiam labefactantibus, nimirum humores, aut ſpiritus aliena qualitate imbuentibus, aut abſumentibus; aut partium ſolidarum temperamentum, aliaſque qualitates ad materiæ modum relatas pervertentibus, quas ſecundas vocant: quare Galenus (4) immoderate laxantia, quæ primas qualitates non immutant, ſed ſolum materiæ modum, cauſſis debilitantibus aſcripſit. Hujus debilitatis, doctrinæ gratia, tres gradus ſtatuuntur, ſummus, magnus, & mediocris, quos quidem determinare generatim in proclivi eſt, ſed valde operoſum circumſcribere, certiſque notis definire,

idque

(4) *Lib. 2. artis ad Glauc.*

idque opus eſt medici prudentis, exercitatique, ſigna majoris, vel minoris imbecillitatis recte judicantis, dum aſſidet ægroto: quæ certum eſt, non aliunde melius deſumi, quam ex actionum offenſa, & in primis vitalium. Omnes facultates in unum coaleſcunt, concurruntque ad efficiendum corpus robuſtum, expeditumque ad officia vitæ, ſed vitalis præ ceteris, quæ uberius ſanguine, & ſpiritibus, irrigatur, hoſque aliis diſtribuit, & cum hiſce vitæ fulcimentum. Teſtatur igitur vitalis facultas conditionem, quantitatem ſpirituum, & ſanguinis, & hac ſignificatione modum virium. Ejus itaque imbecillitas denuntiat, quantum abs ſtatu naturali vires receſſerint, quam ex pulſu metiemur, extremamque eſſe cognoſcemus ex illius magno languore, ex depreſſione, & parvitate. Roborabit indicium reliqua ſpecies corporis, facies decolor, extenuataque, venarum, quæ prominere ſolent, demiſſio, debilis reſpiratio, aliorumque motuum infirmitas. Item prægreſſæ recenter cauſſæ inanientes, vel præſentes non levem vim habent ad ſtabiliendum judicium de imbecillitate, hujuſque gradu; cujuſmodi ſunt vigiliæ productiores, cibi parſimonia, calor exurens, vehemens dolor, aliaque ſatis nota. Quanquam autem primas tribuimus actioni vitali ad virium ſtatum arguendum, ea tamen interdum imponit propter conformationem arteriæ, ſitum profundum, exilitatem incapacem copioſi ſanguinis, laxitatem fibræ muſcularis, vel alia non ſatis perſpecta, apta ad ingerendam ſpeciem debilitatis vera majoris. Non ſemel obſervavi pulſum, parvum & debilem cum robore facultatis animalis, & hac fretus contra pulſus indicium ſpem ſuſtinui; exituſque judicium comprobavit. Interdum etiam pulſus parum diſtat a naturali, ut in aliquibus febribus malignis, neque notabilem virtutis lapſum oſtendit, ſed notabilis

inde

inde arguitur, quod ægri prompte incidant in animi deliquium, ſi velint e lecto ſurgere, & toto languent corpore; ideoque, ut certius, quoad fieri poteſt, habeatur judicium de viribus, reſpiciendum eſt ad omnium facultatum functiones. Omnium inſtrumenta proxima ſpiritus ſunt, & ſingularum læſio indubitatum eſt argumentum, vel ſpiritus pauciores eſſe pro indigentia, vel vitiatos, ſi ſolida nullam noxam patiantur. Quare cum unum, idemque ſit promptuarium ſpirituum ſanguis, quæcunque functio detrimentum capiat ſpirituum læſione, communem omnium facultatum cauſſam habet, indicatque communem infirmitatem, niſi ſpiritus in certa parte alterentur, vitiumque contrahant.

Alii duo imbecillitatis gradus, magnus, & mediocris ex eiſdem ſpecie notis, ſed magnitudine differentibus deprehenduntur; tantoque minus vires eſſe imminutas apparebit, quanto magis indicia ab ſummis recedent, & pauciora erunt. Cognita ſumma virium dejectione ex reſolutione apertiſſimum eſt, nihil ſanguinis educendum eſſe. In magna vero quidam parcam approbant detractionem, perque vices repetitam: fatentur tamen periculoſam eſſe, & antequam peragitur, exponendum periculum. Meo judicio, ſi in aliqua affectione cum magna virium jactura licet venam cruentare, eſt ſanguinis profluvium ex ſuperioribus, vel inferioribus partibus. Quo enim tempore vires abſumit ſanguis, puta, ex naribus exiliens, venam in brachio revulſionis nomine improvide non feriam, dictante prudentia, paucas uncias ſanguinis e brachio eliciendas eſſe ſpe uberioris effluxus compeſcendi. Undecunque ſanguis exeat, æqualis eſt virium jactura: qua inſtante conandum eſt, ut ex eo loco effluat, per quem inhiberi queat copioſius illius impendium, viriumque. Demum in mediocri

vir-

virtutis infirmitate paratior eſt deliberatio, abs qua volunt omnes non prohiberi in totum ſanguinis effuſionem, ſed tantum quantitatem definiri, & indicari diverſam, lentamque rationem effundendi.

Satis de debilitate ex eſſentia. Alteram, quam vocant ex aggravatione, docent Scholæ oriri ex copia ſuccorum, ſive boni ſint, ſive mali; in qua exponenda brevitati, & perſpicuitati ſtudens, aliorum placita miſſa faciam, ſolamque ſequar rei naturam. Copia boni ſanguinis non poteſt viribus negotium faceſſere, niſi eo devenerit, ut vaſa nimium diſtendat, perſpirationem minuat; liberoſque ſpirituum motus inhibeat. Per ſe igitur cauſſa imbecillitatis non eſt, & proxima, ſed intermedia, & occaſio; eademque habet indicia, quibus dictum eſt, comitari plenitudinem ad vaſa. Hæc, uti palam eſt, petit phlebotomiam, non diſſuadet; eademque ratione virium dejectio inde nata, quæ deprimente quantitate ablata, expediuntur, eriguntur que. Porro copia mali ſucci poteſt infirmare vires, aut diſſolvendo, aut tantum opprimendo. Diſſolvit, ſi multum humor venarum receſſerit a natura ſanguinis, ſpiritus corrumpat, aut obſtet, quo minus debita eorum copia generetur, ſine qua vires elanguent. Sin autem ea copia mali ſucci nondum eo pravitatis provecta eſt, ut aliquam ex enumeratis noxis infligat, tantum onere premit vires, non demit, inde non relinquimus phlebotomiam, ſi alia conveniant exigentia. Debilitas nata ex copia cum cacochymia deſignatur, ſi nulla præceſſerit recens evacuatio, vel adſit, aut alia cauſſam clam exhauriens, & apparent notæ cacochymiæ. Addunt alii ſenſum prementis ponderis, pulſus inæqualitatem, motus impotentiam; ſed iſta communis eſt etiam aliis, quos diximus ex eſſentia virium labefactata languere. Senſum vero corporis quaſi quodam

G pon-

pondere onerati ſæpiſſime laborantes non ita manifeſtum habent, ut inde decerni poſſit de præſentia copiæ aggravantis. Præterea, cum copia, de qua ſermo eſt, ſit admiſta cacochymiæ, & hæc pariat ſenſum ulcerantis rei, non deprimentis, ex ſenſu impoſiti veluti ponderis non ſignificatur ea debilitas. Porro inæqualitas pulſus modo fortius, modo languidius micantis arteriæ, utpote quæ ab aliis cauſſis proficiſci poteſt, inter ambigua ſigna reponitur, minuſque certa aliis jam propoſitis, quibus propterea ſtandum eſt.

Hippocrates plures expoſitis debilitatis differentias enumerat, (a) deſumitque a diverſis cauſſis debilitantibus; quibus ignoratis, ut inquit, in graviſſima errata labimur, cognitis evitamus. Ait igitur laborantes infirmari a vaſorum inanitione, irritatione, dolore, aliiſque cauſſis ortis ab corporis habitu, & natura ſingulorum. Verum omnes hæ cauſſæ viribus incommodant alterutro ex dictis modis, ſcilicet aut earum ſubſtantiam corrumpendo, diſſipandoque, aut opprimendo; nec alius ſupereſt debilitandi modus. Quicquid noſtra corpora immutat, vel additio quantitatis eſt, vel ablatio, aut contraria qualitas. Additio quantitatis ſuperfluæ vires onere fatigat, ablatio utilium demolitur, itemque demolitur contraria qualitas, cujuſmodi eſt oppoſita temperiei ſpirituum. Duo itaque tantummodo ſunt imbecillitatis genera, cauſſæ vero debilitantes plures, Medico, uti monet Hippocrates, internoſcendæ, congrua victus ratione, & remediis ſuppetias allaturo.

CA-

(a) *Lib. 2. Acut.*

CAPUT VI.

De impedimentis venæ ſectionis acceptis ab aliis rebus naturalibus.

SEparatim præmiſſa conſideratione virium, de quibus plura dicenda occurrebant, uno, eodemque capite comprehendo reliquas res naturales, & principio temperamentum totius corporis expendam, quod unuſquiſque ab ortu, non mutatione ætatis recepit. Ergo quodlibet temperamentum per ſe ſpectatum, & intra ſanitatis confinia, & ab aliis accidentibus mente amotum, circumſcribere poteſt quantitatem ducendi ſanguinis, non in totum detractionem impedire. Cenſentur communiter parum apta phlebotomiæ duo temperamenta, calida, & ſicca, frigida, & humida; quæ tamen ipſa, ſi corripiantur morbo ſanguinis effuſionem poſcente, non percipio, cur omnem vetent. Antequam laberentur in morbum, ea virium firmitate fruebantur, ut ſuas ederent pro modo naturæ functiones; nondum ſcilicet, ut aſſumpſi, exceſſu earum qualitatum lineam ſanitatis egreſſo. Quid igitur in morbum lapſa nullum ferre poterunt ſanguinis impendium? Affirmat Sanctacrux cum magno periculo ſanguinem hauriri corde frigido exiſtente, & propemodum idem periculum impendere, ſi frigidum eſt cerebrum, aut hepar, aut ventriculus. Nempe metuit ex frigiditate cordis ſyncopen, cerebri apoplexiam, paralyſim, epilepſiam, vertiginem, metuit ex hepatis frigiditate hydropem, ventriculi tarditatem coctionis, & infeſtiſſimas cruditates. Hoc tamen timore non percellor, neque deterreor ab eliciendo ſanguine, ſi adeſt indicatio cum virium conſtantia. Pone ali-

G 2 quem,

quem, ut loquar cum Sanctacruce, frigidi jecoris, prehendi forti pleuritide; An ea frigiditas prohibebit uſum poſtulatæ phlebotomiæ, ſi ferendæ vires valent? An ſeptem, vel octo ſanguinis unciæ ademptæ perfrigerabunt hepar uſque ad productionem hydropis, eo præſertim tempore, quo ſanguis exæſtuans ſuum calorem ſolidis communicat? Nil minus timendum videtur, & præcipue ex ſententiâ Recentiorum affirmantium, nullum ineſſe membris calorem, niſi quem impertitur ſanguis uberiore ſui copia, vel parciore perfundens membrum; & proinde præter modum ſanguine excalefacto, quis dubitet inferri perniciosam frigiditatem, ex moderata effuſione, & temperamento accommoda? Itaque ex illis temperaturis admonemur quidem reſtrictius, & circumſpectius effundendum eſſe ſanguinem, non tamen ab omni effuſione abſtinendum.

Habitus corporis majus habet momentum, præſefertque clariora indicia ad venæ ſectionem uſurpandam, vel omittendam, quam temperatura. In habitu vero corporis primo conſiderantur gracilitas, obeſitas, raritas, denſitas; & inter hos qualitatum exceſſus media conſtitutio. Gracilitas magna corporis cum rara textura, in qua amplæ patent viæ exitui ſpirituum, reſolvendæque ſubſtantiæ opponitur phlebotomiæ ut evacuanti, vel denotando nullam eſſe indigentiam vacuationis ſanguineæ coactæ, ubi magna ſponte fit diſſipatio; vel non eſſe ſuffecturas vires utrique vacuationi. Obeſum quoque corpus, laxumque parum aptum eſt ad idem remedium: atque Galenus(a) in juvene annos triginta nato, putridaque ſynocho impedito, ſed laxo, molli, pingui, & albo, cum gracilibus venis nihil plane ſanguinis demit, æſtivo tempore, regione æſtuoſa, cœlique ſtatu calido ſiccoque. Fortior autem venarum [illegible]

(a) *Lib. 11. Meth. cap. 14.*

exiliùm eſt obeſitate, vel gracilitate corporis ad inhibendam venæ ſecturam; ſiquidem ex venis, ut admonet Celſus[a], vis corporis melius, quam ex ipſa ſpecie æſtimatur. Aliqui non modica ſanguinis copia redundant, licet admodum graciles ſint; qualis fuit mulier memorata a Galeno,[b] contraque aliorum medicorum ſpem iterata ſanguinis effuſione curata, cujus venæ ſanguine plenæ eminebant; uti ſupra memoratum eſt. Itaque gracilitas, niſi conjungatur cum laxo corporis contextu, aut venarum humilitate, & tenuitate ab ſanguinea vacuatione non dehortatur. Enim vero ex difficultate magna cognoſcendi quanta ſit laxitas meatuum, & quantæ reſolutionis cauſſa, certius indicium ſumitur a venarum tumore, aut depreſſione, magnitudine, vel exilitate.

Quanquam opinor, gracilitatem corporis cum raro fibrarum contextu obſtare phlebotomiæ, ut evacuanti, ſignificando paucitatem ſanguinis, & vacuitatem indicantis, obſtare tamen non ſentio, ut revellenti, oborta in eodem habitu corporis notabili inflammatione interna, in qua propter metum infirmandæ virtutis, ſi temperemus ab ſcalpro, apta revulſione inhibitura morbi augmentum, hinc majus detrimentum vires capient, quam ex convenienti ſanguinis expenſa. Galenus quidem, uti vidimus, in deſcripto juvene, pepercit venæ; ceterum in putridis, ubi ſanguis multum non redundat, ejus emiſſio præcipuum remedium non eſt, ſicut eſt in inflammatione incipiente, ſanguinis motum ab parte affecta avocando.

Ad corporis habitum pertinet os ventriculi, quod ſi imbecillum eſt, vel acuto ſenſu præditum non fert inoffenſe ſanguineam detractionem. Rarus fibrarum contextus imbecillitatem parit, declaratque languida cibi appetitio,

(a) *Lib. 2. cap. 10.* (b) *Lib. 6. de mor. popu. ſect. 3.*

ex accepto gravamen, nauſea interdum, & vomitio. Molles vero nervi, tenuique membrana obtecti ſenſum nimis acutum efficiunt, impatientem omnis irritamenti ab acri, vel ſalſo, itemque inedia. Cum autem pars nulla magis ore ſtomachi infeſtetur ab evacuationibus, ejus imbecillitas abs quacunque cauſſa profecta, tanquam occaſio animi defectionis, vel alterius moleſti ſymptomatis metuenda eſt venam icturo. Sin autem magna indigentia, ſpeſque non levis inde futuri commodi phlebotomiam tentare ſuadeant, prius roboretur ſtomachus, vicibuſque partitis definita ſanguinis copia hauriatur.

Inter res naturales ætas tanti ponderis eſt ad deliberandam venæ ſecturam, ut ab Hippocrate, ſicuti vidimus, pro principe ſcopo habita ſit. Ætas nihil eſt aliud, quam vitæ pars functionibus, aliiſque accidentibus ab altera notabiliter differens: ex qua conſpicua differentia quatuor principales ætates conſtitutæ ſunt, Pueritia, Juventus, Conſtans ætas, Senectus; quarum duæ creduntur a Galeno parum idoneæ phlebotomiæ, videlicet Pueritia, & Senectus, de quibus dijudicabo. Pueritia ut in plures partes diſtribuitur, quarum prima Infantia dicitur, ad annum quartum, & in aliquibus ad ſeptimum extenſa; ita non unam habet animadverſionem, & diverſo modo ſe habet ad remedia pro diverſitate ſuarum partium. Dum adhuc pene lacteus cruor per venas fluit, quis animum inducat effundere? Quæ neceſſitas effundendi? Quis tantus fervor, aut impetus infantilis cruoris, ut evacuatione compeſcendus ſit, aut refrigerandus? Quæ tanta copia acervari poteſt in raris, tamque fluxis corporibus, tamque levi nutrimento utentibus, ut ſponte, & abſque ferro non ſit citiſſime evolatura? Pene dixerim in adultis tot venæ vulnerationes perperam factas permittendas eſſe, ad minuen-

dum

dum ſanguinem in tot ſcelera, efferataſque affectiones identidem concitatum. At ex ſolo lacte ſuccreſcens, ejuſdemque qualitatibus perfuſus non abſimilis eſt innocenti Infantiæ, quam nutrit. Deeſt occaſio detractionis, deeſt robur detractioni ſuſtinendæ. Omnia, ut ait Chryſippus apud Tullium, debiliora ſunt in puero, quam in viro, multoque magis in lactente, qui totis artubus nutat, & omnium actionum humanarum impotens eſt; quare plures cordati viri non formidantes pro data occaſione vulnerationem venæ in pueris aliquanto grandioribus, formidant tempore lactatus: atque Hiſpani proni, crebrique ad venam cruentandam pueris, tamen infantibus dentire incipientibus, ſolum cucurbitulas cum levi ſcarificatu cruribus apponunt. Neque vero animos addit ad fundendum lactentibus ſanguinem Sydenhamus [a] aſſeverans, æque tuto ſanguinem duci ex venis adultorum, atque infantium, nec alii confidens remedio in convulſionibus infantium nono, decimoque menſe occaſione dentitionis excitatis, niſi phlebotomiæ, quo tempore tument dolentque gingivæ, nervique comprimuntur, atque irritantur. Quis enim non videat, quantum interſit inter vires adultorum, & infantium? nempe qui levi quacunque de cauſſa alterantur, & multo minore in grave vitæ diſcrimen conjiciuntur, quam adulti. Quod ſi naturam ducem ſequi velimus, cur potius in convulſionibus puerorum venam, quam alvum reſerabimus? Qua ſcilicet multum ſubducente, ut obſervat Hippocrates [b] dentientes infantes minus convelluntur, quam quibus alvus ſiccior eſt. At enim Sydenhamus illis convulſis venæ inciſionem adhibuit, & aliis remediis, decantatiſque ſpecificis utiliorem comperit. Quid inde? An ſatis adduxit ad imitandum? Eum hercle imitarer, ſi mihi cer-

(a) *Pag. 126.* (b) *de Dentitione.*

certo conſtaret phlebotomo adjutos eſſe infantes ſine eo perituros; quod tamen extra conjecturam eſt, affirmante Hippocrate[(a)] non omnes in dentitione convulſos mori, multos etiam ſervari, & quidem ſine vena pertuſa, cui tota Antiquitas pepercit, parcuntque in præſens permulti medentes: atque Riverius[(b)] redarguit Pariſienſes infantibus lac ſugentibus eam aperientes, nulloque e ſapientibus Scriptoribus ſuffragio defendi poſſe affirmat. Fruſtra vero opponeretur ex Sydenhamo convaluiſſe infantes, quibus inciſa vena fuit, quaſi eidem non magis repugnaret ætas infantilis, quam adulta. Sat liquet, quanta ſit illius imbecillitas, quantum diſſipabilis ſubſtantia: neque aliquorum infantium reparata ſalus, qui paſſi erant phlebotomiam, probat hanc fuiſſe cauſſam ſalutis, neceſſarium remedium eſſe, & ſuſpicione vacuum; tantum evincit, non eſſe lethalem, & poſſe ab ea ætate ferri ſine certa pernicie; quam nec ego neceſſario inferri contendo, æſtimans infantiam impedimentum effundendi ſanguinis, ſed tantum in ea plura apparere ad inhibendum ſcalpellum, quam permittendum: atque hac moderatione intelligi velim plura, quæ propono impedimenta. Satis de Infantia lactente.

Alias Pueritiæ partes percurramus. Horatius Augenius[(c)] perſuaſum habet, ante ſeptimum annum non eſſe utendum phlebotomo, ob metum ne vires poſſint ſufficere ferendæ petitæ, & ſpontaneæ, quæ copioſa ſit, evacuationi. Alii etiam trimos, quadrimoſque cruentant, & fidentius natu majores, producuntque experientiam teſtatam, per eas ætates conducibilem fuiſſe pueris venam vulneratam. Quanto autem examine indigeat experientia, ejuſque circumſtantiæ, ut inde conſtet utilitas remedii, ex dictis apparet; & debere præeſſe experientiæ rationem ad cavendum errorem in delibe-

(a) *De Dentitione*. (b) *De Variol. cap.* 3. (c) *Lib.* 8. *Epiſt. Tom.* 1. *ep.* 14.

liberanda cauſſa effectus, quem in uſu remedii videmus. Ratio tamen ut in lactentibus pueris valde repugnat inciſioni venæ; ita minus in trimis, & quadrimis, multoque minus in natu grandioribus, firmiore ætate exhibente majorem ſpem illius tentandæ. Enim vero ſi opponas, ut rite aliquod remedium uſurpetur, non ſatis eſſe, ut minus ratio adverſetur experientiæ, ſed requiri, ut nihil omnino; ſcias hinc contradicente ratione remedio, illinc favente experientia, nos admoneri, ut attente meditemur, num effectus verti debeat experto remedio, an alteri cauſſæ, & ſolius naturæ medicationi ſuæ conſervationis ſtudioſæ. Ut enim in mea methodo oſtendi, ſolum nobis male cogitantibus, & vero ignorato, poteſt ratio diſſentire experientiæ, aut diſſentire videri. Ut verum vero contradicere nequit, item nequit ratio experientiæ, ſi utraque ſit probe cognita explorataque. Itaque, quo debilior eſt ratio, quæ videtur opponi experientiæ, levior etiam eſt ſuſpicio, nos ab iſta in errorem induci: qua animadverſione dictum eſt, in trimis, quadrimis, & natu grandioribus licere cum majore fiducia phlebotomum exercere.

Sat de Pueritia: dicendum de Senectute decrepita, quam aliqui deſumunt ab anno ſeptuageſimo, & hoc tranſacto eximunt ſcalpello. Verum in tanta corporum varietate cautius ſe gerit, qui fractam, & decrepitam ætatem non annorum numero definit, ſed facultatum imbecillitate, extantibus numeroſis exemplis, poſt annum ſeptuageſimum venam commode perfoſſam eſſe. Sæpenumero obſervamus, quoſdam iis annis valida ſenectute frui, quibus alii ſquallida, extremaque premuntur, exucci, flaccidi, modicoque cibo tenentes. In explorandis tamen ſenum viribus cavendum eſt a pulſus fallacia, qui, ut obſervarunt experientiſſimi viri, ſuam arteriam diſtendente, aliquando ina-

ne robur prætendit. Præſidio erit ad verum ſcrutandum, ſi præter pulſum tota ſpecies corporis, & actionum modus naviter conſiderentur. Veruntamen ſicut ætatis macies abdicat phlebotomiam, item morbis patere non ſolet eam expoſcentibus, videlicet febribus fortibus, acutis, & inflammationibus, uti Senex animadvertit [a]. Apoplexia quidem, quæ fortis affectio eſt, non infrequenter decrepitis accidit, præmium, ut cum Plinio ſentiam, anteactæ laborioſæ vitæ; ſed venæ inciſione citius rem conficit. Itaque ſi videris Senem febri forti, & acuta, aut inflammatione vehementi tentatum, habes argumentum eo non proceſſiſſe ſenium, ut vires fatiſcentes teſtetur. Vidi nuper in nobili fœmina Patavina Lavinia Ivana octoginta octo annorum circiter obortam pleuritidem, cum tuſſi, ſputo ſanguineo, febri continua, dolore lateris; ſed nec febris, nec dolor, nec alia ſymptomata vehementia fuerunt, omniaque, meo conſilio, intactis venis, evanuerunt.

Conſuetudo ad res naturales relata nec indicat per ſe ſanguineam vacuationem, nec prohibet, & tantummodo attenditur in morbis tanquam indicium ejuſdem opportunitatis inveniendæ, & metiendæ quantitatis. Quis enim in pleuritico nunquam ſanguineam detractionem paſſo ob inſuetudinem tam conducibile remedium prætermittat? Quis ex ſola conſuetudine venam in morbo feriat, niſi cognoſcat inde ſubeſſe indicans feriendæ? Tamen Galenus [b] non levem dubitationem ingerit, affirmans vacuationibus inſuetos, & ſi humoribus abundant, evacuandos non eſſe, aſſuetos audacter copioſeque. Quid venerit in mentem Galeno hæc ſcribenti, non exquiram: illud certo certius eſt, cui nunquam ſanguis miſſus fuit, nihilominus mittendum eſſe morbo poſtulante, viribuſque permittentibus,

(a) *Sect. 1. Apho. 14.* (b) *Lib. 1. de arte curandi ad Glauc. cap. 13.*

tibus, nec in uſum potuiſſe venire id remedium, niſi adhibitum fuiſſet idem antea non expertis. Nunquam periclitatus Phlebotomiam, nil contrahit ejus uſui contrarium; ſicuti contrahit conſuetudinem adverſam frigidis cibis, qui diu ſolum calidis uſus eſt. Ex uſu longo certarum rerum generatur in noſtris corporibus quiddam contrarium oppoſitis: tamen ſola uſus vacuitas, ut ipſa nihil eſt, ita nihil generare poteſt contrarium remediis petitis ab incidentibus morbis. Itaque propter inſuetudinem non abſtinebo a poſtulata ſanguinis effuſione, ſed minus effundam, exploratoque eventu, ſi opus erit, iterabo effuſionem.

Prægnatio inter res naturales hanc habet conſiderationem, ut venam vulneraturus cogitet de conſervanda matre aliquo morbo impedita, itemque fœtura; cogitet matrem ſibi, & fœtui vivere, pluſque virium deberi tutelæ utriuſque, quam unius. Non omnis igitur quantitas virium in vacua muliere venæ punctioni ſuſtinendæ compar, ſufficit eidem ferendæ in utero gerente, ſuiſque viribus fœtum ſuſtentante. Comperta in gravidis debita virium menſura, penſitandum remanet, num metus abortionis ſcalpellum inhibeat, executionemque indicati remedii. Quippe videmus prægnantes ſæpe in eas ægritudines incidere phlebotomia curari ſolitas: certumque pariter eſt, evitandum eſſe abortum, cum propter periculum genitricis, tum fœtus jacturam. Pluribus de cauſſis, & ſæpe levibus mulieres abortiunt, tamque frequenter, ut aſſerat Mercatus, rationibus ſubductis, conſtare plures fœtus deperdi, quam juſtum ad tempus reſervari; ut mirum non ſit, natum hominem tam levibus de cauſſis vita periclitari, qui ante ortum, atque in arctiſſimo complexu ſuæ creatricis tam facile perit. Hanc tantam fragilitatem qui

mente agitabit, ut cum Plinio loquar,(a) neque ſui corporis viribus fidet, neque felicibus ſucceſſibus tumebit, neque ſe fortunæ partum credet, ſed vitam æqua lance penſitabit. In magna igitur proclivitate mulierum ad abortum jure timetur, ne is accidere poſſit a venæ ſectura, quæ omnes humores commovet, vaſa laxat, multiplicique ratione officere poteſt fœturæ. Num igitur propter periculum abortus erit ſemper abſtinendum a phlebotomo? Niſi urgeat neceſſitas, prudentis eſt abſtinere præſertim in talo; ſi urgeat, utendum eſt, longa docente experientia, neceſſario non excludi fœtum, ſive ſuperior, ſive inferior vena, ſive utraque præcidatur. Quis ignoret, plures mulieres repetita ſanguinis effuſione fruſtra tentaſſe illicitæ conceptionis labem diluere? Quædam mulier, dum hæc agitabam, propter paupertatem, animo intento in provocandum abortum, me advocavit, aſſerens ſe magno circa pectus dolore affligi, productiſque indiciis, nullam adeſſe ſuſpicionem graviditatis, affirmavit ſe eumdem dolorem alias paſſam eſſe, & phlebotomia curatam. Itaque & eam leviter purgavi, & ſanguinem ex brachio, deinde coactus ſequi conſuetudinem regionis ex talo miſi, ſalvo conceptu, quem adeſſe poſtea cognovi, & dolorem non pectus, ſed ventriculum occupare: quo perſeverante, aliiſque prægnationis notis apparentibus, confeſſa eſt mulier ſeſe in principio cujuslibet conceptionis ſolere ea parte male habere. Hoc, aliiſque pluribus exemplis liquet, inciſionem venæ non eſſe neceſſario abortivam: imo Lodovicus Mercatus(b) exiſtimat eamdem habere animadverſionem reſpectu ſanguinis ducendi conceptum, atque ætatem, & utramque poſſe quidem moderari quantitatem emittendi, non poſſe omnem emiſſionem vetare. Si tamen ab ætate vires ſepa-

(a) *Lib. 7. cap. 7.* (b) *De Prægnan. Affect. lib. 4. cap. 7.*

ſeparentur, mihi videtur iccirco graviditas plus habere ponderis in conſultatione de vena reſignanda, quam ætas, quod conſtet, pluries fœtum ea reſignata periiſſe. Quocirca deliberaturus ſanguinis detractionem in gravidis diligenter ponderet oportet quæcunque valent ſufficere probabile argumentum de eventu fœturæ, nimirum ægrotantis habitum, quem tenuem, aut nimis craſſum metuit Hippocrates; geſtationis tempus, cujus pars prima, & magis ultima ſuſpecta eſt; conſuetudinem prægnantis ſolitæ, vel inſolitæ in aliis conceptibus ſcalpellum ferre; proclivitatem ad abortionem, aut vim reſiſtendi, frigiditatem nimiam tempeſtatis, vel caliditatem, utramque ſervando fœtui parum aptam, idque genus alia. Oblata vero indigentia eliciendi ſanguinis cum probabili ſpe conſervandi conceptus, admonendi ſunt domeſtici, vi morbi vehementis ſæpe abortionem induci, neque phlebotomiæ ſemper imputari poſſe poſt eam ſecutam fœtus excluſionem.

Lactis quoque generatio, inter res naturales numerata a Galeno, ſpecies quædam vacuationis judicatur; judiciumque comprobat indigentia uberioris cibi ſollicitans nutricem. Quamobrem niſi morbus permittat eam eximi omni ſanguinis detractioni, hæc parcior ſit oportet, largiorem ſupplente vacuatione facta per mammas. Veruntamen vehementia morbi poſcente phlebotomiam in nutrice, fortius præſidium eſt ad eam, morbumque ferendum ceſſatio a lactatu, qua vel propter paupertatem, vel alia de cauſſa impedita, ſuccurrendum eſt reſtrictiore effuſione ſanguinis, tum paulo largiore cibo.

CA-

C A P U T VII.

De impedimentis venæ ſectionis acceptis ex rebus non naturalibus.

IN mea Methodo Medendi agens de ſex rebus non naturalibus, multa ex aliorum ſententia, ſicuti propoſiti ratio exigebat, expoſui, ut oſtenderem, quemadmodum ex illis indicationes ſecundariæ remediorum eruantur. In præſentia vero explicaturus Tironibus impedimenta tundendæ venæ, magis ex mea ſententia loquar, quam aliorum, deque his accuratius dijudicabo, quæ in methodo tanquam aliorum exempla produxi.

Aer, qui primus recenſetur inter res naturales, magnum habet momentum ex placito Majorum ad venæ ſectionem vel permittendam, vel prohibendam. Sic impenſe calidus ſiccuſque, quem Galenus [a] loco ſymptomatis habet, itemque vehementer frigidus vetat ſanguinem hauriri, ſine his exſuperantiis permittit: quod documentum hac interpretatione recipio. Calidiſſimus aer cum æquali ſiccitate multum humorum, & ſpirituum diſſipat, atque ſpatio aliquot horarum conficit per inſenſiles meatus, quod per apertam venam vacuatur. Quare, niſi ex mora periculum impenderet, non eſt quærendum ſciſſura venæ, quod aeris beneficio ſine commotione humorum non multo poſt obtinebitur. Hinc validam enim rationem parcendi venis in febribus intermittentibus, aere vehementer efferveſcente, cito omnem ſuperfluam copiam abſumpturo. Caliditati, & ſiccitati aeris ſi adjiciuntur ſimiles qualitates temperaturæ ægroti cum raro contextu, habes fortiſſimum argumentum

(a) *Lib. 1. ad Glauc.*

tum ceſſandi a phlebotomia in omnibus morbis, in quibus nec mora grave diſcrimen infert, nec humores impetum in partem principem faciunt. Impetus vero præſens, cum celeriter retineri nequeat per copioſam exhalationem ab aere faciendam, validior eſt ad indicandam phlebotomiam, quam ad vetandam caliditas, ſiccitaſque ambientis. Hiſce tamen qualitatibus, incurrente neceſſitate venæ ſodiendæ, variis externis occurres, collocando ægrotum in domicilio ad ſeptentrionem poſito, humili, craſſiſque parietibus ab ſolis ardoribus tuto, effuſione frigidæ aquæ, iniectu foliorum refrigerantium; itemque minus ſanguinis educes, habita ratione copioſæ exhalationis. Hinc monentur Medici accerſiti ad ruſticos media æſtate curandos, jacenteſque in caſis vix ſecuram umbram præbentibus, ut cautiores ſint ad miſeros cruentandos. Porro inter magnos æſtus extracta convenienti ſanguinis quantitate, ſtatim recreabimus vires grato aliquo odore, & paulo poſt cibo. Avicenna, quo per eam tempeſtatem impediat largius ſpirituum effluvium, jubet venam anguſte perforari, nec juſſum probabili ratione caret. Quo latius venæ vulnus eſt, magis commoventur humores omnes, & commotione attenuatis plures ſpiritus excitantur, quaque patet aditus erumpunt.

Galenus inter hibernas nives metuens vulnerationem venæ, non penitus interdicere voluit, ut alias interpretatus ſum, ſed tantum innuere per illud tempus ex gravi duntaxat caſu eſſe ducendum ſanguinem, & hunc reſtrictiore quantitate. Timentibus autem hyemale frigus, multo facilius eſt id temperare, quam æſtivum ardorem, atque inhibere extinctionem ſpirituum ab exceſſu frigiditatis formidatam. Reliquæ vero partes anni temperatiores nihil objiciunt, quo minus vena reſignetur; imo ver maxime opportunum eſt inciſioni, quo, ut cum Virgilio loquar, tu-

ment

ment terræ, omnia ſucco plena ſunt, ipſe ſanguis augetur, & incaleſcit. Autumnus minus vere favet phlebotomiæ ob tenuiorem ſanguinis partem præterita æſtate exhauſtam, non tamen obſtat, tantumque indicat in eadem ſpecie morbi, eodemque ægrotante minus eſſe fundendum, quam vere. De aſpectibus cœleſtibus, qui ad aerem referuntur, nihil addo ad ea, quæ in methodo medendi expoſui; liquidoque conſtat, ſaltem in morbis acutis occaſionem remedii præcipitem eſſe, & ſumendam ex motu, & conditione cauſæ morboſæ, ſtatuque ægrotantis, non ex favorabili aſtrorum poſitu. Perit æger, niſi cito ſuccurras. Quid de cælo cogitandum?

Secundum aerem inter res non naturales recenſentur cibus, potuſque non minus aere vitæ ſuſtentandæ neceſſarii: quibus autumo poſſe prohiberi certam differentiam temporis ſanguinis emittendi, non emiſſionem. Paulo poſt acceptum cibum, eumque crudum in ventriculo vivere declarante ructu, & ſatietate, differenda eſt ſectio venæ, donec coctus ſit, ne magis inde protrahatur coctio, & portio ſucci crudi depletas venas ſubeat. Cum vero cruditas ciborum non brevitate temporis pro coctione, ſed vitio ipſius ventriculi contingit, rebus præter naturam accenſetur, de quibus infra. Etiam copioſus potus recens ingeſtus retardat phlebotomiam; ex qua timet Avicenna[a] hydropem, ſi poſt potum aquæ plurimæ celebretur, ratus inde in venas humidum trahi, illabique in profundum membrorum. Mihi compertum non eſt, inde ſecuturum eſſe hydropem, ſed pro certo teneo refrigeratis, refertiſque viſceribus aquæ copia improvide venam aperiri; quatenus inde poteſt æquabilis motus ſanguinis apertionem verſus impediri, oſque ventriculi offendi.

Mo-

(a) *De removen. impe. cap. 1.*

Motus, quietiſque conſideratio, quod pertinet ad venæ ſectionem, in eo vertitur, ut agitatum ſanguinem ab corporis motu recens facto quieſcere ſinamus ante uſum phlebotomi, poſtque contineatur æger in ſumma quiete, brevique tempore decumbat in ſpinam, quaſi in corporis baſim, hoc adjuvante decubitu æquabiliorem ſanguinis diſtributionem. Motus igitur vehemens corporis recens prægreſſus remorari poteſt executionem phlebotomiæ, non interdicere, poſt quam vitari debet, imo ipſa phlebotomia eo die vitari, quo quis iter facturus eſt, vel alium motum non levem obiturus; ne commotioni humorum factæ per inciſam venam, accedente valido motu corporis, exoriatur febris, vel ſyncope, vel alius inopinatus affectus.

Somnum, & vigiliam providus venæ proſector multiplici nomine animadvertat oportet. Statim a ſomno admonitione Galeni, & rationis ducendus ſanguis non eſt, dummodo id permittat motus ægrotationis, ſed duntaxat poſt horam; quo intervallo humores, & ſpiritus ad interiora convocati tempore ſomni æquabilius in omnes partes diſpanduntur, atque influxu vitali roborant. Sanguini educto indormiendum continuo non eſt, ſed hora una, vel altera vigilandum, tum cibi boni ſucci exiguum offerendum eſt; & poſt horam ab accepto, ſi ſomnus irrepat, repellendus non eſt. Quædam tamen occurrunt, quæ ſtatim poſt ictam venam obrepentem ſomnum admittere ſuadent, nimirum ſi æger debilis eſſet, vel antea multum vigilaſſet, ſi dolor vehemens externas corporis partes affligeret, vel etiam internas, modo abſit inflammatio, qua præſente, ſi confeſtim ab evacuatione ſanguinea dormiat æger, timetur copioſior ſanguinis illapſus in partem affectam, & incrementum inflammationis. Præterea, ſi puncta vena foret ad compeſcendum ſanguineum profluvium,

vium, aut delirium, quis non videat optabilem eſſe quocumque tempore advenientem ſomnum, eorum ſymptomatum remedium?

Vigilia, quæ nondum in cauſſam morboſam evaſit, neque modum exceſſit rei non naturalis, hortatur ut in morbo non præcipiti, atque moram concedente, differatur ſanguinis extractio, donec corpus paratius ſit ad ferendum, prægreſſo conveniente ſomno, remedium undequaque non innoxium. Urgente porro indigentia feſtinationis remedii, quantitas hauriendi ſanguinis adæquetur cum viribus a vigilia aliquantum debilitatis, conſiderato earum præſenti ſtatu, futuroque.

In excretis, retentiſque, quæ numerantur inter res non naturales, quædam ſunt adeo quotidiano ſermone trita inter medentes, ut operæ pretium non ſit, longius agitare. Quis ex ipſo Medicinæ limine ignoret, oneratam fœcibus alvum deplendam eſſe vel injecto clyſtere, vel aſſumpto laxante, priuſquam vena inciditur? Item conſtat in ſuffocante angina, vel alia interna inflammatione, aut alio præcipiti caſu, niſi foret in promptu clyſter, recludendam protinus eſſe venam, deinde alvum. Ad difficiliora igitur convertatur opera, & primo ad fluxum menſtruorum pro modo naturæ manantium; de quo quæri ſolet, an opponatur ſanguinis effuſioni, morbo aliquo urgente, ea ſolito curari: quam quæſtionem inſtituam ſecundum duplicem, oppoſitumque locum vulnerandæ venæ, inferiorem, ſuperioremque, ſedemque morbi ſupra, infraque diaphragma. Ordior ab ſectione baſilicæ, quæ creditur menſtrua rite manantia retinere poſſe, aut ſaltem turbare, & imminuere. Invaluit enim mos apud Medicos, in lunari immoderato fœminarum effluvio Baſilicam revulſionis nomine ſecare; nec ambigitur quin totus ſanguis exeuntem

tem ab emiſſario ampliore ſequatur, ſicque ab anguſtioribus emiſſariis, qualia ſunt uteri, abducatur, aut ſaltem delabentis curſus retardetur. Quare menſtruis ſecundum naturam fluentibus, nequit fieri, quin reſignata cubiti vena vim aliquam inferat delapſui ſanguinis ad uterum, & periculum vel ſuppreſſionis, vel imminutionis: & quamvis Valleſo perſuaſum ſit, ea incommoda a venæ tali inciſione facilius infligi, quam brachii; tamen neque ratio, neque praxis communis ſuffragatur, exceptis particularibus circumſtantiis. Itaque ſolius neceſſitatis impulſu, puta, inflammationis internæ partium ſupra renes, in quibus inſtat, & urget revulſionis, derivationiſque indicatio, dum menſtrua recte peragitur excretio, venam brachii perfoderem; adhibendo præterea ea remedia, quæ contra vim punctæ ſuperioris venæ adjuvant naturalem curſum ex utero fluentium, cujuſmodi ſunt frictiones crurum, balnea calida, cucurbitulæ; quibus uſus eſt Zacutus Luſitanus in curatione juvenculæ menſtrualis apoplexia impeditæ, cui quater cephalicam intra octo horas aperuit, admotis tamen femoribus cucurbitulis, adhibitaque cruribus frictione. Hæc ſcribens acceſſor ad fœminam trigintaquinque annorum temperamenti calidi, humidique, poſt vehemens corporis exercitium cœptam pleuritide tentari, & menſtrua pridie pati, quam ægrotaret. Erat dolor fortis prope mammam dextram ad humerum pertingens cum tuſſi incruenta, magna inquiete, vigiliis, febri acuta continua, urina craſſa. Qua hora adivi, quia menſes copioſe, imo magis ſolito manabant, nolui cubitum vulnerari. Poſtridie, cum tuſſis cœpiſſet leviter cruentari, menſeſque multo lentius fluere, elicitæ ſunt ex cubito decem ſanguinis unciæ, appoſitis eodem tempore anterius femoribus cucurbitulis ſiccis, iteratiſque poſt detractionem, nec

I 2 inde

inde uterus ſtillare deſivit. Ceteroqui, quia conſuetudo regionis poſt ſectam venam brachii incidendæ inferioris imaginationem fœminæ perterrefaciebat, permiſi poſt aliquot horas ſaphenam fodi, modicumque ſanguinis hauriri. Nono die ſine alia repetitione cruenta in tuto fuit, & propemodum febre immunis. Pleuritis copioſam ſanguinis detractionem poſcit, atque ex partibus aptis ad comparandam celerem revulſionem, derivationemque; ideoque lunari excretione prius copioſe fluente, poſtea lenteſcente contentus non fui, invalida ad cito evacuandum tantum ſanguinis, quantum morbus requirebat; atque ad præſtandam feſtinam, efficacemque revulſionem, derivationemque. Tamen detractionem non iteravi, opinatus per ſpontaneam, & petitam vacuationem indigentiæ ſatisfactum iri, cum præſertim viderim inde febrim aliquantum remiſſam eſſe, neque ſputa magis cruentata: quibus in deterius vergentibus, non dubitaſſem, venam brachii iterum cruentare, non omiſſis in partibus inferioribus jam deſcriptis revellentibus. Interdum pungitur vena ſuperior ad provocanda menſtrua retenta, & quidem fructuoſe venis ſanguine turgentibus. Mulier extera, ut refert Riverius,[a] ſanguineo temperamento prædita, varios patiebatur affectus, potiſſimum a menſibus ſuppreſſis ortos. Per litteras conſulti ſunt Medici Monſpelienſes ob contumaciam affectionum, narratumque fuit, toties cohiberi menſtrua, quoties cædebatur vena malleoli, largius profluere brachio inciſo; admiratique Medici adſidentes quærebant a Monſpelienſibus, unde id eveniret. Reſponſum fuit, copiam comprimentem vaſa, in cauſſa fuiſſe; prius igitur eam admendam vulnerato brachio, poſtea malleolum perforandum. Quo ſane conſilio non indiguiſſet Medicus Priſcorum

(a) *Centur. Obſervat. 1.*

runi minime negligens, docente Aetio(a) curationem inhibitorum menſium fieri vena ſuperiore, & inferiore reſignatis, ubi ſanguis redundat, & redundantiam inſignis venarum tumor declarat. Hanc praxim ſaltem in hiſce regionibus plurimi ſervant, quoties mulieri defectæ menſibus ſubvenire volunt, ſed longo receſſu ab Aetii veſtigiis. Non in omni retentione utramque venam pandit Aetius, ſed tantummodo in aſſociata magnæ ſanguinis affluentiæ teſtatæ potiſſimum, ut idem auctor notat, ab inſigni venarum tumore. Immoderata copia iccirco concurrit ad retinenda menſtrua, quod oſcilla vaſorum comprimit, cujus compreſſionis tollendæ cauſſa prodeſt prius baſilicam, deinde ſaphenam reſerare; quæ aperta ſine ablatione compreſſionis, vel nullam fortaſſis afferret utilitatem, vel devolvendo majorem quantitatem ſanguinis ad inferiora non leve importaret incommodum, cauſſam compreſſionis adaugendo. Factam porro menſium retentionem ſine plenitudine ab Aetio deſcripta, qui apertura venæ ſuperioris inferioriſque curat, ab illius præſcripto, & ratione longe diſcedit; fruſtraque ægrotantem bis vulnerat, multoque perniciofius, ſi mulier ex intercepto lunari fluxu cacochymiam contraxit. Hoc poſito laborantis ſtatu, ſoleo prius exhibere, quæ faciunt ad viarum impedimenta amovenda, excernendaſque congeſtas impuritates, & adhuc permanente morbo talum ſolum vulnerare; neque ſemel hæc curandi ratio mihi bene vertit. Enim vero video duos magnos auctores Hippocratem, & Galenum inter ſe ſe plane diſcordes de medicatione ſtagnantium menſium, altero nunquam venam, uti obſervat Proſper Martianus(b), feriente, ſemper Galeno. Quinimo idem Martianus habet pro indubitato, icta vena tali potius compeſci menſtruorum cur-

(a) *Lib.16. cap.57.* (b) *Lib.1. de Mor. Mulie. Hipp.*

curſum, quam incitari, provocatque ad experientiam, ut inquit, oſtendentem venæ punctione in malleolis, nunquam ſubſiſtentia menſtrua commota fuiſſe. In eventi rationem producit ſtimulum lunaris purgationis, quam credit non peragi abſque turbatione ſanguinis, nec iſtum turbari ſine copia potiſſimum circa partes inferiores, quæ ablata inciſione tali menſtruorum incitamentum adimit. Verum in hac ratiocinatione Martiani duo apud me non bene audiunt, nunquam per venæ pedis vulnus retentos menſes provocatos eſſe, præterea eodem vulnere auferri copiam ſanguinis in partibus inferioribus, ejuſdem agitatione, & turbatione irritamentum lunaris effluxus. In primis mihi videtur nimia cum fiducia a Martiano aſſertum, nunquam iſtam venam pedis fuiſſe ſtimulum menſtruis ad effluendum. Et ſane quo argumento citra dubitationem id affirmari poteſt in tanta ſingularium multiplicitate, & varietate, de qua nemo mortalium in hac brevitate vitæ certior reddi poteſt? Experientia a ſingularibus proficiſcente, & in ſingularium imperſcrutabili diverſitate facta nihil poſſumus univerſim affirmare, aut certo negare; poſſumus ſæpe, aut raro aliquidpiam evenire aſſerere, ſemper, aut nunquam evenire, non poſſumus. Fateor, me quoque nunquam vidiſſe eodem die, neque poſtero ab recluſa vena tali incitata fuiſſe torpentia menſtrua, vidiſſe tamen affirmo, poſt intervallum non longum emanaſſe. Non ideo aſſeverabo nunquam eorum exitum contigiſſe, quo die ad hunc finem cruentata eſt vena, neque contingere poſſe. Quod viderim aliquid eveniſſe, id renovari poſſe colligo: quod non viderim, id eſſe non poſſe, colligere nequeo. Item niſi ſubito, vel citiſſime inciſa ſaphena evocat menſes, non poteſt idcirco conſtitui mutilis evocandis. Itaque nihil momenti experientia præbet Martiano ad ſuæ ſententiæ pro-

pu-

pugnationem: penſitemus, an magis adducta ratio ſuffragetur. Turbandus eſt, inquit, ſanguis, ut fluat excretio lunaris, requiriturque ad perturbationem abundantia ſanguinis circa partes inferiores, quam eripiens icta vena tali, impedit perturbationem, adjutricem effluxus. Primum autem mihi valde dubium eſt, an neceſſarius ſit copioſus ſanguis in partibus infernis ad efferendos menſes, quos aliquando vidi ſtatis diebus efferri in ſanguinis inopia univerſali, genita in febribus paucitate cibi, aliiſque vacuationibus. Age nunc: concedamus opus eſſe ubertate ſanguinis in partibus inferis ad exigenda menſtrua. Cur mediocri quantitate ſanguinis venas irrigante timebimus cum Martiano, ne paucæ unciæ a pede elicitæ auferant neceſſariam copiam, ſicque potius inhibeant effluxum, quam ſollicitent? Certe vulnerata Saphena vim habet revellendi humores ab partibus ſuperis, & univerſos deorſum commovendi: ex quo ſperare licet, plus ſanguinis ibidem ſuperfuturum, quam quod elicitum fuit? Sin autem multum redundet ſanguis, obſtetque menſtruæ eruptioni, cur partem obſtantis quantitatis non ſummovebimus, uti cum Aetio decretum eſt, cruentata Baſilica, partem Saphena? An timendum erit ab hac pertuſa incommodum in magna quantitate ſanguinis, quod in mediocri vidimus non eſſe timendum? Solum illius ſciſſionem metuerem in notabili humorum paucitate; contraque ſubſiſtentia menſtrua aliis remediis pugnarem. Hactenus reſpondi Martiano ex Priſcorum ſententia ante inventum Sanguinis Circuitum, quo poſito ea ratio funditus diruitur: ſiquidem externa vi ſanguine per omnia vaſa circumducto, diſtributoque æqualiter pro capacitate vaſorum, copia major non cumulatur in vaſis inferioribus, quam ſuperioribus, nec facto circa uterum cumulo inſtigante fit menſtruum ſanguinis impendium.

San-

Sancita ratio menſtrualis mulieris per venæ apertionem curandæ in partibus ſuperioribus gravi morbo vexatæ, videtur etiam appoſita puerperæ lochiis fluentibus, abs quibus retentis multi formidant deteriora, quam menſtruis; & proinde hiſce ſuppreſſis ſemel tantum ſanguinem e talo hauriunt, priuſquam e brachio; in enixa vero ſecurius judicant antea ſemel iterum, itemque tertio ſaphenam aperire. Qua in re primo adnotandum obverſatur, facilius per vaſis ſuperni ſecturam poſſe compeſci menſes, difficilius lochia, ſaltem pro notabili horum parte, eaque, quam celebres Anatomici exiſtimant ex uteri ſubſtantia decidere, quæque tempore conceptus illi imbibita immane dederat augmentum. Hæc portio lochiorum proxime a fluento ſanguineo non derivatur, abs quo ſcilicet tempore geſtationis ſecreta fuerat, interfuſaque uteri ſubſtantiæ; ac proinde motum ſcatentis e vena humoris ſequi nequit, uti ſequitur in vena contentus, & totus ſciſſuram verſus confluit. Solum igitur abduci poterit ab utero per vulnus Baſilicæ per ſe, & primario portio ſanguinis ab vaſis eo delabentis, non inquinamenta ex illius interſtitiis ſtillantia. Quod autem dicunt, pluries ex talo detrahendum eſſe ſanguinem, antequam admoveatur phlebotomum brachio, mihi ſuſpectum vehementer eſt timenti, ne uberibus cum ſanguine diſſipatis ſpiritibus minor etiam horum quantitas ad fibras uteri conſtrictorias, expultrices colluvionis illius ſubſtantiam occupantis, accurrat, minuaturque, aut retardetur expulſio. Inde admoneor, pro curatione ſubſiſtentis puerperii conducibilem quidem eſſe poſſe aliquam effuſionem ſanguinis ex pede, non tamen toties repetitam, ut aliqui ſolent, neque ex ſolius conſuetudinis ſuaſu. Profecto ſi apud nos aliquid ponderis habet Hippocratica praxis, multo rarius non apparentibus lochiis talum cruentabimus

Se-

Senem imitaturi; qui duntaxat ſanguinem ducit anguſtiore utero non emittente partus purgamina; ſicuti advertit Martian.(a) ubi magnus morbus inde ortus eſt, & materia per aliam viam commodius nequit amandari. Hippocrates igitur aut venam reſignat, aut ventrem laxat, provocatque lotium, & ſudorem, ſi ferat occaſio. In affluentia probi ſanguinis ceteris remediis videtur anteponenda phlebotomia, huic vero reliqua anteponenda in redundantia mali ſucci. Ceterum qui ſtatim ac videt ſupprimi puerperium, vel parce fluere, iterato ſanguinem haurit, ſæpius, ut opinor, puerperam lædit, quam juvat. *Sæpius* enim quod negotium faceſſit Puerperæ, eſt contentum in uteri cavitate, aut ſubſtantia non in venis totius corporis, quod recluſa vena pedis educere nequit, & ſolum aliquatenus poteſt adjuvare illius expulſionem laxando meatus: quod aliis remediis conari præſtat, quam iterata venæ apertione cum ſanguine vires hauriente, unde omne bonum.

Cognita providentia, qua pungenda eſt vena in ſupernis partibus, propter vehementiam morbi ibidem coorti, reliquum eſt, ut de eadem tractem in morbo fortiore partium infra renes. Doctiſſimus Fernelius curans inflammationes partium inferiorum, fodit revulſionis gratia venam cubiti interiorem, idemque exequitur utero inflammato; neque tutam, & conducibilem judicat inferioris ſectionem ante ſuperiorem inciſam, maxime ſi vaſorum ingens eſt plenitudo, fluxionis vehemens incurſio. Id Fernelii præceptum redarguit Sanctacrux, ceu Tironibus multiplicem errandi occaſionem prætenderet: quos ſane erraturos opinor, ſi tam oſcitanter, uti Sanctacrux, Fernelium legant potius, quam ponderent. Scientiſſimus auctor non de quacunque inflammatione uteri loquitur, uti

K arbi-

(a) *Lib. 1 de Mor. Mulie.*

arbitratur Sanctacrux, ſed magna, maximeque cum inſigni vaſorum plenitudine, vehementique fluxione: utque omnem dubitationem tolleret, methodumque tundendæ venæ in eis morbis explicatiorem traderet, hæc ſubdit: *Sin autem levior exiſtit inflammatio, neque plenitudo ſupra modum increverit, ſuperiorum venarum ſectionibus prætermiſſis, ſatis ſuperque erunt, quæ ex inferis obeuntur*. Hiſce tam lucide ſua ſenſa expreſſit Fernelius, ut neque Tirones dubitare queant, utrum præceptum illud, quod carpitur a Sanctacruce tanquam abſolute prolatum, ſit revera abſque circumſcriptione, quæ majore perſpicuitate declarari non potuit, ad quoſcunque erudiendos. Id unum animadvertendum adiicio, magis metuendam eſſe ex cubiti vulnerata vena impeditionem menſium rite ſtillantium inflammatis partibus ſuperioribus, quam utero. Quippe hoc inflammato totus ſanguis inflammationis æſtu, & irritamento eo allicitur; in partium vero ſuperiorum inflammatione, menſtruis manantibus, ſanguis partim tendit ad ſuperiora, partim ad inferiora.

Satis de menſtrua purgatione: dicendum de venerea excretione; poſt quam Avicenna agens de removendis impedimentis, venam non ſolvit; alibi tamen capitis dolorem ex coitu cum multa evaporatione ad caput, ſanguinis detractione curandum ſancit.[a] Coitus ſpiritus haurit, partes ſolidas enervat, turbat & vitiat coctionem ventriculi, hiſque offenſionibus opponitur utilitati phlebotomiæ. Itaque ſi poſt coitum morbus exoriatur, venæ vulnerationem flagitans, reſpiciendum eſt ad temperaturam ægroti, habitum corporis, ætatem, anni tempus, rationem coitus, ut recte decernamus de viribus; quas ex pulſu non ſemper metiri certo poſſumus, aliquando, uti animad-

(a) *Lib. 3. Fen. 1.*

madverſum eſt, præſeferente pulſu fallacem validitatem, ſcilicet ortam a concitatione ſpirituum, non robore naturæ; unde multi decepti ſanguine ducto poſt venerem, ægrotantem in lethalem ſtatum præcipitarunt. Provoco ad Herediam [a] verſantem ægrotationem Adoleſcentis in Melibea, & affirmantem fere omnes venereos acutis morbis oppreſſos, quibus vena pertuſa fuit, extinctos eſſe; additque in ſimilibus ægrotis non eſſe fidendum pulſus conſtantiæ; ex qua certo vires metiri nequimus, ob partes ſolidas ab ictibus venereis infirmatas. Id igitur generatim conſtitutum eſto, poſt coitum recens, nec ſobrie prægreſſum omittendam eſſe ſanguinis extractionem, ingentique neceſſitate cogente, minus extrahendum, atque poſt extractionem providendum idoneis auxiliis lapſui virium inde ſecuturo.

Præſentes impetus animi, atque perturbationes vehementes phlebotomiæ adverſari certius eſt, quam ut pluribus oporteat oſtendere. Omnes enim valde ſpiritus, humoreſque exagitant, ſive ad interiora commovendo, uti timor, & triſtitia; ſive ad exteriora, uti gaudium, cupiditas; aliæque deſinentes in voluptatem, in qua commotione quis venam reſignare feſtinet? Quis non expectet turbarum ſedationem? Statim a corporis forti motu non aperimus venam; cur aperiemus commoto vehementer animo, fortiore ſpirituum, humorumque turbatore? Verum ſicuti compertum, exploratumque eſt in ingentibus animi perturbationibus, non eſſe ſanguinem adimendum; ita habeo pro maxime probabili, nullam tam præcipitem occaſionem ablationis obtingere poſſe, ut nequeat ea differri in tempus ſedati tumultus. Eo igitur diſputationem convertam, ut inquiram, utrum propter ingentem

K 2 for-

(a) *Lib. 3. Rer. Epid. Hisp.*

formidinem ægrotantis ſit temperandum a poſtulata phlebotomia; ſiquidem aliqui ægroti ita percelluntur denuntiata venæ ſectione, ut Opifex hæreat, partemque formidinis concipiat. [a] Galenus offendens ægrotum ſcalpri valde meticuloſum, niſi queat ulla ratione metum abigere, relicto ferro ad alia confugit auxilia; atque in curatione febris putridæ accenſæ a ſtipatione meatuum cutis cum abundantia ſuccorum, loco venæ punctionis nimium ab ægro formidatæ, frigidam copioſam propinat. Non in omnibus tamen morbis hæc, vel alia ſuppetere poteſt ſubſtitutio remedii, in quibus ſcilicet phlebotomia non ſolum utilis eſt, ut in deſcripta febri, ſed magnopere neceſſaria, veluti in magnis inflammationibus internis, in quibus majus negotium exhibet violentia morbi, quam formido laborantis, & principalem operam expoſcit. Quinimmo vix credibile eſt, ægrotum cœptum premi vehementia inflammationis, ita timore concuti, ut magis ſollicitus ſit de vitando phlebotomo, quam periculo, leniendoque inflammatæ partis dolore. Expone vitæ periculum, abigetque timor timorem; cujus ſcilicet evitandi gratia multo graviora tolerantur, eduntурque conatus viribus majores, nempe illas concitante impetu animi ex præſentia magni periculi concepto.

De Ecſtaſi, quam Sanctacrux inter res non naturales enumerat, verba non faciam, cum rariſſima ſit, longe diverſa a rebus non naturalibus, interque morboſas collocanda, nimirum affectiones ſoporiferas; quippe quæ alio nomine Catalepſis vocatur, inter eas affectiones collocata.

C A-

(a) *Lib. 9. Meth. cap. 5.*

CAPUT VIII.

De impedimentis venæ ſectionis acceptis ex humorum vitio.

SAnctacrux expoſiturus impedimenta venæ ſectionis objecta a rebus præter naturam, principio expendit diverſas cacochymiæ ſpecies, biliosæ, pituitoſæ, ſeroſæ, malignæ; de quibus multa decrevi ſuperius oſtendens, generatim cacochymiæ non convenire ſanguinis emiſſionem, tanquam evacuans auxilium, niſi una cum mala qualitate ſuccorum exuberans copia coniungatur: quo oſtenſo, liquet quid deliberandum in ejuſdem differentiis. Quædam tamen ſubjungam de cacochymia ſeroſa, & maligna, quibus uberius erudiantur Tirones, nec habeant, quod optent ex tractatu Sanctacrucis. Seroſam cacochymiam Sanctacrux conſiderat in hydrope, diſputatque, utrum ſanguis ſit eximendus, reprobatque cum ceteris medicis detractionem in Aſcite, & Tympanite, deinde totus eſt in explicando, quando ex mente Galeni prodeſt venam ferire in Anaſarca. Eſt Galeni (a) ſententia ejus hydropis principio, qui creditur originem habere ex retentione hæmorrhoidum, vel muliebrium, vel ex alia qualibet cauſſa ſanguinem augente, utiliter minui; abs quo pauci Antiqui, ſed multi Recentiores diſſentiunt, arcentque ab omni hydrope ſcalpellum. Paucis ſenſa mea aperio. Extant quidem apud Foreſtum, Riverium, alioſque exempla hydropis pituitoſi excitati poſt menſtrua intercepta, curatique perforata incipiente morbo vena; ſed in tanta copia medicaminum alterantium, aperientium, alvum, vo-

(a) *Lib. 4. de rat. vic. acut. Hip.*

vomitum, ſudores, urinas provocantium poſt phlebotomiam uſurpata, non poteſt certo colligi, quid ad ſalutem inciſio vaſis contulerit. Mediocris ſanguinis detractio initio Anaſarcæ cum virium robore, tametſi non prodeſſet, tamen videtur non poſſe inſignem noxam, manifeſtamque ad judicandum infligere, & relinquit incertum, utilis ne, an inutilis fuerit. Conſulenda igitur ratio, quæ ſolum probabilem reddit venæ punctionem in Anaſarca, poſitis conditionibus a Galeno expreſſis, & antequam ſanguis multum a naturali bonitate receſſit. Alia etiam interdum cum Anaſarca coniunguntur, quæ ſanguineam vacuationem hortari poſſunt. Sic vidi Patavii textorem quendam annorum circiter quinquaginta eo morbo impeditum cum febre, vaſa ampla, & diſtenta habentem, qui venæ punctura, & purgantibus curatus eſt.

Satis de cacochymia ſeroſa, nunc de maligna. Alii morbi Medicis vocantur maligni, alii peſtilentes, alii venenoſi: ſed hi, & peſtilentes quædam differentiæ ſunt maligni morbi, ſi malignitas ſumitur pro peſſima, occultaque corruptione ſuccorum, quæ licet peſſima dicatur, tamen habet diverſos pravitatis gradus, & conjunctionem aliarum qualitatum, qualis eſt contagioſa, quæ ſolet eſſe communis peſtilentibus. De hiſce omnibus ſeorſum agendum non eſt, neque aliud inquirendum, niſi utrum id, unde morbi dicuntur peſtilentes, aut venenoſi, repugnet phlebotomiæ, eo aſſumpto, quod vis illa veneni fuſa ſit per ſanguinem, ipſique inhæreat. Sanctacrux indagans venæ ſectionis obſtacula ex vitio peſtilente ſanguinis, probat eam eſſe neceſſariam propter indigentiam maxime urgentem revellendi humoris venenoſi, obſtandique, quo minus in cor decumbat, & labefaciat; nititurque oſtendere, humores per venam iſtam a centro vocari ad corpo-

ris

ris ambitum. Itaque breviter conſiderabo productas ab Sanctacruce rationes ad ſuum placitum fulciendum: quæ tamen jacent omnes, admiſſo ſanguinis circuitu, ex cujus legibus obturata vena poſt ſanguinis effuſionem, totus qui remanet humor, per omnes partes circumfluit, & æquabiliter interiores, exterioreſque rigat. Porro rejecto Circuitu, non apparet fructuoſa revulſio humoris venenoſi a corde per apertionem venæ, niſi poſito, eum contineri in certis vaſis communicantibus cum aperto, & inde ad cor deferri; ideoque ſperari poſſe revulſionem a corde ex ejus vaſis apertione; quod tamen eſt contra aſſumptum, videlicet qualitatem virulentam eſſe toti fluento ſanguineo communicatam. Hanc vero in primis ſentio ſanguinis detractioni adverſari præſente virium dejectione, vel futura, deinde peculiari ſanguinis vitio, quod duntaxat effectu deprehendere poſſumus, non ex perſpecta exploratataque venenoſæ, peſtilentiſque qualitatis natura, quæ varietate, & diſſimilitudine difficillima eſt ad cognoſcendum; ut mirum non ſit alios teſtari, ſe utilem comperiſſe in febribus peſtilentibus phlebotomiam, alios exitiabilem: de quibus tamen experimentis non eſt in proclivi dijudicare.(a) Botallus, cujus ſcalpellum ſemper ſanguine ſtillare videas, fortiſſime ejuſdem utilitatem in peſte tuetur, prædicatque divinum remedium; & pernicioſa conamina curandæ peſtis educto ſanguine ab aliis facta rejicit in eorum ignorantiam, & inde commiſſum erratum, vel parcius, vel tardius, quam indigentia poſtulabat, ſanguinem eliciendo, vel utrumque peccando: cum quo facit Sydenhamus egregie commendans prolixam ſanguinis effuſionem in peſte, dummodo fiat, antequam tumores efferantur. Promtiore animo tot laudes phlebotomiæ pro curatione peſtis exciperem, ſi de

(a) *Cap. 7. de curat. per venæ ſect.*

de certa locutus eſſet, non de quacunque generatim, tot graviſſimis auctoribus inter ſe ſe pugnantibus propter mutas, variaſque illius efficientias. Daniel Taurius (a) in malignis febribus venam aperit, ſi tenet ſigna veneni ſanguinem cogentis, non aperit apparentibus inditiis diſſolventis. In hac ambiguitate videtur in eo genere peſtilentis febris aptior ſanguinis expenſa, in quo vehemens eſt incendium, capitis dolor, aliaque ſymptomata fortium febrium putridarum, apparentque in urina ſolitæ earum notæ. Affirmat idem Taurius medicus Pariſienſis in febribus malignis anni 1694. ſanguinis detractiones fere omnes fuiſſe mortales in laborantibus febri maligna, ſine permiſtione febris ardentis. Itaque ſuſpecta valde eſt phlebotomia in ea peſtilenti febre, in qua non capitis dolor, non ſitis, ingenſque æſtus urgent, nec urinæ colore, habitu, contentiſque differunt ab urinis ſanorum: in quibus licet opinari venenum clam, furtimque ſpiritus, & tenuiorem ſanguinis partem invadere, & labefactare, ſimulque vires pro ferenda ſanguinis ex ſcalpro imminutione. Illud etiam videtur magnum pondus habere ad eamdem dehortandam, ſi ponimus ſeminium virulentum aeri inſperſum eſſe, nempe recluſo vaſe uberius & promptius penetraturum in pulmones, univerſumque ſanguinem tenuatum, & rarefactum. Simili conſideratione doctiſſimus Fernelius jubet, peſtis viru late diffuſo per aerem abſtineri a pleniore victu, vehementi corporis exercitatione, aliiſque cauſis, quæ crebram magnamque reſpirationem inducunt. Quoniam autem pravus humor ſæpe effertur in cutem, inquirendum eſt, utrum in excretionibus ad exteriora liceat venam ſauciare, & primum in bubone. (b) Sydenhamus clari nominis neotericus phlebotomiam abjicit in

(a) *De febr. malign. cap.* 21. (b) *Pag.* 129.

in peſtilentia jam apparente tumore, arbitratus per eam humores a circumferentia ad centrum trahi, fierique motum contrarium naturæ a centro ad circumferentiam moventi; abs quo diſſident, diſcordantque plures de Veteribus, & Recentioribus; ſuæque diſſenſionis non invalidas rationes afferunt, eamque præcipue, quod phlebotomiæ utilitas in internis inflammationibus inveterato, communique uſu comperta evincit, per eam non acciri humores ad interiora, ſed exteriora: quod inſuper ex ipſis præſcriptis Sydenhami luculenter apparet, haud facile ab evidenti contradictione vindicandis. Namque agens de curatione Diarrheæ in morbillis ortæ, uti credit, ex halitibus inflammati ſanguinis in inteſtina ruentibus, affirmat, unicum levamen ſperandum eſſe ab vena pertuſa acres humores revellente, ipſumque ſanguinem ad debitam temperiem redigente. Quorſum, peto, incitat phlebotomia humores, quos ab inteſtinis afflictis revellit? Certe ad oppoſitum locum, videlicet ad corporis ambitum. Cur igitur ex eadem in eruptione bubonis veretur, ne trahantur humores ad interiora? Quamobrem ſi ſanguinis extractio poteſt turbare excretionem ad cutem, hanc quidem non poteſt, accerſendo humores ad intima corporis, ſed alia ratione, puta, infirmando conatum naturæ, ſive pervertendo motum illum ſanguinis, quo ſeparatur materia bubonis, pelliturque ad exteriora. Quamquam igitur non arridet ratio Sydenhami, relinquentis phlebotomum ad intuitum exeuntis bubonis, tamen arridet relictio, multoſque habet imitatores. Non tamen id perpetuo, & in quocumque loco naſcatur bubo, obſervandum eſt, uti rarum idemque inſigne docet experimentum a Riverio [a] factum in febre epidemica Monſpelii graſſata anno

 1623

(a) *Lib. 17. Prax. med. cap. 1.*

1623 cum magna mortalium pernicie. Quibuſdam peſte affectis Parotides, ſpecies bubonum circa nonum, & undecimum morbi diem apparebant, & tanta ſevitie, ut intra biduum ægrotantem de medio raperent, nil adjutum alexipharmacis frequenter adhibitis, admotiſque Parotidibus attrahentibus. In hac deſperatione reparandæ ſalutis Riverius, mente agitans illud Celſi, ſatius eſſe anceps remedium experiri, quam nullum, deliberavit in aliquibus hanc medicationem periclitari, plurimos ſervaturam, ſi bene ceſſiſſet; & primo periclitatus eſt in quodam Mercatore Monſpelienſi, qui poſt deliberationem curandus primus occurrit. Succrevit Parotis pone ſiniſtram aurem die morbi 11, cui novam medelam adhibuit veteri poſthabita. Juſſit tres uncias ſanguinis detrahi, inviſoque ægroto poſt tres, aut quatuor horas, & cognito, pulſum eſſe paulo validiorem, minuſque inæqualem, duas uncias ſanguinis iterum duci præcepit, & poſtridie medicamentum purgans ex Senna, & Rheobarbaro, propinavit. O felix conſilium, quo non ille tantum impendente morte redemptus eſt, ſed quotquot deinceps toto eo anno, ut ait, in ſimilem morbum incurrerunt, ſimilemque medelam experti ſunt. Anguſtiæ loci recipientis, & copia materiæ ægrum citiſſime jugulabant, ut oſtendit ſanatio per imminutionem conſecuta. Si ad capaciorem locum detruſa illa foret, neque tantum periculi intuliſſet, nec eamdem curationem indicaſſet.

Altera eſt in febribus malignis, & peſtilentibus oppido frequens eruptio ad cutem, eaque conſiſtit in maculis rubris, aut violaceis, aut alterius coloris plerumque pulicum morſui aſſimilibus, aliquando in principio, crebrius in decurſu morbi apparentibus. Hiſce porro emicare incipientibus, diſputatur apud Medicos, utrum liceat ſanguinem

nem effundere, ſi aliunde effuſio indicaretur. Controverſiam diremptúrus, primum inquiram, cujus conditionis ſit ea excretio. Vidi has maculas in viro quinquaginta circiter annorum, temperamenti ſanguinei, bilioſique poſt equitationem frequentem, correpto ſimplici tertiana. Vidi in Puella decem, & octo annorum temperamenti ſanguinei, quæ poſtquam choreis incaluit, incidit in tertianam duplicem continuam, reſtinctam tamen intra quatuor, aut quinque dies, & abſque ullo maligni humoris inditio. Raro tamen id uſuvenit, plurimumque in pravis febribus illæ apparent, pravitatemque denuntiant, æſtumque malignum, imo a multis numerantur inter proprias notas virulentæ qualitatis; quibus tamen non aſſentior. Quandoquidem neque in omnibus malignis erumpunt, nec in ſolis, ut vidimus, malignis, quodque aliquando ab aliquo morbo ſeparatur, ejus proprium inditium non eſt. Nemine tamen diſcrepante, quotieſcunque apparent in febribus continuis cum gravium ſymptomatum comitatu venenoſi ſucci ſignificationem onerant, certioremque præſtant. Quinimo Sydenhamus [a] animadvertit, maculas purpureas in certis circumſtantiis apparentes, eſſe certiſſimos mortis indices. Quamquam igitur Alexander Maſſaria, Rodericus a Fonſeca, aliique non obſcuri nominis exiſtimant, dicta exanthemata ſymptomatica eſſe in principio morbi, crudi exeuntia, critica poſt coctionem, mihi videntur nihil aliud eſſe, quam quiddam conſequens ad fervorem malefici humoris; quemadmodum eſt color flavus viridiſque inficiens corpora paſſa morſum viperinum; ideoque quocunque tempore efferantur, eſſe ſymptomatica, & inutilia. Excretiones notabilis quantitatis in corruptione late fuſa per ſanguinem ſalutares eſſe poſſunt,

L 2 non

(a) *Pag. 117.*

non exiguæ quantitatis, cujuſmodi ſunt puncta rubra, vel aliter colorata interſtinguentia cutem; quorum occaſione nunquam obſervatum eſt, uti notat Petrus Foreſtus,[a] ſecutam eſſe criſim. Hac animadverſione conſtat ſupervacuos eſſe, & potius noxios plurium Medentium conatus ad promovendam expulſionem peticularum cucurbitulis ſcarificatis, aut ſiccis, quaſi earum copioſiore expulſione fomes malignus cum levamine ægroti non parum minueretur. Numquam, cum mihi licuit libere mederi, conſuetis remediis cuti adhibitis earum exitum provocavi, cavi tamen quæ poſſent impedire, ut pote quoque inſenſilem perſpiratum impedientia; ſemperque in bonis habui, maculas paucas, rubraſque apparere. Quacunque vero quantitate apparerent, & cujuſcunque coloris, harum aſpectu in aliam curam animum non intendi, niſi ut temperarem ſanguinis fervorem, pravamque qualitatem corrigerem, cutem punctatim maculantem; in quem finem ſoleo uti nitro purificato, & aliquo temperato cardiaco pro ratione accidentium. Magis enim, ut perſuaſum habeo, præſtat interna cauſſæ correctione obſtare macularum eruptioni, quam externis auxiliari. Daniel Taury principio exeuntium ſtigmatum præbet fortia Cardiaca augentia fermentationem; quæ meo arbitratu, locum duntaxat habere poſſunt, ubi majus negotium faceſſit pravitas humorum, quam fervor, non eo fine ut ſtigmata uberius efferantur, ſed cor roboretur, vel opportune ſudor provocetur. Ceterum obſervat Sydenhamus[b] ab intempeſtivo Cardiacorum uſu & regimine paulo calidiore maculas ſæpius efflOreſcere, & purpureas in junioribus, & temperatura calidiore præditis in quolibet Acutorum genere ſummæ inflammationis certiſſimum inditium eſſe.

Hæc

(a) *Lib. 6. de febr. Obſervat. 12.* (b) *De nova feb. ingreſſu.*

Hæc ſi mecum adprobas, ſancire debes, excretionem ſtigmaticam nullum habere momentum ad interdicendam phlebotomiam, tum hujus natura conſiderata, quæ non trahit ab ambitu ad centrum, tum conditione excretionis, quæ critica ſtatui nequit, ſive ſpectes paucitatem excretæ materiæ, ſive cauſſam excernentem. In dubium forſitan verti poteſt, an in maligno humorum ſtatu ab interſtincta coloratis notis cute ſignificato poſſit reperiri indicans ducendi ſanguinis e vena grandi, ſine impedimento a viribus objecto, ſolitis in hiſce febribus accidi. Ceterum præſente valida indicatione, cujuſmodi eſſet copia ſanguinis cum dolore capitis, procul dubio exequendum indicatum foret; uti exequendum viſum eſt claris viris Montano; Rondeletio, Riverio, aliiſque multis, initio tamen eruptionis; id quod præclaro exemplo confirmat Riverius, [a] qui erumpentibus ſtigmatis, licet violacei coloris, venam brachii reſignavit, exituque felici, quem antea promiſerat ægroto. Attamen Daniel Taury [b] ad pungendum utiliter venam non ſolum requirit initium eruptionis macularum, ſed inſuper morbi, rubrum earum colorem, æſtumque febris ingentem.

Quandoquidem incidit ſermo de eruptionibus ad cutem in febribus malignis, ad eumdem attexo inveſtigationem, utrum Variolæ, quæ ſæpe exitiales ſunt, malignamque febrem comitem habent, & maculas purpureas, ſint perpetuum impedimentum phlebotomiæ. Fomes earum in ſanguinem immergitur, natus certo tempore ad erumpendum, cutémque afficiendam; atque identidem tam feliciter eruptio procedit, ut nullam permittat quæſtionem de incidenda vena, totum negotium abſolvente natura abſque artis præſidio. Interdum tamen vel prope exitum, vel in ipſo exitu

(a) *De mor. Infreq. Obſer. 12.* (b) *De Mac. purpu. cap. 16.*

exitu tam gravia & moleſta accidentia interveniunt, ut ingerant gravem ſuſpicionem ſiniſtri eventus, exigantque artis providentiam. Quæritur igitur, an tanta ſit vis Variolarum effundi incipientium, ut ſemper excludant uſurpationem phlebotomi, quæcunque interſint accidentia. Quamquam autem apud vulgum invaluit opinio in præparatione corporis ad Variolas, ſemper eſſe perniciosam venæ magnæ vulnerationem, tamen & ratio docet interdum convenire, & utilem fuiſſe, experientia teſtatur. Atque primum animadverto phlebotomiam non opponi exituris, aut exeuntibus Variolis, quaſi per eam induceretur motus contrarius ab extimo corpore ad intimum, uti ſupra quoque adnotatum fuit; imo multiplici experimento conſtat per ſanguinis detractionem adjutum eſſe, feſtinatumque motum ad cutem. Vagantibus Patavio Variolis, quædam Virgo viginti duorum plus minus annorum correpta febri cum magna anxietate, & agitatione mihi inditio fuit variolarum exitum conantium, quem ſine ſanguinis extractione opperiebar. Creſcente tamen vehementia jactationis aliorumque ſymptomatum neceſſe fuit, venam tali reſignare, id etiam ſuadente menſium non brevi retardatione. Vix clauſa eſt vena, cum toto corpore, quaſi fræno ablato, & ſigno dato apparuerunt variolæ, antea, uti opinor, cunctatæ, aut propter vaſa nimis diſtenta, aut denſiorem ſanguinis compagem. Idipſum plures alii experti ſunt, præ ceteris Amatus Luſitanus[a], qui, uti narrat, non dubitavit puero quinque annorum habenti ſenſum punctionis modo in una parte corporis, modo in altera, modo in pluribus, uncias quatuor ſanguinis ex brachio dextro elicere; quo educto protinus tranſmiſſa ad cutem liberius materia pungens eſt, efformataque in variolas, ceſſante ſenſu pun-

(a) *Curat. 7. Cent. 1.*

punctionis. Quemadmodum autem venæ inciſio accelerare poteſt Variolarum egreſſum poſitis certis circumſtantiis; ita poteſt retardare, & perturbare illis mutatis, licet ex ſua natura ab ambitu ad centrum minime ducat. Ut humor noxius in ſanguinem immerſus efferatur in cutem, certus motus inteſtinus, fervorque ſanguinis requiritur adjutus a peculiari robore, & quantitate partium ejuſdem; quibus per phlebotomiam alteratis, vel retardatur, vel imminuitur, vel cum gravi diſcrimine impeditur expulſio. Unde nam noſtris temporibus raro criſes eveniunt in acutis, quas multo frequentius vidit Hippocrates? Nil aliud in cauſſa eſt, uti obſervant cordati auctores, niſi impedimentum injectum abs tot ſanguinis detractionibus, aliiſque vacuationibus, & irritamentis naturam primariam effectricem ſalutis interpellantibus. Res manifeſtior eſt in Variolis pluribus, & clarioribus exemplis confirmata, ideoque etiam vulgus illis inſtantibus, vel egredientibus vehementer formidat venæ inciſionem, Medicique hunc conſenſum ſequuntur, nec deſerunt niſi aliqua forti cauſſa coacti, puta, notabili plenitudine venarum, difficili egreſſu cum incremento febris, aliorumque ſymptomatum: quibus ſignificatur, naturam copia premi, aliquod allevamentum habituram ab venæ inciſione. Copia tamen probabilem eam reddens, videtur tantum reperiri poſſe in natu grandioribus, in quibus tam cito ſponte diſſipari nequit, ut in tenellis puerulis.

Hactenus dicta de eruptionibus ad cutem in maligna humorum qualitate, quantum attinet ad venæ ſolutionem, valent etiam in ceteras humorum conditiones. Eadem enim ſemper eſt remedii natura per ſe ſpectata, & ſolum ejus effectus variant pro varietate accidentium concurrentium in actionem recipiente. Quicunque ſit humo-

rum

rum ſtatus, nunquam Phlebotomia adverſatur motui ad exteriora alliciendo ſuccos ad interiora; quamvis adverſari poſſit alia ratione, videlicet enervando vim expultricem. Sic in Eryſipelate, in quo Celſus, Paulus, aliique non metuunt venam aperire, metuunt alii cum Galeno, eam certe apertionem timere nequeunt, tanquam avocaturam ab ambitu, & revocaturam ad centrum prius in ambitum tranſmiſſa. Verum enim vero quia ſatius eſt commotam bilem extra ferri, quam intus remanere, & ſanguinis detractio, mutans ejuſdem contextum perturbare poteſt motum expulſorem ad externa, cadit in controverſiam, an ea ſit uſurpanda in Eryſipelate; & hinc etiam cadit in controverſiam, quoniam per eamdem attenuatus ſanguis facilius vertitur in bilem, quando iſtius fermentum emerſum viget, & dominatur; quo nomine Majores declinabant venæ punctionem tempeſtate æſtiva. Quamobrem conſultius agunt cum ægroto, qui venam non feriunt in ſincero Eryſipelate, ſed tantummodo phlegmonoſo, eoque minaci, aut propter febris intenſionem, aut partem affectam, aut magnitudinem, & alia accidentia ſupervenientia. Quare in Eryſipelate capitis, & faciei & propter partis dignitatem, & morbi conditionem in iis partibus, ut animadvertit Galenus, fere nunquam exquiſiti, non pauci confugiunt ad venæ ſectionem, ſi magnitudo morbi & accidentium cohortetur; eam omittunt in Eryſipelate crurum, in quibus frequentius accenditur, & aliarum ignobilium partium. Animadvertendum tamen eſt phlebotomiam in brachio in Eryſipelate faciei, capitiſque interdum notam pernicioſæ ſubiviſſe, quaſi traduxiſſet cauſſam morbi ad pulmones cum interitu ægrotantis, qui ſecutus eſt. Et ſane interdum Eryſipelata in facie accenſa repunt in cutem capitis, quorum multa affirmat Valle-

ſius,

ſius,(a) ſe vidiſſe citra periculum ægrotantium repſiſſe; interdum tendunt deorſum, & iſta cum Valleſio opinor, perículoſiora eſſe ob metum, ne fauces, guttur, & pulmones invadant. Itaque morbi deſcenſu ad inferiora obſervato, ſi ſanguinis effuſio requiritur, certe conſultius erit ad omnem ſuſpicionem declinandam, cucurbitulis ſcarificatis tergo appoſitis eum effundere, quam vena cubiti vulnerata. Sydenhamus in curatione febris eryſipelatoſæ poſtquam deſcripſit faciei Eryſipela, nulla adhibita diſtinctione ait, ut primum accedit ad ægrotum, præcipere ſatis largam ſanguinis effuſionem, eamque iterum, & tertio repetere, ſi morbi conſtantia repetitionem exigat, ad educendam materiam immiſtam ſanguini, plerumque, uti aſſerit, Pleuriticorum ſanguinem æmulanti. Nollem tamen inde Tirones animos caperent ad large ſanguinem generatim detrahendum in eo morbi genere, prætermiſſo examine, quale ſit temperamentum ægroti, quibus humoribus ſcateat, cujus conditionis ſit Eryſipelas. Quandoquidem Londini, ubi Sydenhamus praxi floruit, Medicus alter clari nominis Joannes Freind ejuſdem morbi faciem inſidentis comitati febre vehementi, delirio, & diſtentionibus nervorum curationem confecit in Virgine admodum generoſa ſtirpe orta iteratis purgantibus, iiſque non infirmis, nulla prorſus mentione facta de ſanguinis detractione.

Flatus, de quibus Sanctacrux, poſtquam egit de vitio ſanguinis maligno, & peſtilenti, inquirit an phlebotomum rejiciant, quamvis a variis cauſſis generari poſſint; tamen quia ad eorum generationem humores concurrunt, ſequor ordinem Sanctacrucis hoc loco idem examen inſtituendo. Materia flatus potiſſimum creditur

M hu-

(a) *Lib. 6. Morb. Popu. ſect. 8.*

humor crudus, vel pituitoſus, vel melancholicus, atque, ſi facimus cum Proſpero Martiano, humor, in quo ſiccitas prævalet humiditati. Quæcunque tamen determinetur flatus materia, hunc minime generat, antequam in vaporem attenuatur; fitque primario attenuatio a calore, modo remiſſiore, modo intenſiore; uti declarant varia corpora flatibus abundantia. Abundant flatibus ſenes jam languente calore; abundant plures hypochondriaci, quibus intus venter exæſtuat. Itaque ex materia proxima flatus, quæ halitus eſt, liquet omnem cum aliquo calore conjungi; neque poſſe dividi in calidum, frigidumque abſolute, ſed tantum comparate; cum materia rarefacta conſervari nequeat ſine calore. Porro flatus, ut eſt halituum diſtendens congeries, ſi ab vehementiore calore habeat originem, nihil præſefert, quod valeat incutere dubitationem de celebranda indicata phlebotomia: ſin autem ab remiſſiore calore generetur, per ſe non contradicit ſanguinis impendio, ſed ſolùm tanquam indicium, aut imbecillitatis virium, aut affluentiæ crudorum ſuccorum, aut alterius morboſæ cauſſæ. Quod ſi flatus in vaſis concluditur, ibi conclusus varios morbos parit, ideoque apertione venæ curatur; idque Hippocrates in epidemiis docet (a) his verbis: *Anemen venæ ſectio*. Non unum habet hæc vox *Anemen* interpretem, non unam enarrationem, ſed probabilior eſt aſſignata a Valleſio, nomine *Anemen* intelligente morbos a flatu exortos, quos indicat Hippocrates agens de flatibus, oſtendens iſtos in cauſſa eſſe omnis fervoris ſanguinis, febrium, & morborum ſubito voce privantium; pro quorum curatione paulo poſt in eodem libro ſanguinis emiſſionem commendat. Sanguinem turbat flatus, ut ait Hippocrates, tur-

(a) *Lib.* 2.

turbatione fervere facit, præparatque ad varias affectiones creandas. Ac ſane ſubitum levamen, quod aliquando in febribus fortibus, atque in inflammationibus fuſo ſanguine obtineri videmus, alteri cauſſæ fortaſſe verius non adjudicatur, quam flatuum reſolutioni, vaporoſæque materiæ vacuationi; unde ſanguis agitatus incaleſcit.

Cognito ab univerſali venarum cacochymia, prohiberi phlebotomiam, ut evacuantem, proximum eſt, ut veſtigem, num etiam prohibeatur, ut revellens, derivanſque: de quo decernere in proclivi eſt animadvertenti ab alto lapſis cum gravi capitis offenſa ſanguinem detrahi revulſionis gratia, licet malus ſit; detrahi eodem reſpectu patienti largum e naribus profluvium ſanguinis alia revellentia fruſtratum; itemque detrahi Angina laboranti, vel alio gravi morbo ab impetu confluentium humorum coorto, cujuſcunque ſit ſanguis conditionis, nullo adminiculo citius, efficaciuſque obſiſtente violento humorum motui cruenta revulſione. Videtur tamen id præſcriptum parum conſonum Hippocratis monumentis, ex quibus habemus etiam in inflammationibus, prævalente cachochymia Senem ad ſolutionem alvi, non venæ confugiſſe, Quocirca incipiente phlegmone, ſi urget indicatio revellendi, neque revulſionem molitus eſt Hippocrates phlebotomo propter malum ſuccum, vel ille ex arte non egit, vel malus ſuccus vetat ſanguinis extractionem etiam ut revellentem. Hæc tamen conſecutio non tenet: quandoquidem exoriente inflammatione, & dominante cacochymia adduci in controverſiam poteſt, utrum præſtet revulſionem peragere venæ punctione, an purgatione, & pro utraque parte ſuppetunt ſimilia veri, & utroque modo fit revulſio. Hippocrati viſum eſt per ictam venam ſanguinem attenuari in cacochymia biliosa, novam vim

M 2 acqui-

Sequirere ad morbum augendum, & proinde declinandam phlebotomiam eſſe. Mihi vero conſideranti concurſum humorum ad partem, quæ inflammatur, videtur valentius præſidium eſſe motus contrarius in confluentes humores inductus: quem autumo facilius, & ſecurius induci per venæ vulnerationem, quam purgationem. Pars cœpta inflammari magis tenditur, & reliquæ ex conſenſu, tenſæque obſtant expurgationi; quam propterea poſtpono venæ ſectioni, quæ revellit ſimul, & relaxat; prætereaque poſtpono, quia mitia purgantia ſunt inefficacia, fortia vero in febribus fortibus, quales comitantur inflammationes, ſuo calore, acrimonia, & vi turbatrice ſuſpecta ſunt; & talia judicavit Galenus, qui retrohabitis veſtigiis Hippocratis, in Pleuritidis deſcendente dolore ſcalpellum acrioribus purgantibus præfert. Hanc autem prælationem inde quoque ſecuriorem exiſtimo, quod difficile cognitu eſt, an ita malus ſuccus ſuperet bonum ſanguinem, ut potior ſit ad revellendum expurgatio; & inſuper quia per mediocrem ſanguinis effuſionem, qua relaxatis partibus remittitur aliquantum dolor, non tollitur opportunitas expurgationis: quam methodum plures graves auctores tenuerunt in Pleuritide bilioſa.

Poſt conſiderationem cacochymiæ generalis vaſorum ratione incidendæ venæ, in examen voco particularem conclusam in prima regione, quæ extenditur ad gibbam uſque jecoris partem, lienem, complectiturque ventriculum, inteſtina, meſenterium, pancreas, cavum jecoris, & lienis. Multa in hiſce locis generantur excrementa, præſertim in ventriculo, & inteſtinis, quorum alia rebus non naturalibus accenſentur, alia cauſſis morboſis: multa quoque abs toto corpore tanquam ad publicam ſentinam eo tranſmittuntur. Nunc ſermo eſt de colluvione

ne in dictis partibus acervata, variorumque morborum effectrice, frequenterque febrium non ſolum intermittentium, quarum ſedem in ea regione fixit Fernelius, ſed etiam aliquando continuarum, uti ſcite Sanctacrux adnotavit, & inde Medicos ducentes ſanguinem falli, opinatos earum cauſſam per venas fluctuare, quæ in prædictis latibulis continetur. Itaque ſi morbi curandi fomes ſubſiſtit in ventriculo, inteſtinis, & conterminis partibus, proprie non impedit venæ ſectionem, ſed tantum oſtendit, ejuſdem indicem deeſſe. Id tantummodo proprium plebotomiæ obſtaculum voco, quod eam indicatam vetat executioni mandari; ceterum non indicatur, ſi humor effector morbi extra venas conſiſtit, cujus evacuandi conveniens via non poteſt eſſe vena ſoluta. Ergo ponamus cauſſam febris ineſſe ſanguini, ſimulque primas vias excrementis affluere: quod cognoſcemus ex oris amarore, vel alio ingrato ſapore, ſenſu nimiæ ſatietatis, nauſea, prægreſſis erratis in victus qualitate, & quantitate, aliiſque ſimilibus indiciis. Quæritur, utrum ea purgamenta obſtent vulnerandæ venæ vulnerationem exigente febri. Mos eſt apud plures Medicos ſaltem clyſtere primo die ventrem expiare, ſecundo venam aperire: ſed unicum clyſterem judico ſufficere evacuandis imis inteſtinis, non ventriculo, proximiſque partibus, ſed requiri vel electuarii lenitivi completi propinationem, vel ſimilis mitioris purgantis. Quia vero unica propinatione difficile eſt, impuram affluentiam primæ regionis tollere, poſtridie minus ſanguinis eo ſcopo ducerem, ne multum depleta vaſa ſuperſtites impuritates allicerent. Non omittam hoc loco, ut præteream perutile monitum Sanctacrucis de vitando errore in curatione febrium, qui cenſet multa genera febrium originem ſortiri a latibulis impuris pri-

marum viarum (a): Omnia ſigna febris putridæ venarum, uti monet, reperiri poſſunt in febre a cruditatibus dicti loci putrefactis, aut uſtis, aut alio modo depravatis, aut in alienos humores converſis. Signa ſunt calor intenſior, inæqualitas pulſus cum frequentia, & celeritate, urina rubea, dolor, gravitaſque capitis, inquietudo, cibi faſtidium, lingua arida, & nigra: quæ omnia affirmat ſe obſervaſſe in quodam præclaro viro, ad quem vocatus eſt die 28 ægrotationis. Videbatur æger, uti narrat, agere animam difficile reſpirans, cum dolore intenſo dorſi, pectoriſque, cum nigra, & aſpera lingua, pulſu veloci, inæquali, magnoque. Alter Medicus præſcripſerat venæ apertionem, quam inhibuit Sanctacrux, capta conjectura ex contrectatione ventris inferioris, in iſto eſſe febris originem; quam protinus amovere incepit clyſtere purgante; excretaque bile aduſta, aliiſque craſſis purgamentibus, ſtatim multo melius ægrotus habuit. Hinc forſitan ſuam ſententiam traxit non obſcuri nominis Baglivus, (b) plures continuas febres cum gravibus ſymptomatis, malignamque qualitatem præſeferentibus non aliunde accendi, quam ex primis viis immundis; atque ex tribus partibus febrium Romæ frequentium, duas ſaltem produci a meſenterii ſordibus, ibique diu congeſta putri cacochylia. Utrum hujuſmodi febres tam frequenter excitentur, non diſputo, interdum excitari concedo: exiſtimo tamen a colluvie primæ regionis impurum aliquid ipſi ſanguini communicari, eumdem præter naturam turbans, fermentanſque. Videtur enim difficile, ita concludi in eo loco fomitem febrilem, ut dum fermentatur, & agitatur, nulla portio in venas inſiliat. Poſuit Fernelius (c) fe-

dem

(a) *Lib. 3. cap. 12. de Præpar. Mag. Auxil.* (b) *Prax. Medic. lib. de feb. malignis, & meſentericis.* (c) *Lib. 4. de feb. cap. 10.*

dem febrium intermittentium circum præcordia, circum ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum, aut meſenterium; neque tamen putat in gravioribus acceſſionibus totam materiam febrilem in illis partibus retineri, ſed tenujorem portionem impetu invaſionis in venas majores irrumpere. Eſt etiam obſervandum, non raro febres malignas futuras incipere ſub forma tertianæ intermittentis, & poſt aliquot acceſſiones fieri continuas, cum perniciosis ſymptomatis, & eruptione peticularum: in quibus ægrotis cenſeo pravorum humorum congeſtum eſſe tum in prima regione, tum in omnibus venis, ſed in hiſce minus præparatum eſſe ad accenſionem, quam in illa, poſtea præparari & a calore intermittentis febris, & portione corruptæ materiæ illapſæ in venas, ſubinde oriri continuationem febris, aliaque infauſta accidentia. Ut igitur vitetur error tundendæ venæ in febribus a Baglivo meſentericis vocatis, diligenti meditatione opus eſt, ſignorumque inquiſitione. Sanctacruci deſcriptæ febris indicia fuere, quod diligenter explorans primam regionem, variiſque in locis comprimens, ſenſit rugitum ſimul cum tenſione, quæ in aliis partibus cedebat, in aliis reſiſtebat, & urina excernebatur, qualis per ſanitatem. Cæterum hujuſmodi urinam non judico certum indicium cauſſæ febrilis regionem primam inſidentis: quoniam identidem videmus in febribus intermittentibus, quarum ſedem Fernelius circum prædicta viſcera collocat, aliique multi cum eodem, colore, habitu, & ſedimento urinam ſæpe a naturali non leviter recedere. Primum igitur, ut recte judicemus, contrectandum abdomen eſt, deinde reſpiciendum ad omnia accidentia demonſtrantia inquinamenta ventriculi, & partium vicinarum, cauſſaſque præpoſitas, abs quibus eà

pro-

producuntur; cujuſmodi ſunt diuturnæ animi perturbationes, longæ vigiliæ, ſollicitæ intentæque cogitationes, gula, aliaque id genus.

CAPUT IX.

De impedimentis venæ ſectionis acceptis ex morbis.

Diſſimilibus morbis, aliiſque petentibus phlebotomiam, aliis recuſantibus idem corpus teneri poſſe extra controverſiam eſt; ideoque ad expediendam Tironum deliberationem in hiſce complicationibus, percurram morbos ſanguineæ vacuationi contradicentes, ordine ſervato eorum diviſionis, quæ traditur ab Scholis, in ſimilares, organicos, & communes. Ad ſimilares pertinent intemperies, quas Recentiores multi explodunt, nec attinet in præſens vel comprobare, vel refellere, omneſque velitationes declinandi cauſſa, eas ſolitarias, & ſimplices non conſiderabo, ſed conjunctas cum morbis. Ex omnibus intemperiebus creditur maxime rejicere phlebotomum intemperies frigida, & humida totius corporis; quam meditabor ut conjunctam cum cachexia, vel hydrope. Eſto igitur: corripiatur cachecticus, vel hydropicus, affectus dicta intemperie Angina, vel Pleuritide cum dolore aſcendente, ex Dogmaticorum conſenſu flagitante ſcalprum. Credo hos ægrotos tam calidos morbos difficulter incurrere poſſe, ſed hoc poſito, venis parcendum non eſſe credo, tantumque detrahendum ſanguinis, quantum imbecillæ vires permittunt, revulſionis, & derivationis cauſſa. Citra tamen tam apertam indigentiam detractionis, hæc omittenda eſt etiam in morbis ſolitis ea curari, uti

ſunt

ſunt plures febres putridæ, in quibus cenſetur utilis phlebotomia, non neceſſaria.

Sanctacrux dicere inſtituens de refrigeratis, quatenus inde deſumuntur impedimenta vacuationum, aſſerit, hos caſus frequenter accidere, producitque pro exemplo frequentiæ febres ortas ex refrigeratione cutem obſtipante, ſolitumque effluvium intercipiente, deinde frigiditatem initio plurium febrium ſævientem. Verum quod pertinet ad febres accenſas propter cutem a frigore obſtructam, id ceſſat diſſipatum a calore febrili, tolliturque dubium, an liceat refrigeratis ſanguinem adimere. Obſtructio a refrigeratione, ſi magna eſt, ſolet excitare putridam, ſi minor ephemeram, in qua non inciditur vena, niſi ſubſit inſignis copia ſanguinis, minitans converſionem ephemeræ in putridam. Cum vero ex refrigeratione obſtipante, & inhibente inſenſibilem effluxum creatur putrida, refrigeratio prægreſſa non vetat, quo minus educatur ſanguis, detractionis legitima indicatione oblata. Porrò ex ſententia Galeni frigus non copulatur cum febri intermittente, ſed præcedit, indicatque eam imminere, non adeſſe. Fac tamen copulari. Quis affligente frigore animum inducat, admovere venis ſcalpellum? Quis non videat, quo tempore omnia conſtricta ſunt, converſi humores ad interiora, primaſque vias, cum magno ægrotantis labore quieſcendum eſſe, totamque operam navandam diſcutiendo frigori? Nihil apertius. Ad difficiliora igitur tranſeamus; primoque ad febrem hecticam conjunctam cum putrida phlebotomo curari conſueta, niſi hecticam ſociam habeat. Tres hectica gradus habet gravitate, & periculo differentes; de quorum primo, qui levior eſt, vertitur controverſia, an cum putrida copulatus permittat ſectionem venæ: quam non per-

mitti a reliquis duobus in confeſſo eſt. Contra plures graves auctores in primo gradu hecticæ conjunctæ cum putrida non refugiunt a parca ſanguinis detractione pro curatione putridæ. Quia tamen modo hectica ſupervenit putridæ, modo hecticæ putrida, agitabo quæſtionem, ut altera alteri ſupervenit. Itaque hectica ſuperveniente putridæ, plus huic prægreſſæ tribuendum videtur, quam hecticæ, poſitoque, a putrida ſanguinis emiſſionem expoſci, nec eſſe factam, parca permitti poteſt. Ceterum illud ſemper ante oculos habendum eſt, in febribus putridis ſine plenitudine venarum, aut inflammatione nobilis partus phlebotomiam eſſe poſſe fructuoſam, non eſſe neceſſariam; hecticamque ſuper additam indicium eſſe paucitatis ſanguinis, teſtante communi obſervatione, eam duntaxat in corporibus pauci ſanguinis excitari. Enim vero cum hectica præcedit putridam, primas curationis ſibi vendicat: in qua conjunctione ſequor Galenum (a) minime utentem ſcalpello, non Botallum, non Petrum Foreſtum, Sanctacrucem, alioſque putridæ reſpectu venam cruentantes. Sine diſcrimine Galenus in hectica aſſociata putridæ abſtinet a phlebotomo, ſive hectica putridam antecedat, ſive putrida hecticam: mihi tamen viſum eſt putrida antegreſſa locum aliquem relinquere conſiderationi reſignandæ venæ.

Verna (b) effuſus in exiſtimationem phlebotomiæ non ſolum febrem hecticam, ſi antecedat putridam, non habet pro illius impedimento, ſed in hectica incipiente, & præcipue originaria diderit, mittendum eſſe ſanguinem; imo etiam in tabidis, ſi principio morbi adeſt vera plethora, aut apparens, vel impuri adaucta moles, ſolidique tenſio, ſemel, bis, ac ter emittit, robore virium an-

(a) *Lib. 10. Meth. cap. 5.* (b) *De Phlebot. Part. 2. Cap. 10.*

annuente. Accipe, quam affert, hujus conſilii rationem, *Phlebotomia enim humores acres ſalinos evacuat, ipſumque cruorem roridum minus ac balſamicum deplet, Spiritus eoſdem impetum nimium facientes, confundentes, ac tumultuantes, roremque diſſolventes, ac abradentes deprimit, & diſſlat*: unde imaginatur plura commoda in ægrotantes redundare. Multa continet id placitum mihi aſpera, & ſpinoſa. Ergo concedo, ſi poſſit conjungi cum febre hectica, & tabe vera ſanguinis redundantia, hunc eſſe minuendum perfoſſa vena; ſed an poſſit conjungi, vehementer dubito ex pulſu parvo hecticorum, denotante paucitatem ſanguinis, non copiam, qui communiter indicium hecticæ febris exiſtimatur: dubito ex acrimonia ſanguinis, aliiſque qualitatibus vitioſis, quibus imbutus humor, reddituſque inhabilis ad nutritionem Cacochymiam generat, non Plethoram veram: dubito ex inchoata conſumptione partium ſolidarum non conſentanea ubertati probi ſanguinis. Quid quod febris hectica, ſi ſtatim ab initio prehendat, nec alii febri ſuccedat, ſolum accidit temperaturis calidis, ſicciſque, atque ex cauſſis calefacientibus, & ſiccantibus non aptis ad cumulandam ſanguinis copiam; ſin alii febri ſuccedat, veri ſimillimum eſt jam abſumptam eſſe copiam? Alterius quoque plenitudinis vaſorum, quam Verna vocat apparentem, conjunctio cum hectica, & tabe vera mihi non minus improbabilis exhibetur, iiſdemque fere rationibus. Eam plenitudinem ait comparari ex ſanguine febrili, vel ſimili fervore turgente, inſtar vini generoſi uſque adeo ebullientis, ut ora vaſis excedat. Enim vero congruit ne hæc agitatio, fervor, tumorque ſanguinis aſſimilis vino generoſo vehementer bullienti, impetuque bullitus extra vas erumpenti, parvo pulſui hecticorum, lentoque febris motui? Quanto facilius

N 2

cilius eſt hunc fervorem concipere in acuta, vehementique febre tumentibus vaſis, tanto difficilius eſt in lenta febre, & tabe non tumefaciente vaſa, neque ea intenſione calefaciente corpus, qua calefacere deberet vehementia bullitus. Porro adaucta moles impuri humoris, quam Verna cum iis affectibus copulari poſſe arbitratur, multo aptior eſt principio ad producendam putridam, quam hecticam, quæ ex communi conſenſu ex qualitate exotica ſanguinis, non affluentia impuri generatur. Sed hæc miſſa faciamus. Quis vero adprobet rationem Vernæ pro fodienda vena in hecticis, tabidiſque, quæ tota in ejus deſiderio conſiſtit, non in legibus naturæ? Mira hercules foret phlebotomiæ efficientia, ſi, uti ait Verna, humores acres ſalſos evacuaret, ipſumque cruorem roridum minus, & balſamicum depleret, contra legem fluidorum intra eadem vaſa permiſtorum, & contra impulſum circumacti ſanguinis promiſcua liquida æqualiter foramen venæ verſus protrudentem. Mira, inquam, eſſet, ſi ſpiritus impetum nimium facientes, confundentes, & tumultuantes deprimeret, diſſlaretque, minime vero alios, uti optat Verna, impetu minore agitatos, utiles, deſtinatoſque animali œconomiæ moderandæ; ſiquidem illa æqualem vim adverſus omnes exercet, neque in aliquos tantum cum delectu. Separet Verna ſuis votis in venæ ſectione horum effectuum neceſſariam conjunctionem, efficiatque, ut permiſtarum partium ſanguinearum aliæ vacuentur, aliæ retineantur, ſpiritus turbatores deprimantur, alii nihil ſuæ alacritatis, & roboris perdant, nec eam declinabo in hecticis, tabidiſque.

Hippocrates [a] mentionem facit de viro in Oeniadis, qui jejunus laborabat forti ſuctu ventris, & dolore, qui poſt

ſum-

(a) *Lib. 5. Morbo pop.*

ſumptum cibum, & contritum miteſcebant, & paulo poſt revertebantur: itaque corpus tabeſcebat, ei non accedente alimento ab aſſumptis, & cibus pravus, & combuſtus ſubducebatur. Pharmaca omnigena ſurſum, & deorſum purgantia invicto morbo accepit. Secta autem vena in utraque manu uſque dum exanguis redderetur, adjutus eſt, & malo liberatus. Allegat hanc hiſtoriam Verna eo fine, ſicuti ait, *ut practicantes facile concipiant, quod quamvis in hecticis phlebotomiæ adverſantia ſymptomata appareant; re penitus conſiderata ipſa comprobetur, & maxime proſit*. Veruntamen ſi Tirones id faciliter percipient, tanto difficilius percipient provecti; neque ſane percepit acutiſſimus Valleſius, qui aliter quam Verna interpretatur cauſſam levaminis relati ab venæ punctione. Affectio principalis viri in Oeniadis non fuit tabes, ſed fortis ſuctus ventris cum dolore, qui a cibo quieſcebat, neque pro tabe detractus fuit copioſe ſanguis, ſicuti neque pro tabe exporrecta fuerant purgantia ſurſum, & deorſum. Profuit tamen detractio ſanguinis prolixa ad animi deliquium uſque; ſed cur profuerit, in promtu non eſt evidenter determinare. Solebant Antiqui educere ſanguinem tam abunde, ut ſequeretur animi defectio valde, citoque refrigerandi cauſſa, atque ob eamdem in eadem quantitate narrato ægroto habet pro certo Valleſius eductum fuiſſe, referens conſumptionem corporis non refecti ab aſſumpto cibo ad vehementem caliditatem cito reſolventem alimentum; quo reſoluto, inanitoque ventriculo fortis ſuctionis ſenſus affligebat: cui interpretationi favent, quæ ſubducebantur prava, & combuſta, in hecticis apparere non conſueta. Ceterum tam rara curatio, non plane tuta judicata a Valleſio, & ſine imitatore, non intelligo, quid ponderis habere poſſit ad ſtabilienda controverſa, & communi praxi diſſentanea.

Quæ-

Quædam etiam febrium tempora, niſi quid novi incurſet, opponuntur phlebotomo exercendo, nimirum ſtatus univerſalis, monente Hippocrate, (a) in vigore morbi conſultius eſſe quieſcere: quam quietem indubitate turbaret fluctuatio ſanguinis per effuſionem excitata. Et ſane, ſi in vigore febris fortis vires conſtent, exhibeantque ſpem fore, ut natura ſalutarem aliquam vacuationem moliatur, quam per id tempus moliri ſolet, quid hujus interpellandæ periculum incurremus ſanguinis emiſſione? Quid quod in vigore, & paulo ante, Hippocrate præceptore, imminuendus eſt cibus, ut natura toto conatu vacet ſubigendæ, expellendæque materiæ noxiæ? Anne poterit natura & cibi, & ſanguinis imminutionem innoxie ſuſtinere, & opus ſuum urgere? Quidam tamen clari nominis auctores hiſce rationibus minime permoti, ſuſpectam non habent in ſtatu febrili ſanguineam detractionem, imo Heredia tanquam fatuum reprobat præceptum Fernelii eam per id tempus vetantis; qui tamen doctiſſimum virum, magis rationi, & Hippocratis documentis conſentientem nimium acerbe habet. Neque hercules apparet, quare in ſtatu febris præſertim acutæ, in quo omnia ſunt vehementiora cum magna naturæ afflictione, ſola febris cauſſa ſpectata, ſit educendus ſanguis, ſi apto tempore jam fuerit eductus; atque ſit melior actio cruenta, quam quies ab Hippocrate imperata.

Alia mihi non obverſantur penſitanda in morbis ſimilaribus, qui a Veteribus ad intemperies referebantur. In organicis, qui multiplices ſunt, primo in examen vocabo pertinentes ad conformationem, initio facto ab obſtructione, quam Majorum Scholæ volunt fieri a multitudine ſuccorum, vel a lentore, aut craſſitie. Quam copia ſangui-

(a) *Sect. 2. Aph. 30.*

guinis generat, ex communi conſilio, curat phlebotomia, dubitaturque ſolum, utrum genita ab aliis duabus cauſſis eam reſpuat, interdicatque. Multi ex Priſcis auctoritati magis, quam rationis indagini intenti hærent, laborantque in variis Galeni textibus, qui inter ſe ſe diſſidere, & diſcordare videntur: cum quibus ſane nihil temporis ponam; nec in verba controverſa Galeni, ſed in rem ipſam inquiram, primoque diſſeram de obſtructione totius corporis, deinde partium. Occluſis in ambitu corporis finibus capillarium venarum ab craſſo, lentoque ſanguine ſine ulla copia Sanctacrux conſtituit, venam non eſſe ſeriendam, opinatus per apertam venam exire calidum, tenuemque ſanguinem ad exitum paratiorem, & hoc educto magis reliquum perfrigerari, ſubinde obſtruente magis denſato augeri obſtructionem, ſolvendæque difficultatem. De hoc tamen mihi non convenit cum Sanctacruce, ſed congruenter ad ſuperiora aſſero, ſanguinem craſſum, viſcoſumque inhærentem extremis capillarium non egredi ex facto emiſſario, reliquum tamen fluentem per venas indiſcriminatim exire, exitum omnibus partibus permittente amplitudine foraminis; præterea probabile eſſe, commotum ſanguinem vim aliquam inferre oppilanti, adjuturum ſolutionem, ſi præſertim oppilatio recens ſit; & proinde venæ apertionem ab ea minime inhiberi coram morbo eam poſtulante. Non inquiro, quemadmodum debeat curari indicata obſtructio, deterrens Sanctacrucem ab incidendo vaſe, ſed ea præſente, & morbo inciſionem expoſcente, affirmo, me deterritum ab ea non iri, quaſi per vulnus non alius ſanguis exiturus eſſet quam calidus, tenuiſque. Quin etiam interdum ipſa obſtructio univerſalis poteſt eſſe occaſio plenitudinis, & inde phlebotomiæ. Docemur ex Statica Sanctorii, quantum per inſenſilem

per-

perſpiratum diſſipetur, quantum eo impedito retineatur: niſi per aliam viam facta excretio ſuppleat; poſſe proinde ex hoc impedimento repleri venas, exhibērique opportunitatem fructuoſe ſolvendi, ſive puro, ſive impuro ſanguine repletæ fuerint. Hanc rationem attigit Sanctacrux, (a) inquiens propter locum occluſum, ſive univerſa cutis obſtipetur, ſive ſolum certæ partes, in venas refluere humorem, hiſque punctis moderatam detractionem prodeſſe: *Similiter*, inquit, *ſi obſtructio ſit in brachio, aut crure, aut alia parte, quæ non permittit intrare alimentum ad alendum, clarum eſt eſſe occaſionem redundantiæ in reliquo corpore, non ſecus ac in mutilatis membris dixit Galenus accidere redundantiam*. Et paulo infra Galenum, Avicennam, alioſque auctores reſignantes venam in Apoplexia, Epilepſia, ſurditate, oculorum hebetudine, torpore, Paralyſi, Convulſione, Ictertia, lienis, aut hepatis obſtructione, aut duritie, in lapide renes obturante, & Aſthmate interpretatur permoveri ex obſtructione facta multo, aut vitioſo ſanguine, aut ex redundantia in toto corpore boni ſanguinis, aut craſſi. Igitur aſſentio Sanctacruci, in obſtructione orta a multo ſanguine hunc eſſe minuendum, pariterque in redundantia boni, aut craſſi: in orta vero abſque ulla multitudine venam duntaxat aperirem, cum recens eſt, ſubitoque genita, ut in Apoplexia profecta ab interceptione venarum, ut loquar cum Hippocrate, alioque morbo producto a celeri humorum illapſu: cum enim paulatim facta, & vetus eſt oppilatio, meo judicio, plus habet momenti ad diſſuadendam, quam ſuadendam phlebotomiam. Porro dicebat Sanctacrux per obſtructionem cruris, vel brachii fieri redundantiam in reliquo corpore, uti contingit ex detruncatis membris; de quibus tamen val-

(a) *Lib. 3. cap. 14.*

valde diſſimilem rationem eſſe cenſeo, atque de parte ex morbo obſtructa. Ponamus partem aliquam Paralyſi affectam eſſe, cum ejuſdem macie ob impeditum alimenti acceſſum. Ita ne ſuccreſcet ſanguis in venis ex hoc impedimento ſicuti occaſione defecti membri? Ex omnium partium corporis uno conſenſu, & conſpiratione licet opinari, parte aliqua reſoluta, etiam reliquum corpus priſtina integritate non frui, & præcipue viſcera, animali œconomiæ præſidentia, proinde minus ſanguinis generari: id quod non accidit poſt reciſa membra, ſi poſt reciſionem corpus in priſtinum revertatur. Sed concedamus ex membro paralytico, defectoque nutritione aliquid plus ſanguinis in venis congeri; adaucta tamen quantitas admodum exigua erit, paulatimque congeſta; ex qua non ſuppeditatur indicatio cruentandæ venæ, quippe tenui, nec exiſtente in principio paralyſeos; quo tranſacto cordatiſſimi auctores ſcalprum non aſſumunt, & ſolum in ejus principio aſſumunt, quæ ſubito fit, non paulatim. Tamen, ſi, uti placet Sanctacruci, cumularetur ſanguis in reliquis venis propter conſtrictionem partis paralyticæ, nec ejus generatio imminuitur, ut mihi videtur imminui, potius in excurſu morbi, cumulante majorem copiam ſanguinis, quam in principio, ejus imminutio tentanda foret contra communem praxim. Quid autem dicam de inveterata obſtructione jecoris, quam Sanctacrux cum Avicenna curat vulneratione baſilicæ, quaſi ex ea acervaretur copioſus humor in venis? Ex ejuſdem confeſſione deliberabo, fatentis, oppilato jecore pravum ſanguinem generari, & antea genitum inquinari. Defœcandus igitur eſt idoneis purgantibus, leviter vitiatus corrigendus alterantibus, non portio ſana una cum morboſa per venas exigenda; ideoque niſi fiat oppilatio, vel ex copia, vel cum copia, operam phle-

botomi non requirit. Copia vero diu perſeverare nequit, occluſo jecore; quo impedimento, minus cibi ſumit æger, pluſque generat excrementi, quam probi ſucci in venas ituri; uti arguitur ex alvi diverſis fluxibus in hoc morbo contingere ſolitis.

Illud etiam ſine examine prætereundum non eſt, quod Sanctacrux Tirones docet, in ſuppreſſione menſium ab craſſis humoribus obſtruentibus, alacrius ſanguinem ducendum eſſe, ſi vetus ea ſit, quam recens. Quo documento aſſumit, in antiqua ſuppreſſione generari conſuetam per ſanitatem ſanguinis quantitatem, ſingulis menſibus ad uterum moveri, retineri ab occluſo, ſicque in vaſis omnibus redundare. At quo pacto id excogitatum probabit? Mulieres defectæ menſibus ſolent multa pati, præ ceteris dejectionem appetitus: ex qua minus comedentes minus ſanguinis progenerant, nec eam copiam in venis congerunt, quam Sanctacrux imaginatus ſcalpello minui decrevit. Mihi placet arbitrari, incommoda conſecuta ad menſtrua cohibita potiſſimum importari ex retento in utero aliquo vitioſo ſucco, qui ſanguine menſtruo dilutus cum ipſo extillare ſolebat; vel ex ipſo ſanguine in vaſis uteri corrupto; vel ex alio, qualecunque ſit, & ubicunque, qualitatis vitio, non quantitatis adaucti ſanguinis congeſtique in venis propter conſuetam excretionem retentam, poſt quam diutius perſeverantem ſolent apparere ſymptomata denotantia vitioſitatem humorum, non ubertatem. Eſt tamen mira hiſtoria Galeni, quam ſupra attigi, quæ videtur evincere ex menſtruis interclusis infeſtam copiam acervari. Quædam mulier jam octo menſes menſtruis deficiebat, cum languido appetitu, & magna totius corporis extenuatione, cui Galenus breviſſimo tempore priſtinum habitum reſtituit, detracta primo die ſeſquilibra ſanguinis,

poſte-

poſtero libra una, tertio unciis octo. Quamvis igitur hæc mulier parum comedebat ob inhibitam lunarem purgationem, cumulavit noxiam ſanguinis redundantiam, uti oſtendit ſanatio per illius ablationem facta. At quare Galenus in muliere vehementer extenuata ſanguinis ſeſquilibram ſubito eduxit? Nimirum venæ eminebant ſanguine plenæ, lividæque: & iſtæ fuerunt Galeno argumento copioſæ detractionis faciendæ. Quotieſcunque igitur eaſdem notas comperies in muliere menſtrua purgatione deſtituta, permitto Galenum imiteris; ſed illas perraro apparere indubitatum eſt, neque inde ſanciri poſſe generalem regulam curandæ menſium ſuppreſſionis; quæ, uti docet Hippocrates, (a) cum quo facit Mercatus, aliique, ſæpe tollitur purgatione, aliiſque remediis, purgatione, inquam, auferente impuritates ea occaſione genitas, atque perturbantes animalem œconomiam, ſolitaſque excretiones. Nunc veſtigemus, cur ea mulier ob appetitus languorem parum comedens, copioſum tamen ſanguinem congeſſerit. Turgebant venæ ſanguine plenæ, & nihilominus gracile totum corpus erat, extenuatumque. Qui convenit macies corporis cum plenitudine venarum? Quid has replevit in parſimonia cibi? Huc inclino, ut putem magis quam ex retentis menſtruis ſuccreviſſe copiam ex ſanguine craſſiore reddito, nec apto nutritioni, attenuationi, & diſſipationi per inſenſiles meatus, per quos ſcimus quantum continenter evolet. Cum autem hic caſus infrequens admodum ſit, non affirmabo, ex impedita diu lunari vacuatione moleſtam copiam acervatam fuiſſe, niſi teſtimonio tumentium venarum, quo permotus eſt Galenus, vel aliis, ſi qua ſunt, perſpicuis indiciis.

Pleuritis morbus conformationis ob adauctam magnitu-

(a) *De Mor. Mulie.*

dinem reponitur ab Hippocrate (a) inter obſtacula venæ ſectionis, non tamen in omnibus, ſed tantum cruenta ſpuentibus. Verum enim vero noſtris temporibus, ſaltem in noſtris regionibus nihil eſt uſitatius, & commendatius in Pleuritide ſanguinis emiſſione, nullo habito delectu temporis morbi, cauſſarum, aliorumque accidentium; pluresque Medici ad exitum uſque morbi intento ſcalpro ad pleuriticum adeunt, contra Hippocratis, aliorumque documenta. Proſper Martianus hanc ſententiam Hippocratis: *Impedimentum in ſpuentibus cruenta, anni tempus, pleuritis, bilis*, tres exponit modos, quibus pleuriticus poteſt ſanguinem exſpuere, & in omnibus rejicit phlebotomiam, adducitque pro rejiciendi cauſſa, ſanguinem bilioſum, aut ſeroſum, tenuemque redditum. Sed non convenit cum aliis, & in primis cum Galeno aſſerente, ſputa cruenta in Pleuritide eſſe impedimentum feriendæ venæ, utpote oſtendentia eam mitem eſſe, & ſalutarem. Sanctacrux vero ex ſanguineo ſputo in Pleuritide exiſtimat, largam tantummodo ſanguinis effuſionem prohiberi, non quamcunque; quod duæ facultates laborent, animalis expellendo ſputum, naturalis ſpuenda concoquendo. Enim vero Galenus, & Sanctacrux mutant ſententiam Hippocratis, non interpretantur: nec alia congruentior interpretatio ſupereſt, quam aſſerendo, eo nomine obſtare Pleuritidem venæ apertioni, quo innuit Senex in eodem textu de Humoribus, anni tempus æſtivum, & bilem obſtare; videlicet Pleuritidem ſupervenientem ſputo ſanguineo ex rupta, vel quoquomodo aperta venæ inductum eſſe prævalentis bilioſæ cacochymiæ, in qua Hippocrates abſtinet ab effuſione ſanguinis. Cui tamen ſententiæ non acquieſco, qui ſuper[illegible], de viſcoſitate ſanguinis non prohibe-

ti

(a) *In Lib. de Humor.*

ri phlebotomiam ut revellentem, poſtulatam ab ingenti morbo, genito a pernici confluxu humorum, cujuſmodi eſt Pleuritis. At enim per eam ſanguis evadet magis bilioſus, tenuiſque. Eſto. Verum ſi admittimus, inflammationem concitari a concurſu humorum, videtur auxilium motu contrario fluxum minuens plus utilitatis, quam detrimenti allaturum eſſe ſanguinem attenuando, & partem aliquam ad conditionem bilioſam perducendo. Ob hanc ipſam tamen rationem minus ſanguinis detrahendum erit, & ſolum vigente fluxionis impetu, non toties, nec tam copioſe ut aliqui ſolent, de quibus in alio tractatu verba faciam.

Inquirit Sanctacrux, num morſus canis rabidi phlebotomiam diſſuadeat; nec ego hanc quæſtionem prætermittam. Raſis aſſerit,[a] ante attractionem veneni ad interiora non eſſe vulnerandam venam, duobus, vel tribus diebus poſt attractionem commode vulnerari. Dioſcorides tamen diligens curandi morſus rabidi nullam prorſus mentionem facit phlebotomiæ, nullam Paulus, Aetius, aliique multi clari auctores, cum quibus facit ipſa ratio. Antequam enim late ſerpat venenum, erumpatque, ſumma curationis eſt, ut per partem affectam expellatur, & prohibeatur diffuſio; cui prohibendæ opponitur vulneratio venæ, non inſervit. Se ſe autem prodente veneno, vimque ſuam late ſpargente, cui bono ſanguis elicietur? An ut minus ſuperſit venenati? Verum ſanguine rareſacto per emiſſionem, ſe ſe latius inſinuabit vis rabida, inferetque citius atrociora. Hiſce ita conſtitutis, imaginemur, poſtquam aliquis ab rabido cane ictus eſt, tentari morbo phlebotomia curari ſolito: erit ne hæc celebranda ante, & poſt virus propagationem? Ante propa-

(a) *Lib. 2. tract. 2. cap. 2.*

pagationem nihil magis cordi habendum eſt, quam ut eam compeſcamus miſſa venæ punctione, apta, ut vidimus, ad adjuvandam, non impediendam. Urgente vero indicatione mittendi ſanguinis, partium inferiorum ſcarificatus detractionem ſupplebit. Poſt latam effuſionem rabidæ peſtis, obortoque aliquo effectu expoſcente ſanguinis detractionem, aliqui non dubitant venam grandem aperire etiam in partibus ſuperioribus, Sanctacrux mavult in inferioribus, obſtaturus raptui virolentiæ ad ſuperiora: quæ tamen ratio ceſſat jam facta ejuſdem extenſione. Verum conflictato ægrotante ab angoribus efferati veneni, alteriuſque acuti morbi, non video qui pateat arti locus, quid boni ſperari poſſit a phlebotomo.

CAPUT X.

De impedimentis venæ ſectionis acceptis ab ſymptomatis.

QUandoquidem merum ſymptoma, uti tritum eſt in Schola Galenica, neque curationem indicat, neque immutat, pariter nullum poterit objicere impedimentum venæ ſectionis ratione ſui, ſed duntaxat effectuum, quos parit. Sic delirium, ut examen inſtituam a ſymptomate facultatis regentis, & ſupremæ partis, ut eſt rectæ rationis depravatio, nihil præſefert adverſum venæ tundendæ, nec adverſari poteſt, niſi evadens in cauſſam morboſam, aut tanquam inditium alterius offendiculi; quinimmo ſolet ea tundi in morbis, abs quibus dependet delirium, nimirum in inflammatione cerebri, ſepti tranſverſi, jecoriſque. Quamvis autem Sanctacrux agens de impedimentis vacuationum proficiſcentibus ex ſymptomatis, inqui-

quirat in varias cauſſas delirii, & quales ex iſtis petant, aut recuſent venæ apertionem, cum eo tamen e via non digrediar, qui hoc loco inveſtigo obſtantia venæ ſectioni, non eam indicantia, eaque ſumta ab ſymptomatis, non a cauſſis, quæ inventurus delirii effecta conſiderabo. Hæc multiplicia ſunt; quando æger vi delirii amiſſo regimine vitæ, neque ſuæ conſervationi vacat, uti ſanis mentibus inditum eſt, neque aliorum ſalutaria præcepta capeſſit. Cuſtoditur, reparaturque ſalus idoneo ſervato cibandi tempore, veſtiendi modo, opportuna quiete, & motu, ſomno, & vigilia. Quis hæc omnia in deliro moderetur, componatque ad ſalutem? Statis horis cibum non capit, non ſomnum, nec ſe ſe defendit ab ambientis moleſto incurſu. Pertinacibus vigiliis fatigatur, motibuſque violentis phantaſmatum, corporiſque: quæ omnia attendenda ſunt, ſi delirus tentatur morbo, & præſertim acuto venæ ſectionem exigente, ad vires præſentes recte æſtimandas, conjectandaſque futuras: quarum lapſui minus providere poſſimus in hujuſmodi ægrotante, quam in aliis Medico parentibus, ſuæque ſaluti advigilantibus.

Vigiliæ longæ immoderatæque multiplici nomine, aut diſſuadent ſanguinis extractionem, aut reſtringunt; quæ ſcilicet multos ſpiritus exhauriunt, corpus ſiccant, bilem inflammant, congeruntque cruditates. Non igitur ſola ratione virium, quas vigiliæ demoliuntur, nec permittunt diu vigere, ſuſpecta eſt inciſio venæ, ſed propter bilis fervorem, proventumque cruditatum. Quare diu perſeverantibus, nulla poteſt ſubeſſe copia ſcalpro minuenda; & ſolum revulſionis gratia accidere poteſt, ut ſine temeritate ſanguinem detrahere liceat, habito earum reſpectu in definienda quantitate. Imagineris igitur, morbum ob-

ortum eſſe cum vigiliis, & agitari de vena incidenda: Principio univerſali, in quo ſolet illa incidi, nondum eo proceſſerunt vigiliæ, ut inciſionem impedire valeant; ſi tamen perſeverent, habes quæ medicanda ſunt ante inciſionem.

Aliud genus ſymptomatum ad excreta relatum non raro occurrit, magnum habens pondus ad curationem regendam: in quo genere ſymptomatum Sanctacrux tantummodo conſiderat alvi fluxum, non ſudorem, utrumque tamen conſiderandum. De alvi fluxu eſt celebris ſententia (a) Galeni, in febri eo præſente, neque ſanguinis, neque alia vacuatione opus eſſe, ſed ſolum ſufficere, licet nequaquam ſit pro multitudinis ratione. Veteres tamen Galeni ſtudioſi varie hanc ſententiam interpretantur, inquiruntque, abs qua parte producatur fluxus, utrum a venis, an prima regione, cruditatibus, ſemicoctiſque humoribus referta, & vitiata; obſervantque, quos parit, effectus. Ut ego judico, ſic res habet. Vidimus ſupra febres continuas comitatas iis ſymptomatis, ex quibus ſolemus pravitatem concludere, creari quoque poſſe ex colluvione primæ regionis, in quibus, qui venam aperiret, cauſſam morbi non educeret alibi contentam, ſed potius adaugeret, traducta ad venas portione quiſquiliarum in primis viis ſubſiſtentium; itemque vires debilitaret. Itaque in ea febre cum alvo ex dicta cauſſa fluente conſtat, abſtinendum eſſe a ſcalpello ſi veterem, & probabiliorem doctrinam ſequi velimus.

Verna Baglivi fautor (b) quinque ſpecies febrium meſentericarum conſtituit, decernitque, in quinta ſanguinem eſſe ducendum, licet adſit alvi fluxus ſymptomaticus, & aquoſus, quo ignotum vulgus deterretur a ſcalpro. Hu-

(a) *Lib. 1. ad Glauc.* (b) *De Phlebot. cap. 16.*

Hujus febris fomitem collocat in toto vaſorum genere, præcipue minorum, & capillarium, & maxime meſentericorum copia inſignium. Nempe in omnibus vaſis, & præſertim indicatis exilioribus continetur, ut ajt, ſanguis indolis reſtrictæ, torpidioris, atque lenteſcentis: quare hujus febris initio dijudicat, venæ inciſionem eſſe maximum, præſentaneum, & princeps remedium, & ſi alvus largius fluit, perſuaſum habens per eam exhauriri ſanguinem multum, lenteſcentem, & aſperiorem excitantem fluxum aquoſum, tenuemque. Placet Tironum gratia id placitum Vernæ paucis expendere. Primum igitur cupio a Verna doceri, num ſanguis ille lentus, fluxus aquoſi incitamentum, contentus præcipue in vaſis minoribus, & maxime capillaribus meſenterii ſit exemptus Circuitioni in vaſis obſtructis concluſus, an cum reliquo ſanguine circumducatur. Si ſtagnat in obturatis vaſis, cur venam grandem tanta fiducia aperit, ſibique perſuadet; per eam extrahi ſanguinem vitioſum, quem ſtatuit principalem cauſſam fluxionis aquoſæ, collocatque potiſſimum in anguſtiis capillaribus Meſenterii? Apertiſſimum eſt, per venam ictam in brachio nihil ſanguinis educi ſubſiſtentis in vaſis imi ventris. Sin autem affirmet, ſanguinem exiliorum vaſorum, & maxime meſentericorum cum alio circumduci, non eſt, cur potius ſanguinem minorum vaſorum, quam grandium accuſet, non eſt, cur eas febres meſentericas vocet. Sat temporis cum Verna poſui; nec ejus meditationibus longius opponor, quam ut petat Tironum, quibus adlaboro, inſtructio, eaque mente, ut nova cogitata præſertim ſpectantia ad uſum remediorum diligenter expendant, plus ſatis procliviter non amplectentur. Id unum ſuſtineo, cauſſa fluxus ventris, febriſque in Meſenterio concluſa, non eſſe tundendam venam ob ex-

P. poſi-

poſitas rationes mihi valde probabiles. Nunc inquirendum eſt, utrum in febri cum alvi profluvio concitato a ſuccis venarum, vitioque totius ſanguinis liceat educere phlebotomum; præterea an liceat cauſsa febris fuſa per venas, ſed alvo duntaxat commota ab inquinamentis primarum viarum. Galenus tamen de hiſce minime dubitavit, qui generatim pronunciavit, ventre ſoluto tolli indigentiam alterius vacuationis, quacumque via arte comparandæ. Et quod attinet ad venæ inciſionem, etiam Hippocrates [a] jubet, ut alvus firmetur, prius quam vena incidatur. *Sin autem cuiquam convenit ſanguinem auferre, ventrem firmare oportet*: cujus auctoritate vellicat Martianus Medicos in Diſenteria venam perforantes. Ipſe pariter ſentio multitudinis auferendæ gratia in febri, cum alvi fluore, non eſſe ducendum ſanguinem, emuſioni ſatisfaciente excretione per alvum facta, cito plenitudinem ablatura, inſuper feſtinante ablationem ipſa febri, quæ multum abſumit, abſumptique reparationem tenui victu impediente. Quod nunc ratione concludo, mea quoque praxis confirmavit, qui plures hujuſmodi febres citra ſanguinis effuſionem proſpere curavi. Item Sanctacrux refugit ab ſcalpro in propoſito caſu, aſſumens per alvum laxam morbi fomitem amandari. Quicquid tamen excernatur, dummodo prodeat e venis, harum plenitudinem adimit, ſimulque indigentiam venæ ſolutionis, ut evacuantis. Porro cognoſcemus e vaſis detrudi ad cavitatem inteſtinorum materiam, quæ excernitur, niſi præceſſerint cauſſæ acervantes cruda, impuraque in prima regione, nec adſint notæ eadem declarantes ſuperius recenſæ. Huc adde inditia tradita ab Hippocrate [b] ad idem internoſcendum. Credit ille excre-

men-

(a) *De Rat. vic. acut.*
(b) *Lib. de Humor.*

menta in alvo genita, non aliunde profecta, ſpumoſa non eſſe, per modum inclinationis exire, neque ea vi, quam requirit aliunde provenientium excretio. Item fœtor excrementorum ſine ſiti ſuperveniente facit ad ſignificandum, ea prodire ex venis. Sitis enim quæ antea non erat, ſi accenditur in excretione fœtida, indicat æſtum ventris putrefacientem ingeſta, excretiſque nidorem communicantem. Ceterum, orto fœtore a maligna putredine ſuccorum e venis in ventrem delabentium, non excitatur ſitis, quæ ante excretionem non aderat.

Diſpar ratio eſt de phlebotomia revellente, quam judico non prohiberi ab alvo ſoluta, ſi celer efficaxque revulſio a morbo flagitetur. Narrat Botallus (a) Andreæ Birago laboranti febre ardentiſſima, ob quam detractus jam ſanguis erat, ſuperveniſſe fœtidiſſimam lienteriam, iterumque juſſu ſuo reſignatam eſſe venam cum feliciſſimo ſucceſſu. Rogabunt Tirones, unde profecta fuit tanta felicitas in extractione ſanguinis, quæ ſupra ſtabilitis repugnare videtur. Sentio proſperum ſucceſſum Biragi referendum eſſe ad phlebotomiam retrahentem ſuccos ad æſtuantem ventrem delatos, nec aliam mihi apparere congruentiorem rationem fateor, niſi confugiendo ad ſingularem cauſſam, nec intereſſe ſolitam; de qua certiores reddi nequimus. Quid inde? Non exitus medicamenti, ſed exitus cognita cauſſa facit ad exemplum. Galenus profecto cogitans de morbo Adoleſcentis decumbentis in foro mendaciorum deſcripti ab Hippocrate (b), qui vexabatur ardentiſſima febre, cum alvi fluxu bilioſo tenui multoque affirmat, periculoſiſſimum fuiſſe huic, aut venam feriret,

P 2 rire,

(a) *De Curat. per ſanguin. miſſ.*
(b) *Lib. 3. Morbo. popu. ſect. 2.*

ſire, aut alvum movere. Quamquam autem Heredia aſſentitur Phrigio in eo adoleſcente ſanguinis emiſſionem ſuadenti, tamen fatetur, anceps eſſe remedium, ſuumque protegit aſſenſum celeberrimo effato Celſi, Melius eſſe anceps remedium experiri, quam nullum. Similiter ratio ſupra expoſita contra phlebotomiam, ut evacuantem alvo fluente, non pugnat contra eamdem administratam ad derivandam, vacuandamque plenitudinem particularem, uti evenit in curatione Pleuritidis, in qua etiam ſuperveniente Diarrhea, Sydenhamus, aliique, niſi ſat ſanguinis detractum fuerit, repetunt detractionem; cujus praxeos hæc mihi ratio eſt. Pleuritis morbus acutus eſt, & ſæpe peracutus, indigens cita vacuatione lateris affecti, non alia ratione promptius impetrabili, quam vena reſignata, eaque propinquiore, quam fieri poteſt, affectæ parti, ſi potiſſimum derivationis nomine reſignatur.

Nunc imaginemur, cauſſam febrilem extenſam eſſe per totum ſanguinem, & iſtum copioſum, ventremque uberius fluere ex purgamentis duntaxat primarum viarum. Quid in hac conjunctione deliberandum erit? Si quod imaginatione conceptum eſt, deprehendere poſſem, exiſtimaremque, eſſe conducibilem venæ ſecturam, accelerarem medicamento expiationem ventris, & poſtmodum, ſi viderem inde fluxum alvi, vel in totum cohibitum, vel magnam partem, perſeverante indicatione venam recluderem. Ceterum non ita in proclivi eſt etiam expoſitis notis internoſcere, utrum fluor ſit tantummodo a prima regione, an per conſenſum totius corporis, de quo dubitans ſine manifeſta indigentia ad venam non accederem, committeremque opus inchoatum naturæ. Fortaſſis Galenus hac cognita difficultate co-

gno-

gnoſcendi; abs qua parte, cauſſaque fluat alvus, ea fluente univerſim ſanxit aliis vacuationibus abſtinendum eſſe.

Sudor interdum erumpit; quo tempore conſtitutum erat ſanguinem effundere, idque non raro in febribus; in quibus alias ſudor eſt criticus, alias, ut ajunt, ſymptomaticus. Factus in principio univerſali morbi, & ante coctionem habetur ſymptomaticus, & hac ratione nullum inferens impedimentum phlebotomiæ, ſi fortis urget celebrandæ indicatio, ſicuti in febribus accenſis ab inflammationibus internis, in quibus non timerem, ſudanti ægroto ſcalprum admovere, ſi timerem ex mora incrementum phlegmones, ſi dolor ſæviret. Sic doctiſſimus Heredia meditans morbum Eraſini apud Hippocratem laborantis magna inflammatione, vel lienis, vel hepatis vel, uti placet Vallcſio, utriuſque hypochondrii, ſemperque ſudore manantis, univerſe decernit, erumpente ſudore concitato ab inflammatione, celebrandam eſſe phlebotomiam, mitigaturam inflammationem, inhibituramque nimium ſudorem. Monet tamen ſanguine miſſo, obſervandum eſſe, utrum minuatur, an ceſſet, an augeatur ſudor; & hoc imminuto poſſe repeti venæ ſectionem, adaucto omitti debere. In minore vero indigentia ſanguineæ vacuationis, citraque inflammationem, expectarem intermiſſionem ſudoris, quo ſcatente indubitatum eſt, ſanguinem commoveri, & tempus remedio pariter commoventi opportunius eſſe, quo minor eſt commotio, & tumultus. Quod ſi ſudor notabilis eſſet, perſeveranſque, opponeretur detractioni ſanguinis faciendæ propter copiæ imminutionem, quæ ſcilicet ipſo ſudore perſeverante tolleretur. In ſudore item critico, & ſalutari, ſcilicet erumpente concoctis humori-

bus, negotium totum naturæ committendum eſt, artique quieſcendum. Quamvis enim venæ ſectio non adverſetur eruptioni ſudoris trahendo ſuccos ab ambitu corporis ad centrum, imo laxando vaſa fibraſque, faveat, tamen imminuendo calorem, alterandoque contextum ſanguinis, poteſt inchoatam utilem vacuationem turbare.

DE REGIMINE MAGNORUM AUXILIORUM In Curationibus Morborum

DISSERTATIO SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

De Purgatione, & Medicamento purgante.

EXpurgatio generatim accepta nihil aliud ſonat, quam aliquid ſordibus liberare, purumque agere: quo ſignificatu Agricolæ evellentes lolium, gramen, aliaſque circumnaſcentes herbas dicuntur triticum expurgare: eodemque amplo ſenſu Medici corpus purgare dicuntur, dum ejuſdem inquinamenta evacuant, quacunque id via præſtent, ſive concitato vomitu, urina, ſudore, ſive alvo ſoluta, ſive alio quopiam modo peracta vacuatione. Contracta tamen ſignificatione corpus duntaxat purgare dicitur, qui excrementa, vel per alvum, vel per vomitum amandat, quem Hippocrates ſuperiorem purgationem vocat, & cum nomen purgationis ſimpliciter uſurpat, inferiorem intelligit. Infra de vomitu: nunc de inferna purgatione, quam cum Celſo[a] dejectionem appello; & Scholæ cum Galeno definiunt evacuationem humorum qualitate peccantium. Aptior

(a) *Lib. 2. cap. 12.*

tior tamen definitio erit, ſi dicamus, dejectionem eſſe vacuationem per alvum humorum qualitate peccantium medicamento factam, ut purus ſanguis conſervetur. Sic enim ſecernitur dejectio ſpontanea a petita, indicaturque purgandi ſcopus. Declarandum tantum eſt, quid intelligi debeat nomine qualitatis, ratione cujus humores expurgandos cenſemus. Fernelius [a] nomine qualitatis complectitur primas, ſecundas, & cujuſvis ſubſtantiæ corruptionem, exiſtimatque non ſola excrementa, ſed ſuccos quoque purgatione auferendos, ſi vel intemperiem, vel alienam qualitatem, vel corruptionem contraxerint. Inter hæc enumerata a Fernelio purgatione ſubmovenda Horatius Augenius [b] aſſerit, male collocatos eſſe ſuccos intemperie affectos, vellicatque Fernelium, quaſi methodum confunderet, everteretque, cauſatus, intemperiem nudam ſimplici alteratione corrigendam eſſe, evacuationem omnem excludente. Verum Fernelius non deſtinavit purgationi nudam intemperiem, qui apertiſſime ſubdit, excernendam eſſe materiam vitiorum, cum iſta a naturali conſtitutione eo uſque jam receſſerunt, ut neque victu, neque alteratione ſola emendari, neque naturæ, caloriſque beneficio in priſtinam bonitatem vindicari queant: in quo documento non video quid redarguere poſſit Augenius. Corruptam humorum ſubſtantiam evacuari oportere dubitat nemo, noxiæ vero qualitates ſive ſint primæ, ſive ſecundæ efficaciores primis ex ſententia Hippocratis ad nocendum, cum licet, contrariis emendandæ ſunt, ſed indociles correctionis petunt excretionem materiæ, cui inhærent.

Purgatio multiplex eſt remedium, evacuans, revellens, derivanſque, & pro diverſis occaſionibus, aut tantum evacuat, aut evacuando ſimul revellit, derivatque. Succum

ſola

(a) *Lib. 3. Meth. cap. 1.* (b) *Tom. 3. Epiſt. Med. Epiſt. 6. Lib. 3.*

ſola prava qualitate infeſtum, nec emendabilem educit, eumdemque in certam partem noxie illabentem revellere poteſt, & derivare. Quo reſpectu Galenus[a] ex doctrina Hippocratis, ſi pars ſuperior ulcere cum fluxione afficitur, dejectionem molitur, ſi inferior, vomitionem: quo pacto purgationis utilitas augetur, nempe ſimul infeſta detrahentis, atque a parte ulcerata fluxionis impetum avertentis, propter contrarietatem inter partem, per quam expurgatur, locumque fluxionis. Idem locus, cum proximus eſt viæ excretionis, opportunitatem derivationis præbet, veluti cum fluentia ad veſicam pharmaco transferimus ad alvum. Multa alia præterea ex accidenti efficit purgatio, ut diverſos e venis humores eximit; qui calidi ſi ſint, refrigerat; ſi craſſi, attenuat; ſi tenues, incraſſat, alioſque effectus præſtat per ablationem materiæ, varie ſanguinem alterantis, & a ſua naturali bonitate dejicientis. Cum autem puritas ſanguinis egregie conducat ad animalem œconomiam, multæ utilitates purgationem ejuſdem conſequuntur, corporis robur, ſenſuum, mentiſque alacritas; quam impetraturi plures Antiqui ad altius penetranda, quæ meditabantur, ſe ſe helleboro purgaſſe, atque inter hos Carneadem reſponſurum libris Zenonis, Plinius auctor eſt.

Inſtrumentum petitæ purgationis medicamentum eſt expurgans, cujus operatio evidens eſt, operandi modus ita obſcurus, & retruſus, ut inde aliqui argumentum ſumpſerint omnis purgationis de medio tollendæ; quo nomine medicamenta ſpecifica, aliaque omnia, quorum actio explicari nequit, tollant oportet. Non inficias eo, hanc explicationem difficilem eſſe, ſed rem ipſam eventum oſtendit; neque propter ignoratam agendi rationem,

(a) *Lib. 4. Meth. cap. 6.*

aut non clare perceptam, quod ſenſu conſtat, rejici poteſt. Sic Tullius loquens (a) de facultate purgante ſcammoneæ, inquit, dum videt purgationem, ſe videre, quod ſatis eſt, licet neſciat, cur purgare poſſit. Si habeo remedium pariturum utiliter effectum, quo indigeo, cur relinquam ex ignoratione modi agendi? Purgationis igitur utilitatem contra Chryſippum, Eraſiſtratum, Aſclepiadem, aliosque antiquos, recentioresque plurimorum ſuffragiis ſuſtineo. Præ ceteris contra purgationem vehementer declamat Helmontius (b) acerrimus Galeni oppugnator, refutatque univerſam, tanquam fraudibus plenam, necibuſque, perſuaſum habens, quicquid evacuant purgantia, eſſe ipſum ſanguinem eorum veneno corruptum, ejuſque fœtens cadaver per anum ejectum; id quod confirmat hiſtoria cujuſdam Principis, qui ſumpto medicamento ſcammoneato, unico die quadraginta & unum ſeceſſus habuit; poſteroque toto ſquallebat corpore, trementibus genibus, manibuſque, rauca voce, oculis concavis, depreſſis, exhauſtiſque venis, ſitique preſſus importuna cum dejecta appetentia: quibus accidentibus conſtat, ut ait, utiles ſuccos corruptos eſſe a pharmaco, excretoſque. Idem autem argumentum efficacius propoſuerunt Chryſippus, Eraſiſtratus, aliique hujus ſectæ patroni, conſiderantes a purgante præſtito perfecta ſanitate fruenti, excrementiſque vacuo educi copiam purgaminum, qualia educi videmus e corporibus ægrotis: quæ proinde, niſi prius aderant, genita ſunt, & non aliunde genita, quam a viru medicamenti humores ſanos, utileſque perſundante. Hæc opponunt purgationis hoſtes; quos licet ſatis redarguat frequens utilitas relata a purgantibus, amplius etiam ratio convincere poteſt. Atque in primis non inficior,

(a) *Lib. 1. de Divi.* (b) *In tractatu de Febri.*

cior, a purgantibus etiam utiles ſuccos labefieri poſſe, labefactos amandari, hincque reddi rationem animadverſionis Hippocraticæ, corpora ſana difficillime ferre purgationes; quæ ſane difficilis tolerantia oritur ex pharmaco probos ſuccos, & naturæ familiares, vel vitiante, vel auferente. Sic fateor, in deſcripto Principe non ſolam bilem evacuatam eſſe, ſed alios etiam humores in flavum liquamen commutatos; idque in cauſſa eſſe debilitatis conſequentis copioſas dejectiones, una cum agitatione humorum, & effuſione ſpirituum; propter quam etiam aqua hydropicorum abſque periculo confertim non hauritur. Veruntamen hinc refelli nequit purgatio, tanquam pernicioſa, & nulla ex parte frugifera: nec ullus unquam id evincet, niſi probet in redundantia excrementorum a purgante bonum ſanguinem vitiari excernique, excrementa intus relinqui, contra quam quotidiana experientia demonſtrat. Cur enim tota vis, puta, ſcammonii ſæviet in ſolum ſanguinem, minime in obvia purgamenta? Hanc reddit rationem Helmontius: *Senſi*, inquit, *ideo laxativa putreſacere vitales ſuccos, raro autem excrementa morborum occaſionales cauſſas. Etenim cum venena ſint reſpectu noſtri, & non excrementorum, hinc nos potius, quam morbos adoriuntur.* Enim vero, ſi res ita habet, uti judicat Helmontius, cur adeo corpora ſana offenduntur a purgantibus, juvantur morbida, ſordibuſque affluentia? Nimirum in ſanis corrumpuntur benefici ſucci, aut educuntur; in morbidis noxii expurgantur; & ſi quid etiam utilis, & benigni peſſum it, multo plus infeſti extruditur; uti tot morbi purgantibus depulſi præclare confirmant. Quis vel leviter artis peritus neſciat, luem gallicam ſæpius quidem mercurio, ſed aliquando ſolis etiam repetitis purgantibus, expugnari? quo pacto ſanavi Cre-

monæ Rhedarium ſanioſa ſcabie, ob retentam gallicam gonorrhæam, laborantem; videlicet potu purgante epithimi, & polipodii quindecim dies hauſto. Vidi alterum atroci diuturnoque capitis dolore ex immunda venere conflictatum, aliis remediis inſuperabili, decoctione ſtibiata, ſennæque foliis additis dejiciente, triginta circiter dies ſumpta, abs qua pluries quotidie deſidebat, convaluiſſe. Mitto febres, mitto tot alias affectiones auxilio purgantium, aut fortiorum, aut mitiorum edomitas, aut ſaltem mitigatas, teſte quotidiana experientia. Quo mirum eſt, Helmontium tam intrepide aſſeruiſſe, purgantia potius impetum facere in puros humores, quam fœculentos. Quinimmo, cum videamus pura corpora, ceteris paribus, magis reſiſtere venenis, quam impura, par eſt credere, actioni purgantis magis reſiſtere intactos ſuccos, quam vitiatos, quos ipſa natura exturbare nititur, alios retinere: eoque in febribus nacturi adjumentum naturæ, concocta excrementa ejicere conantis, horum coctionem opperimur, ſubinde purgantia propinamus, niſi ſpontanea evacuatione noſtram operam natura præveniat. Fatetur Helmontius raro, ſed aliquando excrementa invadi a purgante, exportarique. Prome rationem, Helmonti, cur aliquando catharticum ſuæ naturæ oblitum nocuos potius ſuccos adoriatur, quam utiles, ejus actioni, ut ais, magis expoſitos, niſi temere id aſſeruiſti. Aliam nequis excogitare cauſſam, quam majorem excrementi proclivitatem ad ſequendam actionem medicamenti, quam naturalis ſucci. Quotieſcunque igitur hæc aderit major proclivitas, fatearis oportet, proſperam purgationem effectum iri, nec bonos ſuccos corruptum. Atqui Medicus agens ex arte nunquam exhibere debet purgans, niſi a natura purgandus humor eſt præparatus, ut in febribus, vel arte præparetur, vel ſit

hujuſ-

hujuſmodi, ut ceteris facilius eximatur, abſque ulla præparatione, qualis eſt colluvies aquoſa. Argumentum itaque tuum ſolum ferit inconſideratos adminiſtratores purgantium, non cautos, & opportunitate utentes, non intimam ferit virtutem purgantium, ſed comparatam conditioni expurgandorum.

Vindicata purgatione ab obtrectationibus Helmontii, aliorumque, pauca agitabo de modo, quo purgantia opus ſuum abſolvunt, & primo inquiram, utrum ea cum delectu humores purgent. Alii ex Antiquis ſenſerunt, ab catharticis elici, extrudique ſimiles ſui humores, ſed variant in explicanda attractoria ſimilitudine ſingularis, & affinis humoris: quam Fernelius[(a)] collocat, non inter primas, ſecundaſque qualitates, ſed in totius ſubſtantiæ proprietate a calore tamen adjuta, alliciente humores, quemadmodum magnes ad ſe ſe ferrum adducit. Valleſius[(b)] vero declinaturus reconditas proprietates Fernelii, clarioraque allaturus cauſſam, cur potius hic, quam alter humor exturbetur a purgante, refert ad ſimilitudinem intercedentem inter accidentia ſequentia modum ſubſtantiæ, cujuſmodi ſunt craſſities, tenuitas, aliaque hujus generis. Auctores rati ſimilitudinem inter excreta, vimque excernentem, excretionis cauſſam eſſe cognati humoris, ducem Hippocratem habuerunt,[(c)] docentem a purgantibus, trahi ſui ſimiles humores, ſicuti ab radicibus ſeminum, & ſtirpium ſuccum ſuæ naturæ convenientem. Quanquam autem Senex videtur, aperte purgantibus affigere facultatem tractoriam affinis materiæ, non inficiatur tamen, aliam ab eiſdem vacuari. Si enim, inquit, eidem homini idem medicamentum quater in anno voles exhi-

(a) *Lib. 3. Meth. med. cap. 4.* (b) *Lib. 9. Contro. cap. 1.*
(c) *Lib. de Nat.*

exhibere, Hyeme pituoſiſſima tibi evomet, Vere liquidiſſima, Æſtate bilioſiſſima, Autumno nigerrima. Hinc commonefactus Fernelius doctiſſimus, præter vim educendi humores cum delectu profectam ab occulta proprietate, aliam addit communem purgantibus, poſitam in calore, & acrimonia, conceditque, plerumque vacuari humorem immodice exuperantem, aut in via purgationis ſubſiſtentem, aut promptiſſimum ad fluendum. Alii porro ex Antiquis, nulla admiſſa ſimilitudine effectrice purgationis cum delectu humoris, judicarunt principio ſemper evacuari tenuiorem, paratioremque pati actionem cathartici, ideoque, ſi iſtud ſit validiſſimum, primum dejici ſerum tenuiſſimum, deinde bilem flavam, poſtremo pituitam, bilemque atram, omnium humorum craſſiſſimam. Item vim tractoriam purgantis ad eruendum particularem ſuccum, ſive ſimilitudine occultæ proprietatis fultam, ſive primarum, aut ſecundarum qualitatum, modique ſubſtantiæ convenientia, Recentiores bene multi refellunt; oppoſitum Antiqui crediderunt, non probarunt, nec aliunde probandi poteſt ſumi argumentum, ſi ſenſibus ſtemus, quam ex colore, habituque, ideſt tenuitate, vel craſſitie excretorum, abs quibus tamen nihil certi conſtituere licet, propter ipſa medicamenta fucum facere idonea, diverſo modo alterando, & colorando humores eorum actionem recipientes. Jalappa, aliaque hujus generis decantata hydragoga, viſcoſa purgamenta, uti notat Lemrius[a], ita incidunt, attenuantque, ut convertant in aquam, quam excerni videmus. Utimur ſirupo roſato ſolutivo in diverſis morbis, temperaturiſque, & nihilominus ſæpiſſime detrahuntur ſimilis coloris excrementa, ſcilicet acquiſiti ex medicamento. Itaque nec color, nec habitus excre-

(a) *Curſus Chi. cap. 19. part. 2.*

cretorum probat in purgante facultatem egerendi ſibi reſpondentem humorem, non quemcunque paratiorem. Id etiam clarius confirmat Rheumbarbarum, quod licet deſtinatum fuerit a Medicis ad bilem extrudendam, tamen a clariſſimis auctoribus exhibitum in curatione veri hydropis, hunc depulit, & quidem cauſſa morbi depulſa, quæ creditur ſuccus longe diverſus a bilioſo. Vvilliſius poſtquam rejecit, ab ſubſtantiæ ſimilitudine, & ſpecificis qualitatibus proprios humores prolectari, opinatur Rheumbarbarum, ut pote compactum ex particulis materiæ veluti aduſtæ, commovere fœcem ſanguinis aduſtam, & adducere uberius ad canales coledochos, inde ad imum ventrem; itaque non advertens approbat, quod paulo ante reprobaverat. Alii tuentes vim purgatoriam cum delectu, hanc conjectant in Rheobarbaro, ſimiliterque in aliis purgantibus ex proportione inter ſolvens, & ſolvendum. Rheumbarbarum, inquiunt, præ ceteris ſuccis copioſe, uti conſtat ab effectu, bilem educit; quam docet chimica reſolutio abundare ſale, & ſulphure. Cum autem ſalino ſulphurea, teſte experientia, apta promtaque ſint ad penetranda, & diſſolvenda compoſita pariter ex ſale, & ſulphure, par eſt credere, Rheumbarbarum vacuans large bilem ex ſimilibus elementis compingi, iiſdemque pati facilem ſolutionem a bile, & hanc propterea aliis ſuccis uberius excernere. Magis hæc ſpeculatio ingenioſa accedit ad ſimilitudinem veri, quam Vvilliſii, ſed vereor, ne fundamento admodum dubio, & controverſo innitatur, quatenus aſſerit apparere ex effectis per Rheumbarbarum copioſius bilem dejici. Quænam, oro, ſunt hæc effecta oſtendentia, ope Rheibarbari fieri copioſiorem bilis excretionem? An flavus color excretorum, qualis eſt color bilis? Id tamen caput eſt controverſiæ, utrum humor

deje-

dejectus ſit bilis, qualis antea exiſtebat, an humor alter immutatus, fucatuſque colore purgantis. An igitur hæc effecta erunt morbi redundantiæ attributi, & Rheobarbaro curati? Verum ipſa redundantia eſſe poteſt in cauſſa, cur redundans potius excernatur, quam non redundans humor, abſque ſimilitudine inter ſolvens, & ſolvendum: quare videmus interdum eodem purgante morbos diverſis cauſſis genitos expugnari, ut etiam de Rheobarbaro adnotatum eſt. Itaque ut hæc incerta, nec utilia praxi omittam, cenſeo, purgantia opus ſuum abſolvere, irritatione partium, & ſpirituum, ſolutione ſuccorum, quomodocumque hæc fiat, & fermentatione. Irritationem partium arguit dolor, ſolutionem liquiditas ejectorum, fermentationem tumultus ventris, caloris augmentum, pulſus frequentia, inſolita ad ſomnum propenſio, progenita a copioſo halitu, e ſuccis agitatis, & fermentatis emiſſo, itemque copia flatus, quæ cum ipſis fœcibus expellitur. Interdum fere ſine dolore peragitur purgatio, ſæpius tamen cum dolore frequenter recurrente, ſi præſertim fortior eſt. Illam potius tribue ſolutioni ſuccorum, & laxitati viarum, quam irritationi; hanc præcipue irritationi. Non deſcribam hoc loco totum purgationis ordinem, & modum, quem ſatis deſcripſit Vvilliſius, neque expedit repetere, quæ majorem partem a noſtra pendent imaginatione. Sôlum adnoto, quia purgantium impetus major excipitur in prima regione, hanc craſſis humoribus inquinatam prius abſtergere oportere, quo latius ſe ſe inſinuent vires cathartici; cum animus eſt amandare infeſta longinquis partibus inſidentia, ſumpto documento ab Antiquorum diligentia, methodoque præparantium corpus helleboro vacuandum: *Corpus*, inquit Plinius [a], *ſeptem*

(a) *Lib. 25. Nat. hiſt. cap. 5.*

ſeptem diebus ante præparandum cibus acrioribus, abſtinentia etiam, quarto, & tertio die vomitionibus, pridie cæna abſtinentia. Qua præparatione præmiſſa, perſuaſum habeo, non ſolum helleborum, ſed alia purgantia multo efficaciora futura eſſe ad difficiles longoſque morbos extirpandos, a materia in remotioribus partibus latente excitatos; & in præſens multas purgationes in irritum cedere, propter debitam præparationem prætermiſſam. Mitto hoc loco inveſtigare, quibus qualitatibus inhæreat vis purgandi, primis, an ſecundis, & quibus ex hiſce, vel illis, cum difficillimum ſit invenire quæſita, nec ſatis valida ſuppetat conjectura pro ſtabilienda ſententia. *Vis* purgandi creditur a multis inſita partibus calidis acribuſque, ut aptis ad ſtimulandum, quibus alias humano captu ſuperiores adjungere neceſſum eſt; quando liquet multa calida, & acria, cujuſmodi eſt piper, pirethrumque, carere facultate purgandi; quando plures Chymici affirmant, poſſe a purgantibus ſeparari vim irritantem. An virtutem purgativam collocabimus in partium tenuitate? Certum enim eſt plura purgantia, diſſipatis tenuioribus per ebullitionem partibus, ut accidit in Senna, ea ſpoliari. Aliqui etiam Chymici opinantur, eamdem vim particulis ita tenuibus includi, ut omnia pervadant, ne vitro quidem coercitæ. Quædam tamen purgantia viſcoſis partibus coagmentantur, uti reſina Jalappæ egregium evacuans, quæ adeo viſcoſa eſt, obſervatione Lemerii, ut ſola propinanda non ſit, ſed aliis immiſcenda, impedituris, quo minus arcte adhæreat tunicis inteſtinorum, eaſque mordeat, exulceretque. Tam varius igitur eſt purgantium contextus, tam infirma argumenta ad determinandum illud ultimum, quo proxime cathartica conſtituuntur; ut operæ pretium non ſit, huic indagini longius immorari ſine ſpe utilitet

R tem-

tempus ponendi. Fruſtra quoque id conati ſunt plures Chymici, quorum alii opinati purgatoriam facultatem conſiſtere in ſale purgantium, alii in ſulphure, alii in mercurio, facta ſeparatione, & ſeparatarum partium periculo, has inutiles ad purgandum compererunt.

Concluſum eſt, purgantium naturam eſſe valde retruſam, neque ſatis probabile, ea per attractionem ſimilium opus ſuum præſtare. An igitur in morbis omnis delectus purgantium ſuperfluus erit, & quæcumque porriguntur, æqualis erunt opportunitatis? Non ita hercle. Fateor occultam quidem eſſe in multis ſpecialem qualitatem effectricem purgationis, ſed alias ineſſe manifeſtas, quibus nec in omnibus morbis, nec in omnibus temperaturis quælibet purgantia conducibilia ſunt. Quædam etiam debilius purgant, alia fortius: quædam leviter ventrem pervellunt, alia gravius cruciant, diverſoſque diverſa purgantia pariunt effectus longa obſervatione compertos; eademque obſervatione conſtat, alia in aliis morbis utiliora fuiſſe, [illegible], quædam etiam nocere, uti Rhabarbarum laboranti Stranguria, aut fluxu hæmorrhoidali: quibus attentis oritur occaſio pro diverſitate ægrotationum, & ægrotorum eligendi peculiare catharticum.

Eſt aliud purgantium genus, quod laxativum vocatur, græce eccoproticum, cui nemo affinxit virtutem ſimilitudine ſubſtantiæ peculiares humores eliciendi; quippe quæ laxando magis fibras, quam vellicando negotium conficiunt, paratioribus ſuccis ad laxamentum accurrentibus. Credunt aliqui hæc laxativa ventriculum quiete, nihilque agendo prætergredi, ſuaſque duntaxat vires exercere in duodeni ſenſiliorem tunicam. Effectu tamen apparet, tum ea, quæ purgatoria electivè appellantur, tum lubricantia, non in ſola inteſtina agere, ſed etiam in ventriculum,

lum, quocunque id fiat modo, ſive propter actionem in qualibet parte editam, ſive propter continuationem membranarum; quarum uni parti affectæ a medicamento reliquæ conſentiunt, alliciunturque excrementa; quibus proinde videmus non ſola inteſtina, ſed etiam ventriculum ab veris purgatoriis, & ſolis laxantibus exonerari.

C A P U T II.

De indicante purgationis inferioris.

TRiplex eſt remedium, ut vidimus, expurgatio, evacuans, revellens, derivanſque; utque hæc tria præſtare poteſt, ita tribus indicantibus ſubjicitur. Solius evacuationis nomine uſurpatæ indicans eſt vitioſus humor, neque natura, neque arte emendabilis, in nullam certam partem pernicioſe motus, neque in eo loco inſidens, ut brevi via detrudi queat ad alvum; in quo ſi foret, porrigeret opportunitatem derivationis, ſicuti porrigeret revulſionis in aliquam partem, ratione ſitus oppoſitam alvo præter naturam illabens. Cum autem purgatio poſſit fieri forti, aut debili pharmaco, forti facta, quæ magnum remedium eſt, petitur a vitioſo ſucco, vel magnum morbum excitante, vel mox excitaturo, ut quantitas remedii reſpondeat quantitati morbi. At enim Galenus ait [a], non in ſoli pravi ſucci redundantia purgationem convenienter ſuſcipi, ſed duplici titulo, & occaſione, videlicet, aut propter magnitudinem morbi, aut propter redundantiam alterius cujuſpiam ſucci; quemadmodum etiam ſectio venæ celebratur, aut propter ſanguinis affluentiam, aut morbi magnitudinem. Hanc difficultatem explanaturus

(a) *Lib. 4. Meth. cap. 6.*

Horatius Augenius[a] diſtinguit ſuccum vitioſum a cacochymia, quam ſobolem, illiuſque ſpeciem conſtituit; ita ut cacochymia ſemper demonſtret affectum præter naturam, non item vitioſus ſuccus: & inde concludit poſſe purgari ſine cacochymia, non ſine vitioſo ſucco. Quo igitur ſenſu dixit Galenus purgationem convenire, aut ratione magni morbi, aut abundantiæ alterius cujuſpiam ſucci? quo videtur indicare, etiam ſine vitiato humore opportune purgari. Non multum laborabo in explicando Galeno, ſed ſequens, quod magis ex rei natura eſt, ſentio, uti liquet, non eſſe purgandum ſine indicante purgationis, nec magnitudinem morbi eſſe proprium illius indicans, ſed duntaxat magni remedii, quod multiplex cum ſit, præſente grandi morbo, adhuc inquirendum reſtat, quale ex magnis conveniat. Eligam vero purgationem, ſi conjectavero, vehementem affectum oriri potius a malis ſuccis, quam copia ſanguinis; licet non adſit ea quantitas, quæ ſine vehementia affectus non poſtularet vacuationem purgante factam, ſed tolleretur, vel ſola victus tenuiore ratione, vel aliis mitioribus inſtrumentis. Etenim magnus morbus exigit celerem vacuationem mali humoris etiam non copioſi; qui nempe ſanum in vehementia morbi ex facili corrumpens, cito mali copiam parit. Vel dicas, ſuccum malum non copioſum eſſe poſſe indicans purgationis, ut revellentis.

Sæpe vitioſus humor præterquam ſua qualitate, infeſtus eſt etiam motu in aliquam partem nobilem: cujus reſpectu, ſi pars ſuperior eſt, imperatur purgatio inferior, non ſolum ad amandandam noxiam qualitate materiam, ſed ejus corrigendum motum excitato contrario, in quo revulſio conſiſtit. Hoc nomine Antiqui in principio Phre-

(a) *Lib. 3. Epiſt. Medic. tom. 3. cap. 5.*

Phrenitidis bilioſæ dejectione utebantur, ad revocandam bilem caput impetentem, deducendamque ad alvum. Cum autem corrupta materia occupat partem circa ventrem inferiorem, inſtituta purgatio habet rationem derivantis præſidii, evacuando per partem vicinam morboſa; uti accidit, quando fluentia ad veſicam transferimus ad alvum, eodem tempore revellentes ſimul, derivanteſque.

Vitioſus humor, grandem morbum producens, vel mox producturus, eſt quidem indicans purgationis, non tamen potius inferioris, quam ſuperioris, aliaque requiruntur, uti alterutra eligatur. Sic humoris craſſities ad deſcenſum proclivior, quam ad aſcenſum, infernam purgationem moliendam eſſe demonſtrat. Idem demonſtrat indigentia revulſionis humorum a partibus ſuperioribus; idem opportunitas derivationis nuper indicata. Locus etiam, in quo concluditur eliminanda materia, docet commodiorem eſſe purgationem per alvum, cum inferior eſt, ideoque viæ vacuationis propinquior.

CAPUT III.

De comparatione purgationis cum venæ ſectione.

ANimus eſt, duo magna remedia venæ ſectionem, & purgationem inter ſe ſe comparare, veſtigandi cauſa, pluſne virium exigat purgatio, an phlebotomia; utque, cum utraque opus eſt, decernamus, quænam ſit præmittenda. Quod attinet ad primum, liquido conſtat, certam virium menſuram requiri ad ea generoſa remedia adminiſtranda, ſed valde controverſum eſt, pluſne virium venæ inciſioni, an purgationi celebrandæ debeatur. Galenus, qui venæ punctioni purgationem, tanquam levius

levius auxilium ſubſtituere ſolet, aperte ſentit minus hinc vires accidi: idque multis rationibus niſus eſt comprobare Valleſius [a], & ea potiſſimum, quia ſanguinis detractio exhaurit humorem naturæ familiarem, & oppido neceſſarium, & proinde vires ipſas, earumdem imminuto fomento. Parem vero virium jacturam, ut ait, non infligit purgatio, educens exoticum ſuccum, naturæ infenſum, & ipſis viribus. Hinc perſuaſum eſt gravibus auctoribus, majorem magnitudinem morbi requiri pro phlebotomia, quam purgatione. Aliis tamen oppoſitum videtur, inde motis, quod venæ apertio ſola vacuatione debilitat, multifariam purgatio, videlicet infeſta qualitate lædens viſcera, humores agitans, perturbanſque, moleſta ſymptomata inferens, & præterea aliquod utilium ſuccorum diſpendium, non ſuppetente pharmaco, quod noxios ſuccos tantummodo extrahat, nihil utilium, & ſalubrium: ex quibus concludunt, oportere, robuſtiorem eſſe ægrotum paſſurum purgationem, quam ſanguinis effuſionem. Hiſce rationibus hinc inde pugnatur pro oppoſitis partibus, utroque remedio generatim conſiderato, neque ad ſuas differentias relato, ſine quarum conſideratione nihil praxi conducibile, & dubitationibus expeditum in hac controverſia decerni poſſe judico: cum nec omnis expurgatio, nec omnis ſanguinis effuſio habeat eamdem animadverſionem, ſed valde diverſam, profectam ex diverſis inſtrumentis, quibus peragitur expurgatio, & quantitate ſanguinis, quæ detrahitur; & detrahendi varia occaſione. Purgantia alia ſunt acerrima, & fortiſſima, veluti Colocynthis, Veratrum; alia mediocria, puta, Senna, Agaricus; tertia debilia, & potius laxantia, quam purgantia, uti flos Caſſiæ, Manna: quas quoque

diffe-

(a) *Lib. 7. Contro. cap. 10.*

differentias aſſumit purgatio hoc, vel illo dejicientis genere peracta. Similiter tres differentias phlebotomiæ ex diverſa quantitate eliciendi ſanguinis conſtituere licet, ſcilicet ex magna, mediocri, parva. Fortis expurgatio, & copioſa ſanguinis effuſio validas vires deſiderant, ſed validiores expurgatio, facta comparatione cum larga ſanguinis emiſſione, ad demendam multitudinem dictam ad vaſa vires fatigantem; quam ablatam ſequitur earum recreatio, non afflictio. Sine hac plenitudine vaſorum magis eſt ambiguum, deliberare de larga ſanguinis extractione, collata cum vehementi purgatione: attamen hæc videtur plus virium icciico exigere, quod valentis purgatorii opus moderari nequimus, qui poſſumus ex pulſu metiri quantitatem hauriendi ſanguinis, nec longe a convenienti recedere. Prudentis igitur eſt, plus roboris requirere ad uſum remedii, in quo perniccioſius peccari poteſt, propter ejus fortem actionem, noſtro moderamini non expoſitam. Fernelius[a] exiſtimat magis dejici vires ab exuperante phlebotomia, quam immoderatæ purgationis violentia, territus animi deliquio ex profuſione ſanguinis metuendo, imaginem mortis, ſpeciemque cadaveris præſeferente. Veruntamen evenire poteſt, ut immodica ſanguinis detractio animi defectum acceſſens, citius vires ſternat, non tamen gravius, totumque ſimul, & ſemel mortis periculum inducat, non tamen majus, quam immoderata expurgatio. Semper horrendum eſt, ut ait Fernelius, ægrum exanimari, incertumque vitæ apparere. Sæpe tamen id periculum, mortiſque imaginem promptius excutimus, quam perniciem ab immoderatione purgantis importatam; quæ, teſtimonio Hippocratis[b], lethalem convulſionem parere poteſt, aliaſque affectiones difficilius, tardiuſque

(a) *Lib. 3. Meth. cap. 11.* (b) *Lib. 7. Apho. 25.*

que ſuperabiles animi defectione. Propterea, licet Hippocrates interdum vacuationem ad animi caſum uſque permittat, hanc merito Valleſius rejicit purgante factam, approbat tantummodo factam ſanguinis impendio largiore. Aliter res habet de mediocri, & debili purgatione, quae minus virium, ceteris paribus, ut opinor, tutatur, quam requiritur pro mediocris, vel modicae quantitatis ſanguinis effuſione e vena grandi; qua totus ſanguis commovetur, non a mediocri, vel debili purgante. Ad alia tamen reſpiciendum eſt, quae reddunt ea duo remedia levius, aut gravius tolerabilia; ideoque minus, vel plus roboris poſcentia, cujuſmodi eſt conſuetudo; qua conſtat, quoſdam phlebotomiam pluries paſſos, eam fere inoffenſis viribus tolerare, & purgantibus inſuetos magis inde offendi. Item ſi quis vehementer formidaret ictum ſcalpelli, minus averſaretur purgantia, hiſce minus virium abſumptum iri exiſtimaverim, quam cruenta detractione. Ipſa quoque ratio morbi, propter quem ſanguis effunditur, vel expurgatur, reddit alterutrum remedium facilius toleratu: itaque obſervamus in inflammationibus minus fere vires imminui ſanguinis extractione, quam in ſolitariis febribus. Cetera perſequere declarantia, unde major virium jactura dependeat, ſicque rectius decernes.

Satis de prima quaeſtione. Nunc conſultemus, data indigentia purgationis, & phlebotomiae, quaenam ſit praemittenda, loquendo de purgatione ad excernendos humores ſanguini intermiſtos celebrata, & quidem valido pharmaco, non debili, eoque, quod laxativum vocant, ſolentque multi propinare ad expiandam primam regionem ante venae vulnerationem. Galenus, (a) cum quo faciunt Valleſius in controverſiis, Fuchſius in paradoxis medicis, ali-

(a) *Lib. 6. Epid.*

aliique clari nominis, conſtituit, oblata occaſione utriuſque remedii, a venæ ſectione citra controverſiam incipiendum eſſe. In hac ambiguitate Fernelius parum laborat, perſuaſus, non magni intereſſe, a purgatione, vel phlebotomia vacuationem inchoare, quando omnium humorum putredo corpus æquabiliter invaſit. Hinc admoneor, controverſiam generatim dirimendam non eſſe, ſed certis conditionibus attentis, atque in primis majore, vel minore alterutrius indigentia. In morbo, cui principale remedium eſt venæ apertio, Hippocrates definit (a), hinc auſpicandum eſſe, non a purgantibus, enumeratque eodem loco morbos primario phlebotomiam expoſcentes; pariliique ratione ſequitur, purgationem anteponendam eſſe, quoties hæc principaliter requiritur. Poſſe vero incidere affectus utrumque auxilium expetentes, extra dubitationem videtur: ſiquidem repleri poſſunt vaſa ſanguine impuro, & cacochymiæ participe, venæ, alvique ſolutione minuendo; ideoque alvi ſolutionem præponemus, majus negotium faceſſente impuritate, quam redundantia, contraque poſtponemus venæ apertioni, præpollente redundantia. Cum autem hæremus, nec apparet clarum argumentum præpollentis, cenſeo cum Galeno, aliiſque bene multis, ſatius eſſe phlebotomiam præmittere, & quidem multiplici commodo. Cum enim ex mea ſententia omnes humores ex aperta vena ſine delectu exſiliant, ſi aperitur ante purgationem, educetur ſanguis impurior, quam poſt purgationem, ideoque minore utilius conſumptione. Illud etiam accedit emolumentum ex pertuſa prius vena in affluentia impuri ſanguinis, quod corpus præparatur ad faciliorem purgationem. Laxat enim venæ ſectura vaſa, fibraſque viſcerum, uti arguant vacuationes ſpontaneæ ſæpe eam con-

(a) *Lib. 4. de rat. vic. acut.*

conſequentes: quare ſe promptius inſinuat vis medicamenti, latiuſque fundit per depleta vaſa; prætereaque, ut ſentit Sydenhamus, (a) catharticum mox a ſanguine dempto aſſumtum longe mitius vim ſuam exerit, neque perinde ſanguinem, vel calefacit, vel exagitat, uti ſolet, ſi phlebotomiam præcedat. Hæc agitanti obverſatur egregia dubitatio injecta a Proſpero Martiano quærente, an poſt purgationem, dum iſthæc judicatur principale remedium magni acutique morbi, detur locus phlebotomo. Hippocrates aperte docet, morbo magno acutoque non remittente poſt reſignatam venam, celebrandam purgationem eſſe: idem tamen, animadverſione Proſperi Martiani, poſt purgationem nunquam præcipit phlebotomiam: quam ideo Martianus poſt purgationem neceſſariam non eſſe præfinit, hac adjecta ratione. Evacuatis, inquit, purgante vitioſis humoribus interfuſis ſanguini, non poteſtupereſſe magna plenitudo, tantaque, ut inde timenda ſit gravis noxa, quippè conflata ab humore benigno. E contrario dempta ſcalpello plenitudine, nec remittente morbo, remanens qualitate infeſtus humor purgatione neceſſario tollendus eſt. Adprobo adductam Martiani rationem, dijudicoque, poſt purgationem, ſi perſeveret ſola indicatio auferendæ plenitudinis, non incutientis metum gravis offenſæ, abſtinendum eſſe phlebotomia, quam ſupplet, auferque indigentiam remedii tenuis victus morbo conveniens, & imminutio ſuccorum permanentem morbum brevi ſecutura. Si tamen tum ea plenitudine contingeretur perniciosus motus petens revulſionem, inchoataque foret curatio a purgante, opportuna nihilominus eſſet revellens phlebotomia, quæ ita exigente morbo, ſola adhibetur, ſive adſit, ſive deſit plenitudo.

CA-

(a) *Epiſtola* 1. *reſponſoria*.

CAPUT IV.

De impedimentis inferioris purgationis acceptis a rebus naturalibus.

IMpedimenta infernæ purgationis expoſiturus non ibo per ſingulas res naturales, ſed eas tantummodo graviora objicientes; preſſiorque aliquanto ero, quam in præmiſſa tractatione phlebotomiæ, iis omiſſis, quæ communia ſunt cum ſuperioribus, pertinentque ad generalem rationem utriuſque vacuationis.

Comperto, adeſſe in corpore humano humorem a ſanguine alienum, & noxium, nihil aliud fortius obſtat ejuſdem vacuationi debilitate virium actioni medicamenti non reſiſtura: & iccirco obſtat, quia nequit ſolus vitioſus ſuccus, & ſine aliqua miſtura incorrupti excerni, nequit ſine perturbatione aliorum ſuccorum, & ſpirituum aliqua jactura. Quamvis enim dixerit Hippocrates[a] ſi purgentur qualia oportet, vacuationes facile ferri, & prodeſſe, attamen non ita facile feruntur, ut nihil incommodent viribus, præſertim a morbo acciſis. Multo faciliores ſunt ad ferendum evacuationes peccantis humoris, quam innocui: certa tamen virium quantitas requiritur, ſine qua gravia impendent pericula; id quod præclare apparet ex ingentibus apoſtematis ſemel toto educto pure, itemque confertim effuſa hydropicorum aqua, licet ea duo mera excrementa ſint. Omnis igitur evacuatio virium modum egreſſa periculo non caret; quod evitaturus diligenter conſideres oportet, qualem vires excretionem, & quemadmodum factam ſuſtinere poſſint, ſemel ne, an plu-

S 2

(a) *Sec. 1. Aph. 2.*

pluribus vicibus, & quo medicamenti genere factam; item utrum apparens imbecillitas originem ducat a conſumptione eſſentiæ virium, an ab copia mali ſucci opprimente; cujus detractio licet aliquantum eiſdem officiat, tamen deinde levamento eſt. Porro imbecillitas ex ea copia genita innoteſcit potiſſimum, ſi nulla præceſſerit notabilis vacuatio, nulla cauſſa latenter abſumens, nullaque ſubſit maligna qualitas virium elementa corrumpens.

Avicenna [a] credit, temperiem calidam ſiccamque, ſive totius corporis, ſive partium principalium adverſari purgationi, quippe peragendæ medicamentis calidis, & ſiccis, partes ſimili temperatura præditas prompte offenſuris. Enim vero præſente infeſto humore purgationi ceſſuro, inde non deterrebor a caliditate, & ſiccitate totius corporis, vel partium certarum; qui formidato incommodo proſpicere poſſum, eligens minus calidum, ſiccumque pharmacum, & ſuper addens hauſtum ſeri lactis caprilli, vel ſimilis: quo pacto certum eſt, multo plus commodi reportatum iri dejectione, quam noxæ inflictum a caliditate, & ſiccitate dejicientis.

Habitus corporis rarus, & mollis copioſo effluvio viam muniens, una cum morbo vires non leviter infirmans, tanquam inditium, vel cauſſa futuræ debilitatis, aut inhibet purgationem, aut duntaxat reſtrictiorem permittit. Hoc nomine Fuchſius in paradoxis pueritiam exemit purgationi, perſuaſus, puerorum ſubſtantiam faciIlime diſſipari, excernique ſponte in aliis ætatibus artis opera vacuandum. Tamen paſſim occurrunt experimenta de purgatione feliciter in pueris obita, quæ redargui nequeunt, exitu conſiderato, & ipſo conſilio. Concedo, multum e pueris jugiter evolare, aptum per anguſtiſſimos meatus permeare.

Poſ-

(a) *l. 3. 1. Fen. 4. Doc. 5. cap. 3.*

Poſſunt tamen in eiſdem multum edacibus congeri craſſiora purgamenta difficulter clanculo diſſipabilia, neque ea temporis brevitate, quam morbi curatio requirit, propterea adjumentum artis expoſcentia. Propter largum in pueris perſpiratum lubentius abſtinerem ab venæ punctione, quam purgatione; quod copia ſanguinis per inſenſiles meatus facilius diſpergi poſſit, quam excrementorum. An non ipſe (a) Hippocrates elaterio præſtito nutrici purgat infantes ipſos? Verum enim vero idem monet, (b) ne pueros calidioribus, & ſiccioribus purgantibus agitemus, præſertim ante primum ſeptennium, eo tempore convulſionibus maxime obnoxios. Temperatura quoque humida puerorum ſui conſervationem petens, ægre patitur ſicciorum, & calidiorum uſum; & videmus quam moleſte ferat ſummum æſtatis, vigente caliditate, & ſiccitate. Eos præterea ſubduxit natura indigentiæ acriorum purgantium, quos ſcilicet ex facili mitioribus perducimus ad purgationem propter fibras egregie ſenſiles, & irritabiles, humoreſque paratos ad ſolutionem. Senes contrario præditi temperamento, ideſt frigido ſiccoque, & durioribus fibris, tametſi humidis, & pituitoſis excrementis abundant, purgantibus fortioribus quatiendi non ſunt, & maxime in ultimum ſenium delapſi, obluctante virium infirmitate. Nequeunt hi, licet nullam præter ſenectutem extremam patiantur ægritudinem, ſuſtinere quantitatem cibi unica vice ſumptam ſanis hominibus congruentem; qui monitu Hippocratis (c) exiguis indigent fomitibus; ideoque crebro, ſed modica cibi portione inſtar ægrotantium nutriendi ſunt; eademque ratione vehementiore purgante non exercendi.

Nil aliud momenti inter res naturales expendendum ſupereſt

(a) *Lib. 6. Epid. Sec. 5.* (b) *In prognoſtico.* (c) *Sec. 1. Aph. 14.*

pereſt præter graviditatem, & inde ſequentia. Ita vero gravidarum purgationem moderatur Hippocrates.[a] *Prægnantes medicamentis purgare oportet, ſi turgeat humor, quarto menſe, & uſque ad ſeptimum. Minus vero has. Juniores autem, & ſeniores fœtus vereri oportet.* Hanc ſententiam intelligendam cenſeo de forti purgatione Priſcis uſitatiore, inde tamen moneri quoque artificem, ut etiam levem meditate, cauteque uſurpet, & tantummodo ex graviore occaſione, quam in vacuis, propter periculum abortionis ab utraque impendens, licet ex utraque non æquale. Quo validior eſt expurgatio, eo magis commovet humores uterum verſus, agitat partes ei conterminas, officit acrimonia medicamenti, incutitque graviorem deperdendi fœtus ſuſpicionem. Debilior minus quidem eſt formidoloſa, ſed non omnino tuta, extraque omnem ſuſpicionem in quacumque conſtitutione prægnantium. Itaque ſemper conſultius foret in gravidis parcere purgantibus quibuſcunque, niſi acciderent affectiones modo infirmiora, modo fortiora exigentes, etiam cum aliqua trepidatione uſurpanda, ne patiamur, matrem, & conceptum abſque ullo ſubſidio vita periclitari. Cum autem fœmina aliis temporibus magis, aliis minus proclivis ſit ad abortum, tanto major pro expurgatione imperanda circumſpectio requiritur, quanto major eſt ea proclivitas. Hanc vero majorem eſſe primis tribus, & poſtremis menſibus, animadvertens Hippocrates abſtinet purgante, primis tribus ob mollitudinem vinculorum, ultimis tribus propter magnitudinem infantis ſuo pondere eiſdem infeſtam, & magis accedente purgantis irritamento, impulſuque. Solis igitur mediis menſibus vacuationem molitur, eamque, ſi materia turgeat, ob hanc conditionem facilius, & ſine magna moleſtia

(a) *Apho. 1. Sec. 4.*

leſtia ceſſura medicamento. Veruntamen tempore junioris, & grandioris fœtus, magno morbo poſtulante non levem purgationem, & materiæ non turgentis, ullus ne patebit aditus ad eam celebrandam? Quod tutius eſt indicavit Hippocrates, non quod unice fieri poteſt. Si enim ex violentia morbi in magnum diſcrimen adducta ſit parens, una cum prole, anne deſeremus utramque ſine ullo præſidio, ob periculum abortionis, quod nihilominus impendet a morbo? Utique deſerenda eſt, niſi ſuppetat ſaltem ambiguum remedium, neque certam perniciem allaturum. Quapropter, ſi oſtendero, purgationem non eſſe neceſſario abortivam, proculdubio evicero, anceps eſſe remedium, nec omni ſpe deſtitutum, nempe cauſſam morboſam imminuens. Porro etiam primis menſibus ſine abortu tentatam eſſe purgationem vel fortem, conſtat apertiſſime ex impudicis mulieribus, eam non ſemel & incaſſum expertis ad vitandam impudicitiæ notam ex grandeſcente fœtu inurendam. Legimus præterea apud Hippocratem[(a)] uxori Antimachi in Lariſſa a diebus circiter quinquaginta prægnanti potui datum eſſe elaterium vehementius, quam oportebat quod eduxit cotylas quinque excrementorum, & ſubcruentum ramentum inteſtinis deraſum, quæ ulceraverat: neque tamen quo tempore ſupervixit mulier, apparuit ullum indicium commoti conceptus, & futuri abortus, ſi longius ſupervixiſſet. Congruit id eventum obſervationi Celſi aſſerentis,[(b)] poſſe ſervari fœminam, ipſumque fœtum reſervari etiam in torminibus ventris, cum dejectione ſanguinis, & ſtrigmentorum. Cur igitur idem ſperabile non erit ex aſſumpto dejiciente, non pariturо tormina, excretionemque ſanguinis, & ſtrigmentorum? Itaque ſi gravida, ex. gr., cadat apoplectica,

cum

(a) *Lib. 5. Morb. Popu.* (b) *Lib. 2. cap. 8.*

cum aliqua ſpe ſalutis, non ſola manna, vel alio ſimili contenti erimus, affectu validiora exigente, ſed hæc ipſa ſunt uſurpanda, eligendo tamen citra notabilem moleſtiam opus abſolutura. Damnat in gravidis Rodericus a Fonſeca, elleborum, colocynthidem, turpetum, ſcammonium, aliaque de genere eodem. De ceteris non diſputo, ſed ſcammonium, ſi admiſceatur mitioribus purgantibus, reprobandum non duco, quod ea miſtione benigne, efficaciterque purget, ut Bohnii, aliorumque conſtat frequentibus experimentis. Non metuentes exhibere gravidis, uti communis eſt praxis, ſirupum roſatum ſolutivum, vel electuarium lenitivum, aliaque ſimilia habentia, puta, facultatem purgandi uno numero, neque cauſſam habent metuendi purgans uno numero fortius, ſi morbus iſthuc requirat, & cetera conſentiant; quod ſane nemo probaverit, eſſe indubitate abortivum, nec probandum ſuſceperit. Tota difficultas vertitur in cognoſcenda opportunitate faciendi periculi: quod neque in morbis evidenter lethalibus, neque in ſalutaribus, & ſponte ceſſaturis locum habere judico, ſed duntaxat in ambiguis, nec aliud remedium præter anceps ſubjicientibus. Hoc loco omittenda non eſt trita controverſia, utrum liceat perdere fœtum ad tuendam matrem, ſi rationabiliter ſperare liceat, eo perdito matrem defenſum iri. Communis eſt controverſiæ diremptio, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona; cui dogmati tamen aliud addendum eſt non minus vulgatum, e duobus malis minus eſſe eligendum. Si igitur ſuppetit gravis conjectura, ſine tali medicatione perituram cum prole matrem, cur minus malum non erit eligendum, & cuſtodienda mater? Actum eſt, imagineris, de prole, & parente vi morbi perſeverante. Medicina ſervat matrem, occidit fœtum vel non ſervata matre

inte-

interiturum. Si medicinam relinquis, matrem perire ſinis, & nihilominus proles interit. An igitur matri non ſubvenies, ut fœtui nihil proficias? Si Theologi, rerumque divinarum interpretes ita decernunt, jubentque, obtemperare neceſſum eſt. Verum in hoc caſu, ut in aliis multis medicis, longe difficilior eſt quæſtio de facto, quam de jure: nec quiſquam, ut opinor, in ſe recipiet, per provocatum abortum matrem iri conſervatum, & non provocato, utrumque periturum eſſe. Ambigenti vero videtur nefas, deſtinare prolem ad mortem ob ſpem incertam tuendæ parentis.

Hactenus de muliere prægnante. Nunc de enixa agendum eſt, vel patiente morbum ante partum inchoatum, vel a partu, rite fluentibus lochiis, vel parcius, vel uberius. In puerperis nata ægrotatio originem habet, vel ab humoribus vitioſis ante partum congeſtis, vel occaſione partus genitis, vel a corrupto puerperio: de quibus cauſſis huc non attinet, prolixius differere. Demus igitur, puerperam teneri morbo genito ab excrementis contentis extra uterum, purgamenta uteri congrua menſura manare, indicarique purgationem. Erit ne indicationi ſatisfaciendum? Utique; ſi morbus anceps ſit, nec appareat, eum a lochiis rite fluentibus imminui, jamque fluxerit eorum moderata quantitas: de quo ſuppetit praxis Hippocratis[a], qui præbet quintam partem conſuetæ quantitatis Scammonii ad ſollicitandam reſtrictam alvum. Morbi vero vehementia majorem quantitatem purgantis exigente, cur non erit porrigenda, habita ratione virium, & aliorum accidentium? Attamen clari quidam viri cum Riverio, donec naturaliter purgatur uterus, omnem per alvum purgationem interdicunt perculſi timore, ne natura diſtrahatur ab

T excre-

(a) *De Sterilibus.*

excretionê lochiorum vacuatione per alvum facta. Ac ſane id recte meritoque decernerent, ſi certum foret, indè ſecuturum eſſe formidatum incommodum; quod metuere quidem poſſunt, pro certo habere non poſſunt. Quemadmodum enim, ut mox oſtendam, purgatio non eſt certum impedimentum fluentium menſtruorum, item cenſeo, non eſſe puerperii. Quapropter in puerperæ affectu periculoſo apparentibus claris inditiis, totum corpus redundarê pravis humoribus, purgatio temere non tentaretur, etiam in convenienti lochiorum effluvio: quod ſi parcius, vel largius foret, habes ex ſuperioribus, quemadmodum te geras. Namque, ſi pro modo naturæ ſe ſe utero exonerante, in anguſtiis puerperæ impeditæ gravi morbo ab humoribus vitioſis extra uterum contentis producto, patet locus purgationi, magis patebit, ſi reſtrictior erit exoneratio; quando ſcimus, parciorem uteri purgationem alvi fluxu a natura aliquando ſuppleri. Porro lochiis ſupra modum erumpentibus, ſi poſceretur expurgatio, hæc minus roboris haberet ad ea ſupprimenda, quam in fluxu moderato; & hoc reſpectu minus eſſet metuenda. Quem lateat, laborioſius cohiberi humorem concitate defluentem, quam lente, copioſum, quam paucum?

Lactis quoque generatio in enixa propter multarum nutricum paupertatem conſervanda, eam habet animadverſionem ratione purgationis, quam expoſui agendo de impedimentis venæ ſectionis.

CA-

CAPUT V.

De impedimentis purgationis inferioris acceptis a rebus non naturalibus.

AD aerem, primum non naturalium, in uſu magnorum auxiliorum reſpiciendum eſſe, dictum ſuperius eſt, notumque quid dixerit Hippocrates de purgatione ex aeris conſideratione: ſub cane, & ante canem difficiles purgationes ſunt; quam difficultatem non peculiaris quædam occultaque aſtri proprietas parit, ſed caliditas, ſiccitaſque aeris per id tempus maxima; abs qua Senex timet, ne præter modum calefacta, ſiccataque viſcera pharmacum ad ſe ſe alliciant, & fruſtrentur; eodemque timore commotus vetat purgationem in febribus fortibus [a]. Quanquam autem id præcipit Hippocrates, [b] tamen in febre ardente æſtiva purgationem inſtituit lacte aſinino; quo exemplo Martianus in Comment. ſuadet propinationem copioſam decoctionis Caſſiæ, & pulpæ Thamarindorum, eodemque monemur, ſummos inter æſtivos æſtus non quamcunque purgationem, nec quolibet medicamento peractam declinandam eſſe, ſed tantummodo calidioribus, & acrioribus: quorum ſane adhibendorum occaſionem, & indigentiam ipſe fervor tempeſtatis adimit, congerens tenues, calidoſque in corporibus humores etiam mitibus purgantibus cedentes, non craſſos & viſcoſos, fortioribus abducendos. Inſuper tolles metum formidati ab Sene incommodi tempore canis, ſi aſſumpto medicamini ſuperaddas potum refrigerantem & humectantem, qualis eſt decoctio malvæ, ſerum lactis caprilli; ſi præbeatur illud ante-

T 2 luca-

(a) *De Medic. purgant.* (b) *Lib. 4. acut.*

lucanis horis ; ſi refrigeretur cubiculum aqua, & virentibus foliis, quod humile ſit oportet, tutumque a Sole. Ceterum hæ cautiones in *uſurpandis* purgantibus in apice æſtatis potiſſimum attingunt morbos acutos cum febre, in quibus eorum, & calor tempeſtatis coeunt, geminantque invicem moleſtiam laboranti, maxime in regionibus calidis, quales ſunt, in quibus ſcripſit Hippocrates. Quocirca orto, æſtivo tempore, morbo gravi ſine febri ingentique calore validam purgationem poſtulante, circumſpectius quidem, ſed peragendam cenſeo.

Nonnulli ab expoſito monitu Sens anſam arripiunt declinandæ purgationis etiam in media hyeme, ſecuti auctoritatem Avicennæ temperantis a purgante, quieſcentibus in montibus nivibus: cui ſane obtemperarem in morbo dilationem remedii permittente, non obtemperarem in fugaci occaſione, nec moram concedente. Neque ſane ulla ſubeſt ratio obtemperandi. Cur enim ſæviente frigore abſtinendum eſt a purgante expoſtulato? An propter difficultatem obtinendæ purgationis? Hanc tolles, ſi vim frigoris igne temperes, ſi præpares humores, efficaxque medicamentum propines.

Satis de aere. Reliquæ res non naturales ſunt cibus, & potus, motus, & quies, ſomnus, & vigilia, excreta, retentaque, animi perturbationes: quarum omnium habenda ratio eſt rite purgationem celebraturo; & quemadmodum habenda ſit, expoſui in Methodo medendi, tractans de indicatione ſex rerum non naturalium. In præſens agendum duntaxat remanet de menſtrua purgatione, plura requirente, quam eo loco expoſita fuerunt. Ergo certum eſt, eam vacuationem ſalutariter a natura inſtitui, nec proinde interturbandam eſſe purgantibus, ſi hæc interturbandi vim habent, uti pluribus auctoribus viſum eſt

habe-

habere. An jure id viſum ſit, veſtigabo. Duo in purgantibus cadunt ſub præſentem conſiderationem, qualitas eorumdem, motuſque humorum, quem pariunt. Qualitas, quæcunque ſit, fibras, vel irritat, vel laxat, & alterutro modo potius facit ad incitandam lunarem purgationem; quam compeſcendam; obſervatumque eſt, ab eiſdem in pauca quantitate exhibitis loco alvi moveri urinam, motione conſentiente cum provocatione menſtruorum: quorum proinde inhibendorum ſuſpicionem ſolus motus purgantis injicere poteſt. Placet pluribus, cauſſam cientem menſtruam excretionem eſſe fermentum uteri, cujus portio in ſanguinem illapſa eumdem agitat, diſſolvit, præparatque ad exitum. Quadam pariter peculiari commotione ſanguinis expurgans efficit, ut inde ſeparentur excrementa ad alvum defluxura. Hinc dubitatur, ne motus factus a purgante pervertat alterum, quo natura ſtudet menſtrualem ſanguinem rejicere. Hunc autem perverti, tam certo credit Rodericus a Caſtro cum aliis non paucis, ut dijudicet, etiam in magnis morbis purgationem requirentibus differendam eſſe, donec menſtrua ceſſarint, annuens adagio hiſpanico, feriatam diem eſſe, cum hoſpites adſunt. Veruntamen mihi nulla ſat firma, manifeſtaque ratio ſuppetit, cur illis auctoribus aſſentiar, & pro certo teneam, a purgantibus impeditum iri fluxum menſtruorum, eorumque propinationem differendam eſſe ad ceſſationem uſque fluxus etiam in grandi affectu. Satius quidem eſt, ſcatentibus menſtruis purgationem procraſtinare, ſi commode fieri poſſit dilatio, ſine periculo gravioris noxæ in morbo vehementi. Ut enim ea excretio in ſanis conducit ad ſalutem tuendam, item in ægrotis ad reparandam, inhibendumque morbi incrementum; neque ſemel obſervatum eſt, eamdem vacuationem concocta jam materia fa-

ctam

ctam partem criſeos fuiſſe, & reſtinctæ febris cauſæ; ut contigit mulieri in Thaſo auſteræ, & aſperæ, cui narrat Hippocrates, ſub judicium copioſe menſtrua profluxiſſe. Ceterum urgente purgationis indicatione, purgationem temere non adhiberemus, ipſius experientiæ monitu, qua conſtat, purgantia mediocria ſæpius caſu præſtita tempore menſtruorum hæc minime compeſcuiſſe, aliquando etiam magis incitaſſe, ut vidi contigiſſe mulieri triginta circiter annorum, cui propinatum a juniore medico, cupidoque agendi pharmacum non ſolum fluentia menſtrua minime ſuppreſſit, ſed præter modum ſtimulavit. Quicquid autem opponatur, poterit forſitan evincere, purgationem celebratam in menſtruali muliere anceps eſſe remedium, non temerarium, nulla ratione demonſtrante, ex ea fore, ut manantia certo retineantur. Quod ſi ſermo ſit de leni purgante, ſeu laxante, cujus actio primam regionem non prætergrediatur, multo minus inde timenda erit menſtruæ fluxionis ſuppreſſio. Id confirmo meo experimento. Uxor perilluſtris D. Antonii Sberti ſolita, lactatus tempore madere menſtruis imo copioſioribus, anno 1731 menſe Martii incœpit lactare; ſed ſolitis temporibus, contra conſuetudinem non fluxere menſtrua, ſolum aliquot ſtillæ apparuerunt. Sub fine ſeptimi lactatus menſis, tempore menſtrualis purgationis correpta eſt tertiana duplici continua cum vehementibus ſymptomatis, ingenti renum dolore, cordis anguſtia, ſenſuque quaſi manu cor conſtringeretur, ſiti, vigiliis. Dolor renum, & cordis anguſtia valde imminuebantur circa ſtatum febris, alvo egerente multa liquida,811bilioſa, & æruginoſa. Petebat Ægra, optabant domeſtici, ut venam aperiri juberem, quibus non indulſi ex animadverſione, moleſtiora ſymptomata mitigari per excretionem bilioſam, & adhuc murmurare

ven-

ventrem, indicium ad eum devolvi vitioſos humores, cum quadam, ut ait Valleſius, impropria turgentia. Itaque exhibui unciam unam Electuarii lenitivi, concepta ſpe fore, ut magis imminuta humorum copia uteri purgamina largius emanarent. Neque me ſpes feſellit, facto eodem die liberaliore fluxu, & fere eadem menſura perſeverante ad finem uſque. Conſuetum ſpatium menſtruationis erat octo dierum, quo exacto, & tribus diebus amplius omnia ceſſarunt.

CAPUT VI.

De impedimentis purgationis inferioris acceptis a rebus præter naturam, & primum ab ipſo humore purgando.

NOn minus ſpina digito infixa ſtatim ſui extractionem petit, quam humor noxius, nec emendabilis ſui excretionem, quam proinde per ſe vetare nequit, ſed tantum ex accidenti. Sic materia cruda, quam vetat Hippocrates agitari, purgarique, poſcit quidem tanquam infeſta ſui expulſionem, ſed ex accidenti prohibet, deficiente pharmaco eam commode molituro: quod ſi ſuppeteret, proculdubio in uſum vocaretur, & protinus cruda depellerentur. Iterum propono, de quo alias mentionem feci, ſanguinem in carnes effuſum, & phlegmones effectorem ſui excretionem protinus indicare, non tamen tentari, antequam in pus commutetur, nullo ſuppetente inſtrumento ante hanc mutationem vacuationi idoneo. Igitur quemadmodum materia inflammationis per ſe poſtulat ut excernatur, vetat ex accidenti; item vetat eodem reſpectu materia cruda, quæ difficilis eſt ad dejiciendum,

ſtu-

ſtruſtraturque purgantia. Oritur hæc difficultas ex materia cruda, de qua loquimur, utpote contenta in venis, & interjecta ſanguini; quæ proinde vi medicamenti expelli nequit, niſi per coctionem a ſanguine ſecernatur, ſicque ad expulſionem præparetur. Quamobrem non aliam concipio cruditatem in materia in venis concluſa, & recuſante purgationem, niſi eam diſpoſitionem, per quam ita partibus ſanguineis immiſcetur, & adhæret, ut nequeat opera medicamenti ſecerni, extrahique: & hinc colligo intimam rationem, cur Senex in generali præceptione de non vacuanda materia cruda turgentem exceperit. Turget humor ex ſententia Galeni, Valleſio, aliiſque pluribus adprobata, qui nulli parti affixus modo in hanc, modo in illam agitur, omnium membrorum natura, ut ait Valleſius, ad illius expulſionem nitente. Itaque ſi humor turgens in venis eſt, certe nequit vagum motum habere, variaſque partes irritare, niſi emerſerit, & fuerit ſolutus arcta cum ſanguine miſtione. Emerſus vero liberque eum propemodum habet præparatum ad ejectionem, quem acquirit materia cruda per concoctionem diſponentem ad ſeparationem, per quam auſertur impedimentum commodæ excretionis.

Quanto ſententia Hippocratis de purgatione materiæ coctæ, non crudæ celebrior eſt, tanto minus a pleriſque Medentibus obſervatur, qui in principio febrium ſtatim dejicientia porrigunt; eamque dictæ ſententiæ interpretationem afferunt, quaſi inde fortis duntaxat, non mitior purgatio prohiberetur, quam *minorativam* vocant, & alteram *eradicativam*. Sic Manardus Ferrarienſis (a) affirmat ſe ſe annis octo ſupra quadrageſimum variis in locis medicinam feciſſe, atque in principiis febrium ſemper præ-

buiſſe

(a) *Lib. 3. Epiſt. 13.*

buiſſe flores Caſſiæ abſque ulla noxa notatu digna. At Martianus, qui multum operæ ſtudiique contulit in eum aphoriſmum exponendum, poſt diligentiſſimum examen concludit, crudos humores nullo modo, nec in principiis morborum purgandos eſſe; idque mihi recte conſtitutum videtur. Cur enim fortis expurgatio crudorum non convenit? Nimirum imparata ſunt ad vacuationem ob eorum confuſionem cum ſuccis utilibus; agitataque a medicamento non educerentur, ſuperſtite agitationis detrimento. Sin autem robuſtum pharmacum non poteſt elicere immatura inquinamenta, multo minus poterit imbecillum, quod minores quidem turbas ciebit, non tamen afferet majorem utilitatem. At Manardus tam longo annorum excurſu, incipientibus febribus, Caſſiam præbuit, nec unquam inde ſecutum eſſe grave detrimentum, animadvertit. Eſto. Nihil tamen evicit pro purgatione minuente; cujus tantummodo aliquam defenſionem protuliſſet, ſi tot annorum uſu animadvertiſſet, illud debile pharmacum ſemper, aut plerumque profuiſſe. Argumentum medicaminis adprobandi eſt levamen inde relatum, non vacuitas notabilis jacturæ. Unica utilitas ab Caſſia, quæ clyſter ventriculi appellatur, ſperabilis eſt in redundantia impuritatum in eodem inſidens, & inteſtinis, non imminutio materiæ fuſæ per venas: quæ tamen redundantia non ſemper adeſt, prætereaque tolli poteſt etiam clyſteribus. Non tamen obſto, quin tollatur etiam Caſſia, Electuario lenitivo, ſimilique; dummodo adſint graves notæ, eam adeſſe, quam tamen non ſemper adeſſe, in medio poſitum eſt, proptereaque in omnibus febribus incipientibus non eſſe porrigenda, uti fecit Manardus, ea laxantia. Itaque qui celebrant initio febrium purgationem, quam vocant minuentem, ſi hanc intendunt in materiam fe-

brilem immiſtam ſanguini, falluntur, operamque fruſtrantur: ſin autem animum habent tantummodo eluendæ primæ regionis, conſtat ex dictis, eam non ſemper eſſe peragendam, nec minuentem apte vocari, quaſi minueret fomitem febrilem ſanguini intermiſtum.

Stabilita cum Hippocrate neceſſitate coctionis ad idoneam purgationem conficiendam, reliquum eſt, ut coctionis gradus deſignetur. Fernelius graviſſimus auctor late interpretatur decretum Hippocratis de coctione expectanda, opinatus, eo ſolum prohiberi vacuationem omnino crudi purgamenti, atque coctionem in tres gradus diſtribuens, obſcurum, manifeſtum, perfectumque, ſancit, in obſcuro parce purgandum eſſe, moderate in manifeſto, perfecte in perfecto. De duobus ultimis gradibus minime dubitat, utrum ſufficiant pro recta purgatione, tantum ambigit de primo, nititurque hoc argumento dubitationem tollere. In neutra, inquit, corporis affectione impendentem morbum ſæpe arcemus purgatione, quæ vitioſos jam congeſtos humores detrahit. Atqui tum maxime, multoque magis, quam ipſo morbi initio crudi ſunt. Cur igitur pari utilitate moti eos initio non purgabimus? Teneret id argumentum Fernelii, ſi probaſſet, ſuccos vitioſos in neutra affectione crudiores, quam inter initia morborum eſſe, quod adeo certum non eſt, ut aſſumit. Et ſane animadvertit Proſper Martianus,[a] ante ortum morbi noxios humores neque crudos eſſe, neque coctos; & Valleſius[b] in morbo regio, niſi febris adeſt, bilem ante purgationem coctione non indigere, indigere tamen accedente febre; cujus acceſſio indicat intra venas omnia agitari confundique ex coorta febrili fermentatiode, uti evenit in muſto, cum incipit ebullire: qua facta con-

[a] *Sect. 1. Aphor. 22.* [b] *Lib. 7. Contro. cap. 15.*

confuſione coctio expectanda eſt, ſubactura purgamina, & ſecretura, inde ad ſpontaneam, vel artis præſidio faciendam vacuationem præparata. Itaque, ſi quis ver. gr. multam bilem in venis congeſſerit, ex qua in febrem ſit poſtridie incurſurus, hodie ea cruda non erit, erit poſtridie oborta febri, facta majori cum ſanguinis confuſione, & commotione, vi fermentationis febrilis, propter quam cruda dicitur, nec apta ad excretionem. Inſuper conceſſo, materiam parce coctam parce purgandam eſſe, difficillimum eſt, ita purgationem inſtituere, ut exæquet debitam menſuram, nec infra, aut ſupra peccet. Enim vero Senis præceptum vetans purgationem in principiis morborum comprehendit etiam materiam obſcure coctam, imo etiam manifeſte, quæ talis eſſe creditur in argumento morbi. Hippocrates enim, uti probat Proſper Martianus (a), tria tantum tempora morborum facit, principium, ſtatum, atque declinationem, ſub principio ipſum argumentum complectens. Quare Fuchſius, aliique graves auctores ut ſeſe ab errore tutentur, tantummodo in declinatione febrium ad purgatoria confugiunt, natura, quæ ſolet concocta ſponte excernere, excretionem non abſolvente. Num igitur reprehendendi Fernelius, Montanus, aliique multi, qui Syrupo roſato ſolutivo, & Rheubarbaro conantur ſemicocta dejicere? Mihi ſane videntur cum ſuis ægrotis multo tutius agere, qui ſolum apparentibus notis perfectæ coctionis purgantia adminiſtrant, ſuum opus feliciter peractura. Natura enim ſemicocta non ſeparat, ſed perfecte cocta; totaque utilitas ſperanda ex coctione vacuationis gratia conſiſtit in ſeparatione, qua peracta, facilior feliciorque obtinetur purgatio. In morbo tendente ad ſalutem, qualis eſt febris exhibens ſigna indubiæ coctionis,

V 2 non

(a) *Lib. de Affectin.*

non eſt tentandum remedium, quod opus naturæ futuræ victricis, aut pervertere poteſt, aut retardare, ut poteſt intempeſtiva purgatio; quam Valleſius ait,[a] eſſe in cauſſa, cur noſtris temporibus tam paucæ contingant judicationes: de quibus non impediendis tam ſolliciti fuerunt Antiqui, totque accurate ſcripſerunt. Animadvertendum tamen eſt, bifariam coctionem fieri, aut tota materia ſemper novum coctionis gradum acquirente, donec tota perfecte cocta ſit, quod in fine ſtatus accidit; aut cum materiæ aliqua pars ſubigitur, altera crudior remanet: dumque coctio hoc modo peragitur, difficilius eſt, deliberare de purgatione ex ſignis concoctionis, quæ ex portionibus materiæ inæqualiter coctæ obſcurantur. Verum, quia hic modus coctionis ſolet evenire in febribus longis, in quibus non reſervatur tota materia ad ſtatum unica decretoria, & copioſa vacuatione extrudenda, cum majore fiducia licet purgationem tentare, quamvis non exhibeantur inditia abſolutæ coctionis.

Quamquam Hippocrates in expoſita ſententia tantum excipit turgentem materiam nulla expectata coctione purgandam, tamen Poſteri non ſolum alias plures limitationes excogitarunt, ſed illam ipſam amplificarunt, rati, materiam duplici modo turgere poſſe, proprie, & improprie, & utroque modo turgentem materiam purgari oportere. Proprie turget, ut explicant, quæ per internas corporis partes jactatur, & furit, omneſque ad excretionem irritat: improprie turget, uti placet Valleſio, cum venter murmurat, & dejectiones bilioſæ ſunt: quibus apparentibus cum Hippocrate[b] intra primos quatuor dies celebrat purgationem, murmure ventris cum bilioſa dejectione teſtante, bilem ſponte ad ventrem ferri. Expurgan-

(a) *Lib. 4. de rat. vic.* (b) *Lib. 4. Acut.*

gandus eſt noxius humor, quotieſcunque expurgationem facile utiliterque conſequi poſſumus; & niſi poſſumus, differimus, & opperimur coctionem. Commodam autem excretionem obtentum iri, declarat murmurans venter, bilioſaque dejiciens, ſicque denotans bilem, nulla in parte retineri, ab aliis humoribus ſeponi, ad ventrem fluere prompte ſecuturam, propinatum purgatorium. Cur Hippocrates in Pleuritide dolore deſcendente infra ſeptum tranſverſum injungit purgationem? Non alio ſane nomine, uti placet Martiano, injungit, niſi ſpectata inclinatione humoris noxii ad partes inferiores; quam pariter expoſita inditia ſignificant, eamdemque adeſſe vacuandi occaſionem, uti cum Valleſio concludo.

Præter turgentem humorem flagitantem per initia morborum dejectionem aſſeverant plerique, dejiciendum pariter eſſe, quod coctibile non eſt, aut propter imbecillitatem facultatis coctricis, aut ratione ſuæ naturæ; præterea quod valde redundat; demum quod in partem aliquam nobilem exitioſum illabitur. Humores reſpuentes coctionem iccirco Sanctacrux purgat, quod perſuaſum habet, a natura non retineri, ſed eos duntaxat retineri, quos corrigere, & ſubigere poteſt, eorumque, quos non retinet, optari depulſionem. Optantem igitur credit, adjuvandam eſſe medicamento, idque ex propenſione naturæ ad opus feliciter ceſſurum, ita de natura loquens, ſimiliter ac ſi ex cognitione, & conſilio operaretur ſaluti. Verum licet natura, ut ait Hippocrates, ſit docta ſine doctore, tamen non cognoſcit agenda, nec agit quia cognoſcit, ſed ſequens leges motuum. Itaque dicuntur cruda in venis concluſa retineri a natura, quia ſanguini immiſſa cum ſint, nondum evecta, & a ſociis partibus ſoluta, eam non irritant ad excretionem. Quæ vero concoxit, eliminat,

aut

aut ſola, aut opitulante pharmaco: quippe per coctionem ab aliis ſecreta, quibus temperabantur, fortiora fiunt ad irritandum, vel paratiora ad exeundum. Ex modo, quo dixi, naturam retinere excrementa coctibilia, in proclivi eſt, colligere modum, quo dico non retinere correctionis indocilia. Nempe credere par eſt, iſta minus arcte copulari cum ſanguine, facilius ſeparari, promptioraque eſſe ad inſtigandum, & ſecedendum: ex quo apparet ratio, cur ſperemus in hac conditione humorum utile dejiciens futurum, non ſperemus in coctibilibus. Quin etiam conatus ad ſtatim ejiciendos indomabiles ſuccos inde commendatur, quod nihil melius ſperare poſſumus ex procraſtinatione purgationis, nihil ad hanc adjuvandam longiore ſpatio molituro. Hæc de humore non coctibili ex propria natura. Quid autem deliberabimus de humore, quem imbecilla facultas coquere nequit, quamvis coctioni aptus ſit? Avicenna [a] non cognoſcens, virtutem conſtaturam eſſe uſque ad maturitatem, non dubitat expurgare cruda; ſed ego dubito, niſi afferatur ratio tollens dubitationem. Si namque immaturos ſuccos agitare non oportet, facultatibus vigentibus, cur agitandi in earum infirmitate? Si timemus, ne turbetur coctio a medicamine præſtito robuſto ægrotanti, cur non idem timebimus, ſi detur imbecillo? Reſpondebis, cognita imbecillitate naturæ ad ſubigendam materiam nihil melius ſupereſſe, quam dubium remedium experiri, & iſtuc eſſe purgatorium. Hæc mihi tamen obſtat ratio, quominus id periculum adprobem. Si enim tentata purgatio acerbæ materiæ cum virium robore perniciosa, & coctionis turbatrix judicatur, cur anceps erit remedium cum debilitate? Diſſimilem rationem non invenio, niſi dicendo, purgationem poſt materiæ co-

ctio-

(a) *Lib. 1. Fen. 4. Doc. 5. cap. 5.*

ctionem optimam eſſe, minus bonam ante coctionem, ſed minime infenſam; quod tamen funditus evertit ſtabilitam cum Hippocrate purgandi legem. Et ſane Valleſius (a) etiam cognoſcens, non poſſe vires ad coctionem uſque materiæ permanere, adeo periculoſum cenſet experimentum purgationis ante coctionem, ut aſſeveret, ſe ſolum illud tentaturum, aliunde objecta certa futuræ mortis præſagitione.

Aliam, ut dictum eſt, præcepti exceptionem ſuppeditat ingens copia nocui ſucci, quam Manardus credit efficaciorem ad ſuadendam crudorum ejectionem turgente materia. Par eſt opinari, vix fieri poſſe, quin magna ſuccorum redundantia in venis contenta non ſit elata, ſupernatetque, ſicque reddat probabile tentamentum purgationis.

Fernelius (b) decernit in morbo ancipiti, gravique incipiente non utiliter ſolum, ſed neceſſario utendum eſſe purgante, neque prudentis eſſe Medici coctionem opperiri, quæ fortaſſe futura non eſt, impendente metu, ne graviora obtingant, morſque ſtatum præveniat, & ſperatam coctionem. Utile exiſtimo id documentum Fernelii, ſi tamen contractius ſumatur, definita ambiguitate, & gravitate morbi, non generatim accepta. Omnes morbos acutos periculoſos eſſe graveſque, aperte denunciat ſententia Hippocratis, omnium acutorum exitum incertum eſſe. Ergone in omnium initio inſtituenda purgatio eſt? Non ita ſane, ſed quia acutorum non æqualis pravitas eſt, & periculum, monitum Fernelii intelligendum eſt tantummodo de maxime periculoſis, multoque plura indicia timoris, quam ſpei præſeferentibus; in quibus anguſtiis, niſi ſuppeditantur certa, etiam dubia locum habent.

(a) *Sec. 1. Apho. Hip. 22.* (b) *Lib. 3. cap. 13*

bent. Verum cum apparent plura, & valde ominoſa ſigna, hæc ipſa ſignificant materiam coctioni repugnantem, occaſionemque purgationis periclitandæ.

Altera exceptio ſumitur ex humore in aliquam partem nobilem influente, revulſionemque exigente, ut accidit in inflammationibus, in quibus ex ſententia Hippocratis alias eſt principale remedium venæ inciſio, alias expurgatio, & iſta cum cacochymia prævalet multitudini, ſive plus habet virium ad nocendum ſanguinis receſſus a naturali temperatione, quam redundantia. Hanc medendi rationem tradit Senex in curatione Pleuritidis dolore infra ſeptum tranſverſum protenſo, nullam prorſus mentionem faciens de ſanguinis detractione; eamdem tradit in bilioſis temperaturis, ſi corripiantur non purgatæ eodem morbo; & præterea tradit in inflammationibus partium prompte vitioſos ſuccos recipientium, cujuſmodi eſt uterus in fœminis, quo phlegmonem patiente fere præfert alvi ſolutionem venæ punctioni. Dolor vero in Pleuritico deſcendens infra diaphragma argumento eſt Hippocrati propinandi cathartici, ex interpretatione Martiani, tanquam indicium magnæ cacochymiæ. Itaque inflammationibus excitatis in corporibus malis ſuccis refertis iccirco utiliter inſtituitur purgatio, propterea quod educendo cacochymiam e venis, revellit materiam eas foventem. Illud tamen mihi non convenit cum Hippocrate, in dictis inflammationibus purgandum eſſe, omittendam phlebotomiam, qui ſupra decrevi, a cacochymia non prohiberi venæ ſciſſuram ut revellentem. Materia inflammationum proxime ſcatet e venis; quæ mihi videtur expeditius revelli per venæ apertionem, quam expurgationem, quamvis fatear etiam per expurgationem revelli, nec in totum reprobem praxim Hippocratis. At mihi tutius videtur, curationem in-

inflammationum etiam in cacochymia venarum auſpicari revulſione facta per detractionem ſanguinis, quam expurgationem, hanc tamen non omittendo illa peracta: qua conſideratione primo quidem venam aperirem, ſed minus ſanguinis detraherem, ut alterius vacuationis revellentis opportunitatem relinquerem. At quare in inflammationibus incipientibus cum copia mali ſucci, nulla habetur ratio cruditatis ad expurgandum revulſionis nomine, habetur in ſolitariis febribus? Si expectatur coctio propter ſeparationem nocui humoris intermiſti ſanguini, & inde ſecuturam multo utiliorem evacuationem, cur non expectatur etiam in inflammationibus? Opinor in iſtarum generatione cacochymiam quaſi turgere, elatam eſſe, commotamque, ideoque facilius educi. Nec enim quæcunque cacochymia petit retrahentem dejectionem, ſed magna tantummodo, quam copia præſtat cathartico paratiorem, & præterea ipſa qualitas, quæ in acutis, de quo genere ſunt inflammationes, ſolet eſſe bilioſa, tenuiſque. Capivacceo alia ratione ſuſpecta eſt purgatio revellens humoris facientis impetum in aliquam partem, nempe quia pars affecta, uti perſuaſum habet, calore, & dolore irritata efficacior eſt ad trahendum humorem, quam purgans ad retrahendum; qua repugnantia ejus actio, utilitaſque impediuntur. Veruntamen quis vires medicamenti ad alvum ducentis, partiſque irritatæ contra nitentis, ita menſus eſt, ut affirmet, non eſſe victuras contrariam tractionem? Calor, & dolor trahunt ad locum inſuetum, repugnantemque legibus naturæ, medicamentum ad locum deſtinatum a natura ſuperfluitatibus: qua conditione loci cum ſtudio naturæ ad ſui cuſtodiam non temere ſperatur, efficaciorem futuram eſſe tractionem purgantis, quam irritamenti partis affectæ.

Poſtremum offendiculum exhibet craſſitudo evacuandi humoris exigens attenuationem, ſine qua purgatio ex conſilio Hippocratis rite non inſtituitur, imperantis, corpora purganda eſſe fluida efficienda, tum aperiendo meatus, ſi obſtructi ſint, tum humoribus fluorem comparando, ſi craſſitie impediti. Propinatum pharmacum ad craſſa, viſcoſaque inquinamenta propulſanda non omnino quidem fruſtra erit, non tamen tantæ utilitatis, quantam attuliſſet, illis inciſis attenuatiſque. Verum craſſitudo obſtans commodæ vacuationi ſolum cadere poteſt in humores extra venas, atque in cavitatibus contentos, non illos interjectos ſanguini, atque concoctos a natura, quos ſcilicet nequit coquere ſeparatura, niſi prius attenuaverit.

CAPUT VII.

De humoribus non coctibilibus, aut coctione non indigentibus.

STatuto ſuperius, humores invincibiles, & coctioni repugnantes initio morborum eſſe educendos, proximum eſt, ut hos producam, & occaſionem præcepti exequendi; de quibus etiam Sanctacrux egit, ſed non ſatis clare, & quantum Tironum captus requirit. Multiplices enumerat differentias humoris non coctibilis, & primam deſumit a copia humoris, quam prætermitto; cum redundantia non denotet naturam præciſe obſtantem coctioni, ſed tantum ex comparatione cum facultate: de qua deliberandum quid ſit, ſupra ſancitum eſt. Alteram differentiam refert ad humorem natura ſua rebellem, omnemque coctionem reſpuentem, cujuſmodi eſt atrabilis effectrix Cancri; humorque venenoſus, qui vel inſuperabilis

bilis eſt, vel tantum ſuperabilis ſpeciali modo, non coctione: quam differentiam humoris ipſa curatio febrium malignarum, & peſtilentium confirmat, contra quas antidotis pugnamus peculiari ſecretaque dote obſiſtentibus veneno. Tertia differentia ex Sanctacruce eſt humor ejus conditionis, ut licet aliquem gradum coctionis recipiat, tamen ita tarde ad perfectam adduci poteſt, ut prius æger ab accidentibus, morboque vita periclitetur. Quarta differentia reperitur in morbis minacibus, & pernicioſis, non toto genere ſalutaribus, ſic ab eodem auctore deſcripta. Humor quidem ſuperatur, coquiturque a noſtro calore, tamen vapores, qui elevantur in concoctione, partes principes maximo afficiunt periculo; cui credit, non poſſe ſubveniri repercutientibus, & revellentibus propter pravitatem humoris inhærentem nimium tenuibus particulis, aut craſſis. Verum hæ meditationes, loquendo de tertia, & quarta differentia, ſola fultæ imaginatione, & difficillimæ ad cognoſcendum, nihil conferunt ad praxim dirigendam. Quo enim indicio in morbo naſcente, dum agitur de purgatione imperanda, cognoſcere valeam, humorem poſſe quidem coqui, ſed nimis tarde; itemque ejus eſſe conditionis, ut licet concoquatur, tamen in concoctione tot effundat vapores, ut partes principes in magnum periculum adducat? Hiſce igitur imaginationibus relictis, inquirendum eſt, utrum tenues purgandi humores coctionem requirant, an tenuitas ſufficiat commodæ expurgationi: de quo video, multa plures Antiquos diſſeruiſſe. Nomine tenuis humoris duo valde diverſi comprehendi ſolent, ſolaque tenuitate convenientes, humor aquoſus, qualis eſt aqua ſtagnans in ventre hydropicorum, pariterque bilis flava, cauſſa tertianæ intermittentis exquiſitæ, vel continuæ. Ita Pacinus[a], aliique. Ergo credunt non

(a) *De incraſſ. tenuis humo. cap. 1.*

pauci aquoſos humores concoqui non poſſe, quod inſtar aquæ careant oppoſitis patibilibus, ſine quibus nulla materia idonea eſt coctioni. Etenim quæ concoquuntur, ut ajunt, craſſiora evadunt; & hanc craſſitudinem acquirere nequit aqua, tota vi caloris mutabilis in vaporem. Verum nolo diſtrahi in phyſicam diſputationem de natura coctionis, ſed aſſumens per eam ſeparari humorem ab aliis, cum quibus confundebatur, & hoc pacto parari ad excretionem, veſtigabo, an talis diſpoſitio requiratur in tenui humore, ut commode amandetur. In febribus ardentibus, aliiſque tertianis continuis acutis, quæ creduntur genitæ a bile tenui, cum natura prævalet, apparent in urina inditia coctionis, ſicut in aliis; atque in eiſdem febribus, uti tota Antiquitas obſervavit, ſpontaneæ vacuationes ſalutares ſunt, ſi poſt coctionem fiant, ſicuti in reliquis. Ex quibus concludo, etiam tenuem humorem, dum totum ſanguinem in tumultum agit, febremque accendit, concoqui oportere, atque ad evacuationem per coctionem expediri, ad fortunandam morbi ſolutionem per alvum, quinimo alios etiam per aditus. Identidem enim febres ardentes ſanguinis e naribus effluvio finiuntur, cui nihilominus præcedunt notæ coctionis in urina, uti contigit juveni triginta annorum, deſcripto a Petro Foreſto, (a) laboranti cauſo exquiſito, cui die 7 ſanguis e naribus copioſe fluens febrem confecit. At enim tenuis humor promte fluit, ſequiturque actionem purgantis? Cur igitur non eliciendus incipiente morbo? Quia, reſpondeo, confuſus eſt cum ſanguine, longeque melius detrahitur, cum a natura conante detractionem ſeparatur, quam ante ſeparationem. Quinimmo multorum ſententia eſt, commodæ expurgationi tenuitatem obeſſe, & iccirco opperiendam

(a) *Lib. 2. de feb. con.*

dam eſſe coctionem, per quam nimis tenuia aliquantum cogantur, eamque mediocritatem habitus, ſive conſiſtentiæ acquirant, qua facilius exturbantur; uti evenit in iis, quæ per tuſſim rejiciuntur, quibus expellendis nimia tenuitas obeſt, conducit aliquanta craſſitudo. Exiſtimo tamen, eſſe valde diverſam rationem de contentis in pulmone per aſperam arteriam explodendis, atque de contentis in venis per alvum excernendis: definitque Fernelius[a], humorem per coctionem præparari ad expulſionem, non per acquiſitam coctione tenuitatem, aut craſſitudinem, ſed quatenus ab aliis ſecernitur, ſecretumque natura ſtudet amandare. Si dicas, requiri mediocrem craſſitudinem, ut poſſit ſecludi, experientia non ſemper tibi favet, ſincereque teſtor, me nuper vidiſſe, in ſtatu tertianæ continuæ multum bilioſarum quiſquiliarum flaveſcentium inſtar aquæ tenuium utiliter ſeparatum dejectumque. Videmus, etiam in copioſis dejectionibus decretoriis non omnia dejecta unius eſſe conditionis, ſed alia aliquantum craſſa, alia tenuia, ideoque tenuitatem non obſiſtere vacuationi. Præter experientiam ipſa ratio tenuitatis luculenter arguit, nullum ineſſe tenuibus impedimentum ad expulſionem, ſi cetera conſpirent. Fit ſeparatio præcedens ejectionem vi motus inteſtini ſanguinis extrudentis in ſuperficiem ejicienda, quæ, ſi craſſa ſunt, difficilius extruduntur, priuſque attenuari oportet, quod fit opera naturæ.

Nonnulli iccirco tenues humores ſtatim evacuandos judicant, nullamque coctionem expectant, propterea quod abs tenuitate ſemper turgent, jactatique huc illucque transfluunt; tamen non probant, quemadmodum ſola tenuitas pariat in humoribus eam diſpoſitionem, quam Scholæ vocant turgentiam, cenſentque argumentum pur-

gatio-

(a Lib. 3. Meth. cap. 13.

gationis abſque coctione. Neque ſane ſola tenuitas reddere poteſt turgentem humorem, ſed requiritur certa ejuſdem quantitas, irritanſque qualitas; unde partes inſtigatæ ad excretionem pariunt motum humoris, quem vocamus turgentem. Bilis, quippe quæ, ut animadvertit doctiſſimus Fernelius, cum ſero ſanguinis confunditur, eique innatat, tenuis humor eſt, neque tamen cum affluit, accenditque febres bilioſas, abs ſua ſola tenuitate vim turgendi, & impetum habet. Quid multa? Celer motus febris acutæ bilioſæ continuæ non ne tenuitatem humoris teſtatur, itemque a ſola tenuitate eum non turgere? Si quidem frequentes ſunt eo de genere febres, neque tamen ſemper, aut frequenter cauſſa febrilis turgendi motum habet, generatim animadvertente Hippocrate, raro materiam eo motu jactari.

CAPUT VIII.

De humoribus motis ad ambitum corporis, & in eo ſubſiſtentibus.

HUmores converſi ad cutem, vel per eam excernuntur, vel in ea ſubſiſtentes varios morbos creant, Eryſipela, Variolas, Morbillos, Scabiem, idque genus alia. Expoſitis igitur impedimentis purgationis profectis abs qualitate infeſti humoris, proſequor objecta a motu ejuſdem ad externum corpus facto. Frequens eſt in morbis excretio ſudoris, & maxime in febribus, plureſque hac excretione, vel ſponte mota, vel artis opera curantur. Interdum tamen inutilis ſudor eſt, & a natura copia inſtigata abſque levamine provocatur, uti Senex[a] obſervavit:

(a) *Sect. 4. Aph. 52.*

vit: *Febricitanti ſudor ſuperveniens, ſi febris non ſolvatur, malum: prorogatur enim morboſus, multumque humorem ſignificat.* Quare, licet purgatio ducens humores ab extimo corpore ad intimum, poſſit interpellare ſudorem, tamen a copia materiæ fluens, non a conatu victricis naturæ eam non prohibet, imo poſtulat ad minuendam quantitatem, ſi reliqua conſentiant. Ubi enim adeo redundat humor, ut inopportune fundat ſudorem, vix fieri poteſt, quin adſit aliqua craſſior copia utiliter per alvum evacuanda. Cum autem ſalubriter ſudor erumpit, parcendum eſt purgantibus, ſi perfecte morbus judicatur, nec ulla ſubeſt portio craſſioris humoris, petens etiam dejectionem. Anno, antequam hæc ſcriberem, quidam Theologiæ Doctor annorum triginta circa finem æſtatis in ſtatu febris malignæ ſtigmaticæ incœpit large ſudare; cumque ex multo cibo, quo per ſanitatem uti ſolebat, aliiſque inditiis collegiſſem, non modicam portionem etiam craſſi humoris adeſſe, nec ſudoris eruptio plures dies perſeverans optatum commodum afferret, eum ſemel, iterumque, nec ſine fructu leniter purgavi. Intermittebat ſudor poſt purgationem unum, vel alterum diem, ſed ejus fomite non extincto revertebatur; tandemque utraque vacuatione reſtituta ſalus eſt. Hæc de humore, qui excernitur per cutem. Eum vero, qui eodem fertur, ibidemque retinetur, ad interiora trahendum non eſſe, ſed proximiore via vacuandum, tam apertum eſt, quam quæ continentur in inteſtinis, eſſe deturbanda. Non ideo in omnibus morbis cutis purgatione abſtinemus, imo artis eſt in pluribus non abſtinere. Abſtinemus erumpentibus Variolis, in quibus alvus ſuppreſſa, non laxa in pluribus proſpere ominatur. Purgamus in Eryſipelate, Scabie, aliiſque morbis externi corporis; evidenſque diſparis conſilii ratio animo obverſatur.

In

In Variolis totus humor infeſtus, cum prævalet natura, ſpeciali inſtinctu ad cutem permeat, in puſtulas elevatur, eademque via ſalutariter vacuari, tot ſæculorum obſervationes ſat comprobant; contra quas quis audeat, tam ſalubrem motum purgatione debilitare, aut pervertere? In filio meo undecim annorum menſe Februarii anni 1727 Variolas patiente, novem dies, quibus alvus aſtricta penitus fuerat, etiam a ſuppoſitorio temperavi, ne moverem, irritaremque, integre judicari, quæ videbam. Interdum tamen non ita feliciter procedit Variolarum curſus, ſed illis emerſis, & exareſcentibus puſtulis febris nihiloſecius intenditur; in quo ſtatu videtur, omnino non eſſe rejicienda ſaltem mitior expurgatio: quinimo Joannes Freind (a), cum quo faciunt alii plures Angli, ad purgationem tanquam ad præcipuum remedium confugit, eique maxime multorum vitam conſervatam adjudicat.

Sunt plures alii cutis affectus, in quibus totus humor illapſus non reſolvitur, ſicuti reſolvi ſolet in ſalutaribus Variolis, foveturque ab altero in venis concluſo, ſine cujus expurgatione non reducitur ſalus, quemadmodum accidit in Scabie pertinaci, aut in puſtulis gallicis externum corpus fœdantibus, quas ex Gonnorrhæa intempeſtive ſuppreſſa contractas memini, me feliciter curaſſe in quodam Rhedario Cremonæ ſola decoctione purgante Sennæ, & Epithimi abſque ulla inunctione. Porro poſtquam humor in cute coactus eſt, ſpiſſiorque redditus, abeſt periculum, ne per dejicientia ad interna transferatur. Cum autem humor tenuis eſt, calidusque, veluti in Eryſipelate partium exteriorum, videtur, timenda eſſe illius recurſio ad viſcera. Verum Galenus, aliique plures in Eryſipelate exquiſito, abdicata venæ ſectione, bilem excernunt, ſi tamen

(a) *Comm.* 7.

tamen egregie redundet; ex qua ubertate minime timent, ne ejus portio ad alvum deducta retrahat confluentem ad cutem, niſi purgatio vehemens ſit. Enim vero Ettmullerus, ubi caput Eryſipelas occupavit, purgationem quamcunque ſumme vitari jubet, & medelam confici internis ſudoriferis, cephaliciſque. Attamen oblatis notis bilioſæ redundantiæ, mihi non apparet, quare dejectione minuenda non ſit, præſertim ſi pars tentari incipiat, quam conſtat, non raro cum periculo tentari, cujuſmodi caput eſt. An omittemus purgationem opperituri coctionem materiæ, ut in ſolitariis febribus? Veruntamen bilis copioſa, & tenuis eſt, nec immerſa adhærenſque ſanguini, ſed elata, commota, tendenſque ad ſeparationem; quam propterea vel cathartico non forti licet ſperare commode evacuatum iri. Hippocrates, uti ſupra vidimus, incipientibus inflammationibus internis genitis ex ubertate cacochymiæ expurgat. Cur non erit expurgandum in Eryſipelate negotium exhibente abundantia bilioſa? Vergit quidem humor bilioſus in hoc morbo ad partes externas, quas præſtat affici, quam internas; ſed ſi faciem inſideat, non raro periculum creat ad internas effuſus; ideoque ſi copioſus eſt, videtur aperte indicari purgatio. Quinimo etiam ſine inſigni bilis copia ante paucos menſes blanda purgantia bis adhibui in Sene laborante Eryſipelate faciei, brevique liberavi. Hæc ſcribens accerſor ad Ancillam Nobilis Patavini vexatam Eryſipelate faciei, cui, licet nullum obſervaverim bilioſæ redundantiæ indicium, præbui unciam unam Caſſiæ cum granis 5 Diagridii, cum alvum per tres dies reſtrictam haberet. Multa dejecit, nihil tamen bilioſi ex colore præſeferentia; eamque proſpere vertit dejectio, ut poſt tres dies fere in totum morbus evanuerit. Tertio tantum die ægrotationis advocatus eam

conveni, & quarto pharmacum accepit. In hiſce tamen duobus ægrotis, nec valida febris erat, nec ullum infeſtum ſymptoma, præter capitis ingentis caloris ſenſum. Si tamen febris intenſior eſſet, cum delirio, aliiſque gravibus & formidoloſis ſymptomatis, eruntne purgandi Eryſipelate affecti? Joannes Freind[a] dolet, a ſcriptoribus nihil hactenus diſtinctum, exquiſitumque traditum eſſe, quantum attinet ad purgantia in medio febris impetu porrigenda. Ipſe igitur ita ſibi experimentis edoctus eſſe videtur, ut pronuntiet, in Capitis Eryſipelate, ſi quando cerebro tentato oboriatur Coma, delirium, nervorum diſtenſio, aut nullam ſubeſſe ſpem, aut purgantia maxime profectura. Procliviter annuerem Freind, ſi numeroſa exempla ſimilis curationis produxiſſet, non unam tantummodo, quod ſubjicio, preſſius tamen, quam deſcribitur ab auctore. Virgo admodum generoſa ſtirpe orta, prægreſſa febricula cum levi horrore incæpit tentari Eryſipelate faciei. Proximo die febris invaluit; nec facies modo, ſed circa aures atque collum cutis cum rubore turgebat; ſicque tumor proceſſit, ut die tertio ingentem in molem excreverit rubicundior factus. Sub noctem penitus delira evaſit. Omnia die quarto exaſperata ſunt, eodemque die Freind eam primo inviſit horis pomeridianis. Delirium erat cum febre vehemens; non nunquam quaſi veternoſa jacuit, ſubinde obortis nervorum diſtentionibus. Hora tertia pomeridiana præbitum eſt Catharticum ex decoct. Sen. Gerco. Tinctur. ſacr. cum vin. alb. & Syr. de Rhamno cathartic.; a quo cum nihil dejiceret, circa mediam noctem propinatæ ſunt unciæ duæ Tincturæ ſacræ. Quinto tamen die, alvo conſtricta permanente, ad meridiem aliud catharticum exhibitum fuit, non tamen meliore eventu; quod proinde mane primo repe-

(a) *In Epiſt. ad Richardum Mead.*

repetitum fuit. Perpauca dejectio ſecuta eſt, & parum attulit auxilii. Clyſter acer itidem fruſtra injectus. Die ſeptimo rebus in deterius ruentibus, iteratum fuit catharticum, cujus non exigua pars ex Scammonio conſtabat. Hinc alvo quinquies ſubducta ad ſe ſe rediit ægra, ſed immemor eorum, quæ ſex præteritis diebus acta erant. Tumor ſubſedit; febriſque ita deceſſit, ut eodem cathartico bis repetito priſtinæ prorſus ſanitati reſtitueretur. Hoc experimentum adeo potuit apud Freind, ut non dubitaverit affirmare contra timiditatem aliorum, oborto Eryſipelate capitis cum enarratis ſymptomatis, in medio febris impetu vel Scammonio purgandum eſſe. In hac tamen curatione, pace clari Viri, mihi magis arridet exitus, quam conſilium. Ut enim incipiente Eryſipelate capitis non dubitarem obire purgationem ad minuendam, retrahendamque materiam a capite; ita vehementer dubitarem vigente morbo, & febre intenſa, maxime, ſi illam vidiſſem, ſemel, iterumque fruſtra fuiſſe, uti contigit in deſcripta Virgine; atque aliquam febris remiſſionem melius ominantem de cathartico expectarem. Scamandro in Lariſſa, de quo memorat Hippocrates[(a)], ſecta eſt coxa in ſphacelum corrupta. Cœpit convelli die duodecimo poſt ſectionem. Infuſus eſt clyſter, exiitque parum veteris ſtercoris; deinde pharmacum bilioſum bibit, & ſuperbibit, & exiit quidem; nihil autem a potione juvatus eſt. Iterùm bibit pharmacum valde bilioſum, & veſpere occidente mortuus eſt. Multa, inquit Valleſius in conſideratione hujus hiſtoriæ, Medicus peccavit, primum quod convulſionem ex vulnere factam pharmaco forti curare tentavit, deinde quod cum tentaſſet, & nihil proficeret, neſcivit a purgatione deſiſtere.

(a) *Lib. 5. Epid.*

Res aliter cecidit Freind, qui pariter minime deterritus a purgante intra tres dies quater incaſſum tentato, quinto proſpere uſus eſt. An igitur hæc curatio debet ire in exemplum tanquam fulcimentum ſimilis morbi cũrandi? An in medio Eryſipelatis impetu cum intenſa febre fortis expurgatio peragenda erit? Mihi videtur, ex narratis valde dubitandum eſſe de ſimili medicatione exequenda. Ex quatuor vicibus, quibus præſtitum eſt purgans, tantummodo una vice perpauca dejecta ſunt, & cum exiguo levamine: quod apertiſſime arguit, materiam non fuiſſe expeditam ad excretionem, undecunque id fluxerit impedimentum, ſive ex contractione fibrarum obſiſtentium irritationi cathartici indicata a motibus convulſivis, ſive ex ipſa materia nondum reddita ſeparabili, ſive aliunde. Cum igitur Medicus debeat quam maxime cavere propinationem cathartici in irritum ceſſuri, & damnoſe, qua mente poterit imitari Freind quater deceptum in ejuſdem uſurpatione? At enim quinta vice ſeptimo die proſpere exhibitum fuit. Eſto. Caſus protexit anceps experimentum, effecitque, ut bene verteret, de cujus exitu valde ambigendum erat. Quid ergo? An non conſultius fuiſſet, evitare occaſionem toties incaſſum iterandi cathartici, quam incurrere? quam puto evitatam fuiſſe, ſi alia ratione curatum foret Eryſipelas, pluſque datum providentiæ naturæ, quam medicamentis. Quamquam enim illud caput invadens aliquando lethale eſt, ſæpius tamen vel ſine ingenti opera curatur: exiſtimoque, die ſeptimo, quo præſtitum fuit Virgini pharmacum, in melius omnia intrinſecus præparata fuiſſe; quandoquidem die ſexto miteſcere jam calor viſus erat. Dies ſeptimus morbi peracuti, qualis fuit illud Eryſipelas, terminus eſt, in quo propterea vel imminet mors, vel adeſt præparatio ad propinquam ſalutem.

Hæc

Hæc Tironibus, quibus ſcribo, ob oculos poſui, admonitos volens, utilia quidem eſſe experimenta in re medica, ſed æqualiter damnoſa, niſi ad veram rationem diligenter referantur; ſine qua, uti loquar cum Fernelio, tot experimentorum undis, & procellis demergimur.

Poſtremo, quantum attinet ad id, unde aliquantum digreſſus ſum, obſervandum eſt, perniciosam eſſe tractionem ab externis ad interna, quæ tracta intus relinquit, non evacuat; itemque eorum, quæ apte per alvum non expurgantur, cujuſmodi ſunt ſucci in variolas erupturi; vel a natura ſuperante morbum ex intimo corpore truduntur ad extimum, uti contingit in morbo regio ſalutari, de quo ſcripſit Hippocrates[a]. In febribus bilioſis ante ſeptimum diem morbus regius cum rigore accedens ſolvit. Excitatur rigor ab humore bilioſo a partibus internis, quas occupans febrem producebat, ad cutem commoto, & hac commotione moliente ſalutem, nullo propterea purgante, aut debilitanda, aut interrumpenda.

CAPUT IX.

De impedimentis inferna purgationis acceptis a morbis, & ſymptomatis.

EX doctrina, & ordine Priſcorum primum inquiro impedimenta profecta a morbis ſimilaribus, ſive intemperiebus copulatis cum aliis morbis purgationem exigentibus. Calidam ſiccamque intemperiem credit Sanctacrux, adverſari propinationi cathartici, quod nempe calidum, ſiccumque ſimiles qualitates auget, & præterea detractione humoris: quod tamen placitum ſine limitatione prolatum aper-

(a) *Lib. 4. Acut.*

aperte convincitur. Namque febres a pluribus intemperies calidæ ſiccæque creduntur; & tamen in multis præſente indicatione purgationis, hæc celebratur, eliguntur, que ad purgandum minus calida & ſicca, & deinde occurritur augmento caliditatis, & ſiccitatis impendenti a purgante, adjiciendo hauſtum ſeri lactis caprilli, vel decoctionis refrigerantis, & humectantis. Quid quod inflammationes internæ non ſolum ſua, ſed etiam febris acutæ inſeparabilis comitis caliditate reſiccant? & tamen Hippocrates in Pleuritide dolore deſcendente, aliiſque pluribus inflammationibus, uti vidimus cum Proſpero Martiano, purgationem injungit. Profecto in hectica ſolitaria, quæ creditur ab Antiquis intemperies calida & ſicca ſine materia, ex confeſſo reprobatur purgatio ob conſequentem corporis extenuationem; non tamen reprobatur, ſi cum ea copuletur febris putrida, vel alia affectio id auxilium flagitans; uti videre eſt in praxi clariſſimorum auctorum in ea copulatione ad mitiora purgantia confugientium. Eadem purgantium electione utendum eſt, in certarum partium extenuatione, earum ſcilicet, quæ circa umbilicum ſunt, infraque, uti monemur ab Hippocrate[a]: & admonitionis ratio eſt, quod earum partium gracilitas arguit debilitatem earumdem; quæ proinde nequeunt innoxie ferre vim fortis pharmaci, poſſunt tamen remiſſioris, quo uſus eſt Hippocrates obortis torminibus in tabido, quem, nil proficientibus clyſteribus, lacte aſinino cocto purgavit.

Præter extenuationem partium in ventre inferiore, alii ejuſdem morbi difficilem reddunt expurgationem, aut omnino vetant, cujuſmodi ſunt inflammationes ventriculi, atque inteſtinorum. Vulgatum tritumque eſt, non eſſe

(a) *Sect. 2. Aph. 35.*

eſſe ducendos humores ad partem affectam, ſi nequeunt per eamdem commode amandari: itemque manifeſtum eſt, phlegmonem patiente ventriculo, aut inteſtinis, non poſſe ſine noxa educi, quod eo trahit expurgans. Inflammatæ partes nequeunt ſe ſe perfecte contrahere ad expulſionem excrementorum, & ſine dolore notabili; accidit que, ut commota, & retenta excrementa morbum augeant. Sicut igitur inflammatis renibus, aut veſica, abſurdum eſt propinare, quæ cient urinam, auctura fluxum humorum ad locum inflammatum; pariter non minus incongruum eſt, porrigere purgantia in phlegmone ventriculi, atque inteſtinorum. Avicenna, Tamarindorum decoctum, aut Caſſiam ſero lactis diſſolutam præbet, nec ullum inde veretur detrimentum, ob eorum medicaminum facultatem, quæ laxando, & molliendo vacuat, non attrahendo. Mihi tamen tutius videtur conſilium Galeni [a], qui per initia earum inflammationum in totum purgantibus abſtinet, & ſolum mitiſſima porrigit, ubi phlegmone prorſus inclinaverit; cum præſertim repetiti clyſteres gerere poſſint vicem debilis purgantis abſque ejuſdem incommodo. Non ſolum autem præſente phlegmone in viis purgationis, proxime obnoxiis viribus pharmaci, ſed etiam in partibus vicinis, hepate, meſenterio, aliiſque cavendum eſt a purgatorio, maxime affectionis principio, quo ad contrarias partes concitanda eſt materia, non ad vexatas, nec cruda agitanda, ut eſt celeberrimum Senis decretum; quod Galenus [b] ſpecialiter interpretatur, & accommodat ad internas inflammationes.

Ab inflammationibus internis ventris inferioris tranſeo ad alios affectus ejuſdem partis interponentes purgationis offendicula; inter quas primum occurrunt vulnera, qui-

bus

[a] *Lib. 13. Meth. cap. 10.* [b] *Lib. 8. de Medic. ſecun. locos cap. 7.*

bus ob eamdem rationem noxia ſunt dejicientia ſaltem per initia, qua nocent inflammationibus; nimirum convocando humores ad partem, unde avertendi ſunt; idque obſervationes chirurgicæ confirmant. Fateor, in Dyſenteria humorem mordentem ulcerantemque per alvum medicamentis expurgari, ſic clariſſimis viris adprobantibus, Vallelio, Fernelio, aliiſque. Ut enim ait Fernelius, quod per anfractus parum idoneos ſenſim educebatur, per convenientiores affatim ope pharmaci educitur, nec hæret in parte, in quam ducitur, ſed præterlabitur, nec præterlabens offendit, ſi commoda qualitas medicamenti aſſumatur. Tollit igitur in Dyſenteria purgans cauſſam ulcerationis, atque ad partem ulceratam allicit, quod ad eamdem ſponte, ſed graviore offenſa lapſurum erat. In vulneribus vero extrinſecus inflictis egregie diſſimilis eſt ratio, quorum cauſſa non eſt humor abducendus per dejectionem, utilem in dyſenteria ad evacuandum ulcerantem humorem.

Inteſtinorum obſtructio a pituita craſſa, & tenaci, aut fecibus induratis retardat purgantis adminiſtrationem, ne undequaque attracti pravi humores ad ventrem, ibidemque retenti novas excitent turbas, priore incommodo non ablato. Prius igitur incidenda, attenuandaque craſſa ſunt, atque viſcoſa, indurataque mollienda, pariterque clyſteribus muniendа via, poſtea purgandum. Sed hæc præclara, extraque controverſiam. Penſitemus, an obſtructiones viſcerum, hepatis, lienis, meſenterii, & aliorum ejuſdem regionis inhibeant pharmaci adminiſtrationem: & inde quidem inhiberi fortia purgatoria, exiſtimo, ſi purgamina dejicienda fuſa ſint per venas. Corpora cum quis purgare voluerit, inquit Hippocrates, fluida facere oportet; & fluida facimus attenuando ſuccos, expediendo

vias,

vias, ut medicamentum ſe ſe feſtinanter quoquoverſum effundat, agitataque excrementa ad alvum traducat. Obſtructionibus igitur impedientibus velocem tranſitum medicaminis, humorumque ad alvum, boni ſucceſſus purgantium ſperari nequeunt, & præſertim in oppilatione jecoris; ex quo via patet ad inteſtina, & probabile eſt, etiam illac commotas quiſquilias depelli. Recte igitur hiſce obſtructis viſceribus lenia ſolum purgantia, quæque tantum ex vicinis partibus excrementa proliciunt, ſine irritatione læſarum, exhibentur. Video inſuper peculiari reſpectu ab Hippocrate [a] vetitum uſum purgantium in lienoſis, hoc eſt, lienem induratum diu patientibus; idemque præceptum confirmatum a Medicis antiquis, celebratis a Celſo, Galeno, Aetio, Plinio, qui univerſam curationem duri lienis diureticis perficiebant, extenuantibus, & emollientibus, prævijs, ut opinor, experimentis id ſuadentibus. Namque Martianus in Com. affirmat, ſe communi conſuetudine impulſum laborantibus pluribus inveterato lienis tumore validiorem purgationem adhibuiſſe, neminem tamen eſſe adjutum. Alias circumſpice partes inferioris ventris, aliaque purgationis obſtacula reperies. Uteri prolapſum curans Hippocrates [b] vetat alvi ſolutionem, & habetur pro certo, ſola præſente indicatione uteri in ſuam ſedem reſtituendi, alvum non eſſe ſolvendam. Controverſum tamen eſt, utrum conjuncta indicatione reſtituendi uteri cum altera expurgandi per inferiora, huic danda ſit opera. Sanctacrux nimium hac in re parcus, nulla facta diſtinctione, inter impedimenta purgationis uterum prolapſum enumerat. Contra Hieronymus Mercurialis, urgente indicatione purgationis infernæ validam quoque ſuadet, peractamque pilulis de Colocynthide, A-

Z gari-

(a) *Lib. 4. de Vic. rat. acut.* (b) *Lib. 2. de mor. Mulie. num. 38.*

garicoque; atque interpretatur, Hippocratem eamdem vetuiſſe, ubi adeſt ſola indicatio uteri reducendi. Antequam vero inter has opiniones dijudicem, adnoto, raro uterum vere procidere, & ſolummodo, uti placet Fernelio, ex vehementiore pariendi conatu, quo uterus fœtum, ſecundaſque excludens impetu conſequitur, ſeque invertens præcipitat. Plerumque igitur uteri prolapſus, uti vulgo appellatur, nihil eſt aliud, quam rugoſæ, internæque uteri vaginæ extenſio, laxatis rugis, vel alio humore repletis; quæ propterea non adverſatur inferæ purgationi, imo hanc petit ad evacuandum ſuperfuſum humorem, niſi adeſt opportunitas movendæ ſuperioris purgationis, vel alio modo tollendi ſuperflui. In utero vero prociduo ex vehementi partu declinanda purgantia deorſum ſunt, neque præbenda, niſi magna humorum copia appareret, alii vacuationi minime idonea, ſed eligenda mitia purgantia; quæ proſpere ceſſerunt Fabricio Hildano[(a)] curanti prolapſum uterum occaſione partus, & imperitæ obſtetricis. Fortius uteri prolapſione purgationi opponitur inteſtinorum deſcenſus in ſcrotum, vel inguina, ne repleta flatibus, vel excrementis, tumorem partium, in quas delapſa ſunt, adaugeant, inflammationem, mortemque acceſſant. Ut enim cum Celſo[(b)] loquar, purgans aliquid ducere in ſcrotum poteſt, educere ex eo non poteſt. Similiter exitu inteſtini recti difficillimam reddi purgationem, in aperto eſt, vexando partem affectam, egreſſumque urgendo.

Ad ventrem inferiorem quoque attinent morbi in viis urinæ, quorum aliqui purgantia ſaltem calida & acria recuſant. Hiſce ulceratis, aut ardorem patientibus, ſi præbeas calida & acria, vides inde morbum nova irri-

ta-

(a) *Centur. 4. Obſervat. 60.* (b) *Lib. 7. cap. 20.*

tatione auctum iri, nec ullum commodum vacuatione expectari poſſe, quod ſuperet timendam noxam. Quamvis enim alvum moventia huc perducunt, derivantque ad meatus urinæ labentia, tamen non totum derivant, ſed pars aliqua ſuccorum, & ipſius purgantis ad partem afflictam permeat; uti declaratur ex colore urinæ poſt certa purgantia aſſumpta.

Inquirente Sanctacruce, utrum morſus canis rabidi ſinat, nec ne expurgari, de hoc quoque Tironibus meam expono cum Dioſcoride ſententiam, promerito graviſſimorum auctorum aſſenſum, Pauli, Aetii, Actuarii, aliorumque, qui pro curatione demorſi a cane rabido, poſtquam omnia obita ſunt circa partem demorſam, ad extrahendum, compeſcendumque venenum purgationem imperat: tantum abeſt, a morſu impediri, ſi ab alio aſſociato morbo flagitatur.

Symptoma, nec indicare curationem, nec immutare, pervulgatum eſt apud veteris doctrinæ ſtudioſos, niſi vim cauſſæ adipiſcitur, aut morbum augentis, aut vires atterentis. Propoſitis igitur impedimentis purgationis objectis a cauſſa morborum, ipſiſque morbis, ut ſumma capita complectar, reliquum eſt, ut penſitem, quæ ab ſymptomatis impendent, omiſſis pertinentibus ad ſignificationem ſymptomatis, quæ intempeſtive Sanctacrucem morata ſunt, ut pote ad hunc locum minime ſpectantia. Sufficit, revocare in memoriam Tironibus, tria eſſe ſymptomata in Scholis vulgata, actionis offenſam, mutationem excretorum, vel retentorum, & qualitatem mutatam, atque ex hiſce tribus duo tantum, nimirum actionem læſam, excretaque, vel retenta alterata poſſe ita increſcere, ut vel morbum deteriorem reddant, aut vires delumbent, invertantque curationis ordinem. Nam-

que aliud genus ſymptomatum in qualitate mutata, cujuſ-modi eſt mutatio coloris, eo pervenire non ſolet, ut in cauſſam morboſam evadat. Hippocrates non uno in loco varia enumerat ſymptomata reluctantia purgationi, quorum præcipua ponderabo, initio facto a delirio, in quo Cous[a] purgationem interdicit cum valida febri conjuncto, non in aliis, quibus Anticyra nutrit validiſſimum purgans. Itaque ſi delirus, & vehementer febricitans agitetur, vigilet, renuat cibum aſſumere, habes, cur delirium purgationem prohibeat, ſcilicet inde viribus detritis. Has vero non labefactans delirium, ſolum ut ſignum purgationem interdicere poteſt, ſi putemus, indicare magnam turbationem humorum, majoremque futuram a præſtito purgante; vel cum Veteribus opinemur, a ſimplici calida ſiccaque intemperie progenerari. Delirium enim per ſe non prohibet expurgans; & Avicenna, aliique graviſſimi Auctores in Phrenitide a copia bilis revellentem in principio purgationem inſtituunt. Quin etiam in delirio ſupervenientc febribus acutis nonnulli mitia purgantia ex intervallis propinant, ut vacuent materiam bilioſam, perſuaſi, leni purgatione coctionem interturbatum non iri. Mihi multo tutius videtur negotium repetitis clyſteribus tranſigere, operamque præcipuam impendere morbo principali, nimirum febri delirationis effectrici. Etenim ſermo eſt de delirio genito in acutis febribus per conſenſum totius corporis, in quibus ſolum facta concoctione rite peragitur purgatio, nihil ipſa natura moliente. Sequitur id delirium vices febris, nec aliam ab ipſa febre curationem requirit, niſi vires proſternat, aut pertinacibus vigiliis, aut vehementibus motionibus; quibus non alia ratione melius ſubvenitur, quam alliciendo ſomnum. Adde in deliran-

tibus.

(a) *Lib. 1. Prædic.*

tibus cum febre acuta, uti notat Heredia, in ægritudine uxoris Dealcis ab Hippocrate in Epid. deſcripta, ſenſum adeo obtuſum eſſe propter imaginationem variis ſpectris affixam, ut ſæpe magnos dolores non ſentiant, minus proinde ſenſuri irritamentum levium purgantium, reddito non ſolum inutili, ſed etiam noxio tentamine per eadem facto. Quod ſi in deliro appareat oculus ferox, clauſuſque, in medio poſitum eſt, abſtinendum eſſe purgantibus, indicante clauſi oculi ferocia convulſionem ab ſiccitate omnem vacuationem reſpuente: abs qua multo magis cavebis, ſi delirus cibum averſetur, & recuſet accipere: cujus abſtinentia, non ſolum in mente motis, ſed in omnibus ægrotantibus purgationis impedimentum eſſe poteſt, ſi longioris temporis eſt.

Nigra vomentes, ait Hippocrates, purgandi non ſunt; videlicet infera purgatione, quam ſemper intelligit Auctor, ſimpliciter nominans purgationem. Vomitus nigri ſucci, ſive atræ bilis alibi pernicioſus a Sene pronunciatur tanquam indicium pravi humoris tam copioſe in corpore congeſti, uti vomitum inſtiget; tametſi bonum eſt, acervatum expelli. Unde ſequitur, hanc expulſionem interturbandam non eſſe dejiciente, quod ferocem humorem agitaret, ab inchoata via deflecteret, neque ſecundum indigentiam evacuaret, quippe difficulter medicamento cedentem.

Duo inter alia ſymptomata Senex conſtituit, purgationi repugnare, quæ ſumo ad expendendum, dejectionem crudorum, vehementemque dolorem. Duo ſunt affectus, in quibus cruda dejiciuntur, alter Lienteria vocatus, alter Cœliaca affectio, ſola magnitudine, ſive ratione majoris, & minoris differentes; ſi ſpectentur excreta; quæ, ſi omnino cruda ſint, & immutata Lienteriam creant, relatam

ad

ad actionem abolitam ; ſi tantum imperfecte cocta, Cœliacam affectionem pariunt affectum immutatæ actionis. Hæ tamen affectiones ratione partis affectæ, & cauſſæ aliquando notabiliter differunt, diverſamque medicationem exigunt. Exiſtimant enim multi, Lienteriæ effectricem eſſe imbecillitatem ventriculi, qui nequit retinere ingeſta alimenta, donec coquantur, ſed ſinit elabi immutata. Hæc eadem imbecillitas, ſi minor eſt, neque tam cito permittat exitum ingeſtorum, parere Cœliacam affectionem apta eſt, neque penitus cruda, neque probe cocta dimittendo alimenta. Enim vero ejuſdem affectionis diverſam cauſſam non pauci aſſignant, nimirum tenacem materiam adhærentem inteſtinis circum oſtia vaſorum lacteorum, ingreſſumque chyli impedientem: ex qua procul dubio generatur affectus cruditatis ratione quadantenus ſimilis lienteriæ, ſed diſſimilis ob partem affectam, cauſſamque effectricem. Quid igitur erit determinandum in hiſce affectionibus, in quibus cruda egeruntur, de purgatione? Quorum alvi, inquit Hippocr.(a), inteſtinorum lævitate laborant, hos hyeme per ſuperna purgare malum. Ex qua ſententia plures curationem Lienteriæ a purgantibus per inferiora auſpicantur; atque Riverius præbet medicamentum compoſitum ex Aloe, Rheobarbaro, & Mirobalanis. Alii contra cum Alexandro Maſſaria a patientibus Lienteriam, vel Cœliacam paſſionem omne genus purgantium arcent. Verum niſi diſcernitur cauſſa, quidquid univerſe deliberetur, univerſe verum eſſe nequit. Genitus affectus, in quo cruda excernuntur, ſi pendet a laxitate, & emollitione fibrarum ventriculi ſine materia in cavitate contenta, quam Priſci vocabant imbecillitatem facultatis retentricis, videtur ſatis aperte petere conſtringen-

(a) *Sec. 4. Aph.* 12.

gentia, & roborantia, rejicere purgantia illis oppoſita. Eodem tamen affectu orto ex materia pituitoſa, uti plures autumant, implente, & obducente rugas ventriculi, ſicque inhibente amplexum, & retentionem ingeſtorum, fruſtra tentabitur medela, niſi vomitione, aut dejectione cauſſa auferatur. Item materia tenax adhærens inteſtinis, obſtruenſque oſtia vaſorum lacteorum prius incidenda attenuandaque, poſtea paulatim expurganda eſt. Interdum etiam largior crudorum egeſtio contingit, non proprio vitio ventriculi, aut inteſtinorum, ſed humore a toto corpore ad eas partes traducto; quem tantum abeſt obſtare purgationi, ut hanc ſæpe eo reſpectu poſcat, quo docuit Hippocrates, vomitum vomitu ſolvi. Nimirum identidem expedit, humorem unico die evacuari, qui paulatim, & longo tempore fluens magis partes debilitat, & animalem Æconomiam perturbat; idque multo magis expediret, ſi humor malignus pareret Diarrhœam alios humores corrumpendo, ut animadvertit Heredia[(a)] in Hiſtoria Apollonii, qui poſt decimum quartum diem incæpit egerere excrementa pravæ conditionis, quaſi haberet intus venenum omnia corrumpens. Hac occaſione decernit, alvi fluxionibus in febribus acutis factis nullum eſſe præſtantius auxilium purgatione feſtine ſuccum corruptorem auferente, dummodo eligatur catharticum, quod pariter vim habeat roborandi.

Alterum Symptoma poſitum ab Hippocrate inter purgationis offendicula eſt dolor vehemens, antequam mitigari incipiat, idque monitum pluries inculcatum ab Hippocrate, maxime commendat Proſper Martianus,[(b)] doletque, cum magna Ægrotorum calamitate a pluribus non obſervari. Enim vero Valleſius citatum textum non Hip-

(a) *Lib. 3. Epid.* (b) *Lib. 4. Acut.*

Hippocrati, ſed alteri minus exacto auctori attribuit: quod licet concederem, excipiendum nihilominus puto conſilium de omittenda purgatione in vehementia doloris ante aliquam mitigationem. Profecto Hippocrates purgationem ſuadet in dolore pleuritico deſcendente; atque in aphoriſmis (a) ait, dolores, ſupra ſeptum tranſverſum, qui purgatione egent, curandos eſſe ſuperna vacuatione, infra vero inferiore: quæ tamen præcepta non pugnant cum altero vetante expurgationem, antequam dolor aliquantum minuatur. In quocunque cruciatu excitato a materia purgationi expoſita, ea procul dubio executioni mandanda eſt, ſed ea animadverſione adhibita, ut in vehementi prius ſtudeamus vehementiam temperare, in minus intenſo ſtatim purgemus, ſi cetera conſentiant. Non inaniter timet Martianus, ne propter doloris vehementiam commoti a purgante humores, nec depulſi in locum afflictum confluant, huc convocati a doloris acerbitate cum periculo inflammationis; cujus arcendæ gratia ſolet ſanguis effundi. Omnes dolores, vel intentione ſuperat Colicus, vel omnibus æqualis eſt; in cujus curatione Galenus (b) executus juſſum Hippocratis non auſus eſt cogitare de purgatione, donec mitigatio opportunitatem tulerit; idemque alii plures in eadem affectione obſervant, prius anodynis, quam purgantibus utentes. Scio eſſe peculiarem rationem de colico, quippe affligente partem, ad quam agitati humores decurrunt. Ceterum etiam in aliis partibus dire vexatis eamdem methodum adhibendam cenſeo, priuſque levamentum pœnarum quærendum, quam tentandam per pharmacum dejectionem: vidique nuper in fœmina vehementer dolente ab oculo puncto Aloes aculeo, plus valuiſſe granum unum Laudani repen-

(a) *Sec. 4. Aph. 18.* (b) *Lib. 12. Meth. cap. 7.*

nepentes ad leniendum dolorem, quam ſanguinis miſſionem, & purgationem. Itaque ſæpe in vehementiſſimis doloribus ſtatim ad ſoporifera confugi, & poſtea de aliis remediis cogitavi. Fœmina ſexaginta quinque circiter annor. torquebatur dolore femorum, tergi, & brachiorum, ut neque in lecto ſe ſe movere, nec ſurgere poſſet, vitamque, ut ſibi videbatur, diem unum protrahere. Exhibui ſtatim uncias tres aquæ flor. Papav. Rheados cum gut. octo Laudani liquidi, tanta utilitate, ut circa mediam noctem ſe ſe cum indolentia moverit, e lecto ſurrexerit ad corpus exonerandum, nec aliis remediis indiguerit. Attamen res non ſemper tam proſpere cadit, nec in omni magno dolore mulcimentum aliquod ab ſoporiferis petendum eſt, ut in dolore lateris, quem Hippocrates prius fomentis lenire ſtuduit. Pariter ſunt quædam remedia, quæ indicata ad tollendam cauſſam ingentis doloris, non requirunt, ut præcedat lenimen, ſicuti eſt venæ ſectio, de qua propterea non eſt locutus Hippocrates, ſed tantum de purgatione. Quid plura adjiciam ad comprobandam Senis deliberationem? Fatentur omnes, interdum eſſe negligendam cauſſæ demolitionem, ut attenti ſimus ſymptomati: quod ſi in alicuius ſymptomatis vehementia obſervandum eſt, certe in acerbiſſimo dolore, valde vires proſternente cum ſyncopes periculo.

CAPUT X.

De Vomitu, ejuſque indicante.

MUltum habet diverſi purgatio ſuperior ab inferiore propter viarum diverſitatem, motuſque diverſos partium irritatarum opera purgantis: eoque & ordinis perſpicui-

ſpicuitati, & majori Tironum commodo ſtudens, ſeparatim de utriuſque indicantibus, & impedientibus tractandum judicavi. Quæ antequam expono, quæſtionem dirimam, an vomitus ſit excretio naturalis; quam agitans Valleſius, poſtquam multa collegit Galeni[a] dicta utrique parti faventia, concludit neutram evinci poſſe. Hic, me judice, quæſtionis exitus eſt. Si nomine naturalis excretionis intelligitur, quæ neceſſario fit, atque pro inſtituto naturæ, hoc reſpectu vomitum naturalem non eſſe, inde liquet, quod aliqui toto vitæ curriculo nunquam vomunt, plures rariſſime. Hac præterea ratione naturalis non eſt, quod inſtigatur ſtimulo præter naturam, nimirum vel a medicamento, vel pravo aliquo cibo, aut nimii corruptione, aut alius vitioſi ſucci in ventriculum illapſi irritamento; fitque inſuper cum aliqua ſemper moleſtia, modo graviore, modo leviore. Demum vomitum naturalem non dices, ſi conſideres motum ventriculi vomentis, quo ejus fundus contrahitur orificium ſiniſtrum verſus, opponi ejuſdem naturali motui, quo pylorum verſus contrahitur chylo confecto. Eſt tamen vomitio in eo ſenſu naturalis, quod natura habet inſtrumenta illius efficiendæ, ſcilicet fibras carneas, viaſque apertas; nec inde ullus ſequitur morbus, niſi ſit admodum vehemens, quinimmo, ſive ſponte, ſive arte tempeſtive mota ſæpe plura in nos commoda redundant.

Vomitus alius ſpontaneus eſt, alius petitus, qui nihil eſt aliud, niſi humorum qualitate peccantium ſurſum facta excretio per conatum, & impetum ventriculi irritati a medicamento vomitorio. Enim vero Franciſcus Bayle de facultate nutritiva cenſet, a ventriculo vomente nullum edi conatum, vomitumque cieri ope muſculorum abdominis,

(a) *Lib. 5. contra. cap. 1.*

nis, & conſtrictionis diaphragmatis. Ecce quemadmodum id probet. Si cani detur ſublimatum corroſivum cum cibo, ſtatim atque veneno pungitur ventriculus, ingeſtus cibus vomitione rejicitur. Quo tempore ſi aperiatur abdomen, ceſſat vomitus, mox rediturus, ſi partes abdominis ſejunctæ conſuantur. Veruntamen id experimentum evincit, in vomitu eſſe neceſſariam actionem, & compreſſionem muſculorum abdominis, non tamen nullum eſſe conatum in ventriculo vomente; a quo ſcilicet ſurſum acto ipſi muſculi abdominis irritati ejus motum adjuvant, & ſecuntur. Cum enim ſublimatum proxime non mordeat, & pungat muſculos abdominis, ſed ipſum ventriculum, extra dubitationem eſt, induci eum motum in muſculos a ventriculo laceſſito. Quo tamen pacto communicabitur hæc irritatio muſculis niſi per motum fundi ventriculi ad ſuperiora? At enim aperto abdomine deſinit vomitio, iterum clauſo revertitur. Eſto. Quid inde ſequitur? Nil aliud ſane, niſi ſolum ventriculum, neque muſculis abdominis contectum, & adjutum in vomitum non adduci. Ex quo vides, non probari ventriculum vomentem in ſtatu naturali omni conatu carere, niſi de nomine litigetur. Interdum per ſpuitionem redundantem humorem, vel ob immoderatum potum, vel aliam cauſſam ventriculus excernit, uti obſervavit Fernelius, & ſæpe unicuique obſervare licet: quæ tamen excretio differt a vomitu, ut pote facta ſine conatu, motuque ventriculi ad ſuperiora. Vomitus ſpontaneus eſt, qui ſine ullius medicaminis ope provocatur, fitque eodem ventriculi motu; totumque diſcrimen inter ſpontaneum vomitum, & arte factum eſt, quod alter ſine medicamento fit, alter medicamento, cujus potiſſima qualitas ſcrutanda eſt. Nonnunquam vomitionem cient etiam dejicientia acquiſita ex ac-

cidenti hac virtute: cujus acquirendæ cauſſæ multiplices ſunt, variæque, nimirum imbecillus ventriculus, vel pharmaci averſatione agitatus, vel ſuccorum copia laceſſitus, vel commotæ colluvionis egreſſus a duriore fece præpeditus, vel portio purgantis arctius adhærens, & inſuperabilis ventriculo. Quia tamen hæc vomitionis incitamenta extrinſeca ſunt, & fortuita, non attinent ad medicamentum vomitorium; cujus vis intrinſeca eſt, neque pendet ab externis. Hanc vim intrinſecam inſtigandi vomitus Antiqui non pauci referunt ad ſpecificam, occultamque qualitatem humores ſurſum agendi, & iſtam ad ſimilitudinem, familiaritatemque inter particulas medicinæ, humoriſque ejiciendi, qualem etiam purgantibus inferne affixerunt. Utraque vero iiſdem difficultatibus exponitur, imo fortioribus vis vomitoria, qua vehemente impetu jactatus ventriculus, quam dejiciente obvium quemque humorem, expeditioremque, non particularem propulſat. Quis credat, in vehementi vomitionis niſu, paratos ſuccos, quia diſſimiles vomitorio retineri, alios aſſimiles proturbari? Itaque nulla poteſt eſſe ratio probabilis deligendi potius hoc, quam aliud vomitorium, præter benigniorem naturam, majorem, vel minorem efficaciam; debiliorem requirentibus ſuccis tenuibus, nec a remotis partibus proliciendis, ſed in ventriculo concluſis; validiorem craſſioribus ſuccis, trahendiſque ab aliis præter ventriculum partibus. In quo ergo conſiſtit facultas vomitorii, & quare potius vomitum, quam alvum movet? Vis pungens irritanſque haud dubie incitatrix eſt vomitionis; uti ſimilis cauſſa eſt dejectionis; ſed dejiciens a ventriculo cito delapſum ad inteſtina ibidem impetum facit, pellitque commota ad alvum. Diutius igitur remanens in ventriculo vomitorium, cum ſubigi ne-

nequeat, uſque adeo extimulat fibras, donec cum aliis contentis, tanquam quid exoticum, & invincibile extrudatur. Hinc evenit, ut quædam vomitoria per ſeceſſum purgent, ſi cito a pondere deorſum traducantur, cujuſmodi eſt pilula perpetua ex regulo antimonii, quæ ſuo pondere cito decurrens ad inteſtina copioſe movet alvum, non vomitum: Porro inter partes ventriculi a vomitorio magis inſtinctas opinari licet, orificium ſiniſtrum eſſe valde exquiſiti ſenſus, inſtigationique magis obnoxium; quod primum imminentem vomitum perſentit; recteque Lemerius facultatem Antimonii ad vomitionem tribuit parti ſulphureæ ſal acidum orificium ſiniſtrum verſus extollenti. Credo enim, pharmaco vomitorio quiddam peculiare ineſſe ejus actionem dirigens ad os ventriculi, ſicuti Cantharidibus ineſt ad veſicam; quæ vel remotis partibus admotæ ſuos aculeos in eam jaciunt. Idem autem affirmat Dioſcorides, accidere a veratro albo, quod vel plantis pedum, aut ventri appoſitum, aut inditum ano in formam ſuppoſitorii irritamentum vomitorium ad ſtomachum tranſmittit. Illud porro intereſt inter vomitorium, & dejectorium, quod tametſi utrumque partes vellicet, pungatque, magis vomitorium irritatione, quam ſolutione, & fermentatione ſuccorum opus ſuum abſolvit, dejiciens magis diſſolvit, fermentatque. Hæc locus exigebat, ut præfarer de qualitate vomitorii, cujus hiſtoriam, operandique modum perinde deſcribit VVilliſius, ac ſi omnia exquiſitiſſimo microſcopio vidiſſet, aut naturæ operibus præſideret.

Indicans ſupernæ vacuationis idem eſt, atque infernæ, & utraque in eoſdem fines celebratur, videlicet ad expellendos ſuccos qualitate peccantes, in eo ſignificatu ſumpta qualitate, quo expoſita ſuperius eſt agendo de alvi ſolu-

tio-

tione. Profecto utilis eſt etiam vomitus ad deplendum ventriculum nimia quantitate ciborum preſſum, ſed iſte finis primarius artis non eſt, ideoque minime in ejus definitione incluſus. Utraque purgatio generalis eſt: & quamvis vomitio maxime faciat ad educendam illuviem ventriculi, deinde partium conterminarum, evellendamque materiam ipſis membranis adhærentem; tamen totum corpus evacuare poteſt, & ſuperfluitatem late vaſa occupantem. Quinimmo Martianus cum Hippocrate ſentit, aptiorem viam ad totum corpus expurgandum eſſe ventriculum, qui, ut ait Hippocrates[a] omnibus partibus dat, & ab omnibus accipit. Multiplex pariter remedium eſt vomitus, uti dejectio, evacuans, revellens, derivanſque. Surſum adactis per eum humoribus, partes inferiores exercentibus, conditionem habet revellentis, conſiderataque partium propinquitate, in quibus ſtagnant, derivantis. Quamquam autem utriuſque vacuationis ſuperæ, & inferæ indicans eſt humor vitioſus inhabilis nutritioni, & correctioni, modo tamen vomitionem, modo dejectionem molitur, ſuaſi ex quibuſdam proprietatibus, & accidentibus viam vacuationis commodiorem deſignantibus. Alii ſucci facilius per ſuperiora amandantur, eo fluere ſua levitate parati, qualis bilioſus eſt, juſſu Hippocratis[b], per os expurgandus. Alii procliviores ſunt ad inferiora, adjuvante gravitate deſcenſum, & talem cenſuit idem auctor[c] ſuccum melancholicum, ex ejus præcepto per alvum evacuandum. Ut igitur vomitum deliberes ex qualitate humoris, reſpicias oportet ad notas multiplices, quibus docearis, eumdem prompte ad ſuperiora accurſurum eſſe, & præcipue reſpicias ad corporis habitum,

in-

(a) *Lib. 1. de Diæta.* (b) *Sect. 4. Aph. 6.*
(c) *Sect. 4. Aphor. 9.*

etinique tempus. Graciles apti ſunt ad vomitum ob affluentiam humoris bilioſi, dummodo ſint natura graciles, non ex morbo, quibus, uti monet Celſus(a), vomitus inutilis eſt; & inſuper gracilitati conjuncta ſit vaſorum amplitudo, hac conjunctione teſtante bilis redundantiam, & proclivitatem ad ſuperiorem vacuationem. Ob eamdem rationem Cous æſtate vomitionem commendat, nimirum hac tempeſtate congerente bilis copiam ad eum exitum propenſam. At enim hyberno tempore idem auctor ad depurgandam pituitam utitur vomitorio, non dejiciente, neque timet craſſitudinem humoris, neque tempus oppoſitum æſtivo, quo vomitionem ſuadet. Ita quidem; ſed inde redargui nequit Senex, quaſi foret ſui oblitus. Ad vomitionem hortatur calor æſtivus indicando ubertatem ſucci eum conatum facile ſecuturi; hyemale frigus denotando, pituitam hoc tempore cumulari ſolitam; quæ licet, utpote craſſa per alvum commodius detrudatur, tamen ſi continetur in ſolo ventriculo, opportunitate loci melius per os excernitur. Hinc noſces, cur Senex ſalubrem diætam conſtituens jubeat vomitionem ad exportandam pituitam, in aphoriſmis alvi ſolutionem. Tradens diætam reſpexit Senex ad pituitam in ſolo ventriculo acervatam, alio loco ad ejuſdem in toto corpore redundantiam. Itaque etſi natura ponderoſi humoris in ſolo ventriculo collecti ad alvum inclinat, tamen loci commoditas ad rejectionem Hippocrati argumento eſt ad hanc imperandam. Tandem finis multiplex, ob quem purgatio celebratur, potius vomitum, quam alvum provocandam eſſe oſtendit. Si enim inducto animo evacuandi, ablatio ſimul, & revulſio a partibus inferioribus propoſitæ ſint, profecto revulſionis ratione vomitus concitan-

(a) *Lib. 1. cap. 3.*

tandus eſt cæteris conſentientibus; idemque concitandus ex occaſione moliendi derivantem vacuationem humorum partes ſuperiores affligentium: in quarum morbis Senex ſemper ad vomitionem confugit.

CAPUT XI.

Utrum vomitio, an dejectio ſit præſtantior evacuatio.

SI Chryſippum, Eraſiſtratum, Cælium Aurelianum, alioſque Methodicos conſulimus, vomitio adeo præſtat purgationi per inferiora, ut omnem tollat comparationem, ſolaque retinenda ſit vomitio, rejecta dejectione tanquam inutili, & damnoſa. Attamen Hippocratis, Galenique doctrinæ addicti, & utramque vacuationem admittentes recte inter eas vacuationes comparationem inſtituunt, quo clarius utriuſque effecta, & utilitates pateſiant, rectior uſus obtineatur. Commendant multi inferiorem purgationem, præferuntque ſuperiori, tanquam faciliorem, naturæque conſuetudini accommodatiorem. Nullum ajunt reperiri, qui pluries in vitæ excurſu alvi fluxum ſpontaneum paſſus ſit, aliquos tamen, qui nunquam, vel rariſſime vomuerunt: præterea inteſtina eſſe ignobiliora ventriculo, imo ſentinam totius corporis, pluraque, & ampliora vaſa eis interſeri, quam ventriculo, eo commotas ſordes deductura. Hæ tamen rationes minime perculerunt Fernelium[a], qui vomitionem omnium purgationum præſtantiſſimam deprædicat, ſi facilis & moderata obtingat; quippe quæ noxios humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit, & vacuat, eoſque, quos ple-

(a) *Lib. 3. Meth. cap. 3.*

plerumque nec Hyera, nec aliud vehementiſſimum dejiciens etiam repetitum in alvum detrudere poteſt. Meo judicio in hac controverſia ita habendum eſt. Dejectio magis eſt e natura vomitione, minus moleſta, & impetu facta leviore: cumque immoderata contingit, ſolet eſſe minus periculoſa, & jactatione minus incommoda immoderata vomitione. Diverſo tamen modo ad diverſos morbos ſe ſe habet utraque vacuatio. Morbi ſede ventriculum occupante, pancreas, & meſenterium, aliaſque conterminas partes, vomitorium noxiam materiam cominus adoritur, citiuſque expugnat, ejuſdem vicina latibula conatu ventriculi fortiter contrahente, incluſaque exprimente. Ad hæc multo imbecilliora ſunt ſubducentia, ut mirum non ſit, tot morbos ſæpius iteratis dejicientibus invictos unica vomitione ſubactos fuiſſe: aſſeveratque Galenus [a], in tertianis nothis inveteratis præſentaneum remedium vomitum eſſe; multoſque noviſſe, quibus ea febris inveteraverat, ſtatim poſt vomitiones liberatos: cujus eventus cauſſam habent in promptu, qui cum Fernelio earum febrium fomitem in deſignatis locis collocant. Ergo circa viſcera imi ventris vis vomitorii potiſſimum occupatur, hiſque expurgandis præcellit. Neque tamen inficias ivero, etiam remotiores partes, univerſumque corpus eodem adminiculo vacuari; quod, uti vidimus, Proſper Martianus fultus doctrina Hippocratis judicat præſtantius ad totum corpus depurgandum alvi ſolutione. Quo Martiano conceſſo, excipiendi tamen ſunt quidam morbi, & in primis febres putridæ continuæ, in quibus humor effector febris immiſtus eſt ſanguini, ſoletque ſalutari naturæ impulſu per ſedem, non os amandari. Cum igitur natura victrix proculdubio congruentiore via hoſtem extermi-

 net,

(a) *Lib. 1. ad Glauc.*

net, eamdem & Medicus terat oportet, ſimilem cauſſam ablaturus. Nec ſane Galenus ab ea receſſit, qui curans febres putridas ſynochas jubet putrida, & corrupta excerni alvo mota, aut urina, aut ſudore, nec unquam vomitum permittit, niſi quando humores ad os ventriculi ſponte feruntur; & Avicenna(a) in eandem ſententiam hæc habet: *Et febrem quidem habentis ventrem ſolvere melius eſt, quam facere, ut vomat*. Veruntamen plures auctores exteri febrium malignarum curationem inchoant a vomitorio, nec imbecillo: imo ex ſententia Proſperi Martiani(b), videtur vomitorium in febribus anteferendum eſſe dejicienti, aſſerentis, ab illo minus inhiberi coctiones, criſes, aliaſque ſolutiones morborum, opus ſuum conficiente irritatione, & concuſſione ventriculi, non exotica qualitate per ſanguinem late fuſa, & turbatrice; qua purgans per inferiora imbuitur. Revera, ſi in principio univerſali febrium, materia cruda exiſtente, purgandum eſſet, ob indicatas a Martiano rationes rectius adhiberetur vomitorium, quam dejiciens, contraque in decurſu febris, cum materia eſt concocta, inciditque occaſio purgationis, hæc per inferiora peragenda eſt, non ſuperiora; naturaque hanc viam oſtendit ſubactum humorem febrilem per alvum exturbare conſueta: quod obſervans Hippocrates(c) ait, concocta purgari oportere per alvum, redundantia per vomitum; imo etiam reprobat ſpontaneas concoctorum vomitiones: quo monemur multo magis eſſe cavendas violenter provocatas. Concocta ſunt in poteſtate naturæ; quæ quando ſuo jure agit, pellit excrementa ad inteſtina, tanquam ad publicam corporis ſentinam: atque hæc conſuetudo naturæ firmo argumento atteſt, commodiorem viam concocti expurgandi ventrem eſſe, niſi ulla per cauſſam

ratio

(a) *Lib. 1. Fen. 4. Doc. 5. c. 5.* (b) *Lib. 4. Acut.* (c) *Lib. de Humor.*

ratio ſuppeteret. Per vomitum autem natura rariſſime febrem ſolvit: atque ex omnibus ægrotis relatis ab Hippocrate[a] tantum mulier trimeſtri fœtu gravida die 14. poſt vomitionem biliosſam flavam, & copioſam febre liberata eſt, non tamen hac ſola vacuatione, ſed pariter oborto ſudore. Obſervabile porro minus eſt, a natura initam eſſe viam inſolitam expellendæ materiæ in gravida muliere conſueta, per illud tempus pati rejectiones: quam materiem a natura fuiſſe ſubactam, cenſeo ob expulſionem factam die decimo quarto, & conſecutam ſalutem. Illud tamen explicandum remanet circa expoſitum documentum, quod indubium eſt, multas febres a bile fieri, & uti viſum eſt Hippocrati, nullas ſine bile; idemque auctor docet, bilem ob proclivitatem ad ſuperiora, per eadem extrudendam eſſe. Cur igitur in tertianis continuis productis a bile interjecta ſanguini hæc per ſupernam regionem exigenda non erit? Autumo, Hippocratem univerſim præcepiſſe purgationem bilis per ſuperiora præſervationis gratia: & licet in aliquibus morbis eadem purgatio conveniat, & utiliſſima ſit, ea tamen in multis occurrunt, quibus accommodatior infera merito exiſtimatur. Quare Galenus[b] in tertianis exquiſitis a flava bile accenſis vomitione duntaxat utitur, ſi bilis ſponte ſurſum fertur; generatimque decernit, eam melius educi per alvum, quam per urinam, & ſudorem; obſervatque præterea, bilem in juſtis tertianis impulſu ſuo deorſum labi. Ex quibus habes, quomodo circumſcribenda ſit Hippocratis præceptio de purgandis gracilibus, & biliosis per ſuperas partes. Vvilliſius[c] quadam peculiari dote Priſcis ignota vomitum commendat, quæ ſine examine prætereunda non

Bb 2 eſt.

(a) *Lib. 1. & 3. de mor. popu.* (b) *Lib. 1. ad Glauc.*
(c) *Sect. 3. cap. 1. de Vomit.*

eſt. Credit, vomitione humoris nervoſi ſuperfluitates, aut ſtagnationes eximi, & inde curari Arthridem, Aſthma, Epilepſiam, Maniam, & alios pleroſque morbos magnos, herculeoſque. Duo igitur continet opinio Vvilliſii, & morbos illos magnos curari, & iccirco curari, quia vomitus elicit ſuperflua humoris nervoſi, aut ſtagnantia. Quod attinet ad morbos herculeos enumeratos vomitu curabiles, nemo ignorat, quam difficulter ſubigantur etiam repetitis vomitoriis: de quo extra locum eſt diſputare. Utrum vero curati ſubactique attribuendi ſint vomitionis operæ deſcriptæ a Vvilliſio, affirmare non auſim, animadvertens, incertum admodum eſſe, an per nervos fluat ſuccus ille ſpiritibus animalibus craſſior ab Anglis excogitatus, non probatus; neque poſſe certo ſtatui, cujus excrementi depulſione ſanitas contigerit, quæque germana morbi cauſſa fuerit. Illud interim extra dubitationem poſitum eſt, plures morbos ab impuritatibus foveri inhærentibus viſceribus imæ cavitatis, quibus vomitorio extruſis, natura, quod reliquum eſt, perficit. Quocirca Fernelius eiſdem morbis, quibus Vvilliſius, vomitum deſtinat, opinatus, eos ortos eſſe ex impuris ſuccis e præcordiis in omne corpus effuſis.

Poſtremo loco adnotare ſuccurrit, generatim ſuperam purgationem oppido commodiorem eſſe inferiore ad cuſtodiendam ſanitatem, arcendoſque morbos, uti toti Antiquitati viſum eſt: ex cujus conſenſu exemploque monet Fuchſius, omnes qui recte valere, & ſeneſcere cupiunt, ne prorſus vomitum negligant. Revera Hippocrates[a] præcipit ſiccioribus temperaturis, ut in ſingulos menſes bis vomant, ter humidioribus: conſtatque Majores, adeo vomitoriis aſſueviſſe, ut etiam fortiora, poſteriſque ad-

mo-

(a) *Lib. 3. de Diata num. 3.*

modum formidata facile perferrent, nec ſolum valetudinis cauſſa ſumerent, ſed acuendæ mentis, teſtante Plinio (a), Carneadem helleborum album accepiſſe libris Zenonis reſponſurum. Quinimo ex ſententia Antiquitatis vomitio ita opportuna eſt præcavendis morbis, ut Hippocrates, ſicuti obſervat Proſper Martianus, ob hunc finem eam ſemper imperaverit, nunquam dejectionem. Hinc apparet, quantum ab Hippocratis praxi recedant Neoterici, qui verno tempore medicationes ad præſervandum inſtituentes ſaltem in noſtris regionibus nunquam, aut rariſſime vomitum provocant; ut mirum non ſit, plurimas in irritum cedere, aliquas etiam nocere. Exotici ſucci futuri morborum cauſſæ, qui ſolent in primis viis acervari, adhærentque membranis, vomitorium petunt adhærentes avulſurum, non potionem, uti ajunt, angelicam cito præterlabentem, creduloſque magnæ vacuationis ſpecie fallentem, longeque diverſam opere ab impoſito nomine. Quandoquidem igitur plurimorum morborum fons, & origo eſt in prima regione, quæ promte egregieque ſuperna purgatione abſtergitur, ad tutanda corpora ab eorum incurſibus Cous vomitionem prætulit dejectioni.

CAPUT XII.

De impedimentis Vomitionis.

IN exponendis impedimentis vomitionis ſuperflua fugiens, fruſtraque repetita, tantum de iis agam, quæ peculiariter attingunt viam, per quam efferuntur excrementa, relictis, quæ generatim opponuntur vacuationi,

jam

(a) *Lib. 2. cap. 5.*

jam expoſita tractando de inferiore ; ideoque cuncta ſub uno capite comprehendam , ordine tamen non mutato. Itaque ſi concitandus vomitus eſt ita morbo poſcente , ex arte concitabitur , primum inter res naturales reſpiciendo ad conformationem , habitumque ægroti : ex quibus Hippocrates [a] argumentum capit prohibendi vomitus in mediocriter carnoſis, pinguibus , cum venarum anguſtia, inde ſumens inditium craſſi , & pituitoſi humoris totius corporis promtius ad infera lapſuri. Enim vero id præceptum, meo arbitratu , pertinet ad vomitum præſervationis gratia , non curationis uſurpatum : atque iccirco ex habitu in morbis non deterrerer a vomitu ciendo, quem aliunde utilem cognoſcerem , niſi adderetur magna vomendi difficultas. An non fieri poteſt, ut indicatus habitus incurrat in morbum ab ubertate pituitæ in ventriculo cumulatæ? in quo ſi quis vomitum inſtigaret , certe obſervaret Hippocratis legem paulo ante expoſitam. Multo vomitus ſuſpectior eſt in ægrotis , quibus ex natura gracilis eſt , & oblonga cervix , preſſum anguſtumque pectus , ut a tergo in morem alarum promineant ſcoptulæ, unde alati dicuntur: in quibus timendum eſt, ne vomitus concuſſione rumpat in pulmonibus venam, expleatque funeſtum omen ex corporis conformatione, ſi difficilis contingat. Item Avicenna vomitum arcet ab iis , quibus non eſt facilis reſpiratio, vel apta gula eſt ad contrahenda apoſtemata , ne adducat humores partem verſus conſuetam vexari ; ſed mitia , & rara vomitoria noxam , quam timet Avicenna , non incutient.

In habitu quoque pleniore , & ſanguine redundante obnoxio vaſorum ruptioni in vehementi contentione vomitionis , hæc multo tutius ſanguine per phlebotomiam prius

(a) *Sec. 4, Aph. 7.*

prius depletis vaſis tentatur, quam turgentibus.

Senectus vomitionibus incommodat, pituitoſis frigidiſque purgamentis affluens facilius deſcenſuris, quam aſcenſuris; & præterea propter duritiem, & ſiccitatem membranarum ventriculi, aliarumque partium contractioni obluctantem. Oppoſita ratione pueri multo humidiores ſenibus ad vomitionem paratiores ſunt, & apparatum exhibet frequens vomitus non ſolum in recens natis, ſed etiam, uti obſervat Hippocrates, [a] in aliquanto majoribus. Multa cruda congerunt in ventriculo voraces pueri, rectius per os, quam per alvum elicienda, attenta viæ opportunitate, & ad vomitum propenſione: leniora tamen vomitoria adhibenda ſunt, quando acriora poſſent teneras membranas, nervoſque in convulſionem agere per eam ætatem non difficilem excitatu.

Avicenna prægnantibus vomitum interdicit, veritus, ne labore vomendi æſtuantibus inhibeatur evacuatio agitatarum ſordium: quod præceptum interpretor tantum de forti vomitorio. Si enim prægnans laboraret ventriculo impuritatibus affluente, nec ſponte vomeret, ut frequenter ſolent utero gerentes, non dubitarem mite vomitorium offerre, ſine vehementi concuſſione proximam, & paratam materiam duntaxat commovente, commotamque efferente; cujuſmodi eſt radix Raphani domeſtici, vel Peponis, teſte Fernelio, neque puero, neque ſeni, neque prægnanti gravis, vel Electuarium diaſarum ab ipſo deſcriptum illis corporibus ſimiliter tutum. Ac ſane cum prægnantes vomitus ſpontaneos frequenter patiantur ſine propria, fœtuſque offenſa, cur erit formidanda propinatio lenis vomitorii ab aliquo affectu poſtulati? Imo etiam mediocre non videtur formidandum, animadvertente

(a) *Sect. 3. Aphor. 24.* (b) *Lib. 1. Fen. 4. Doc. 5. cap. 11.*

tente Proſpero Martiano [a], plurimos utero gerentes quotidianis vomitibus ita ſollicitari, ut cibum aſſumptum raro contineant, priventurque convenienti alimento, & nihilominus inde nondum ſecutum eſſe abortum.

In rebus etiam non naturalibus eadem fere vomitionis, atque dejectionis oſtendicula interveniunt, ſi excipias frigiditatem hyemalem, effluxumque menſtruorum. Hyberna frigiditas, Hippocratis monitu, vomitui obſiſtit, ſi mens eſt, non ſolum ventriculum, ſed totum corpus evacuare craſſis purgaminibus redundans, quibus ea tempeſtate ſcatere ſolet, aſcenſui repugnantibus: quæ tamen admonitio Hippocratis, ut etiam ſupra adnotatum eſt, potius dirigitur ad præcautionem, quam curationem. Lunaris purgatio ea ratione de vomitu movendo dubitationem ingerit, quod ſurſum humores inde trahuntur, menſtruo motu deorſum tendentes. Verum data neceſſitate vomitorii in menſtruali muliere propter inquinamenta in ventriculo acervata, forti abſtinerem, non mediocri. Cum enim illud, uti vidimus ex Proſpero Martiano, non exotica fermentatione ſanguinis, & turbatione, ſed irritatione, & concuſſione ventriculi in actionem erumpat, ſedato vomendi conatu, nihil poſt ſe relinquit intercepturum fluxum inchoatum.

Percurſis brevi impedimentis vomitus exhibitis a rebus naturalibus, & non naturalibus, plura dicenda remanent de objectis ab rebus præter naturam, quæ tamen ipſa preſſius quam potero, proponam. Motus humoris ad cutem, ſive per eamdem facta excretio, uti vidimus, non leve obſtaculum eſt purgationis infernæ; idque nunc inquiro de ſuperna. Gliſſonius [b] affirmat, vomitu humores a centro corporis cutem verſus propelli, hujus obſtructiones potentiſſime

(a) *In Com. ſect. 5. Apho. 34. Hip.* (b) *De Facult. excret. cap. 24.*

tiſſime aperiri, Variolarum eruptionem urgeri, totumque corpus ad ſudorem præparari: contra quæ mihi non levem ſcrupulum non nulla incutiunt. Perſeverante vomitu, exploſis ventriculi inquinamentis, ipſum tandem corporis habitum conſecutione ſuccorum expurgari cum Hippocrate ſancitum eſt; qui ſane non expurgaretur, niſi humores fuſi per corporis ambitum interiora verſus moverentur. Cum igitur eodem tempore fieri nequeant motus contrarii, quo tempore alliciuntur ſucci ad intimum corpus a vomitu, iidem non poterunt propelli ad cutem; uti apertiſſimum eſt. Itaque, ſi tempore vomitus, ſudor erumpit, trahunturque ſucci ad ventriculum a venis, in diverſa materia diverſi motus concitentur oportet, & ita fieri utramque vacuationem. Nempe, dum irritatæ, contractæque membranæ ventriculi ad ſe ſe adducunt ſuccos vaſorum; ſimiliter contractis, & conſtrictis cutis glandulis, vaſiſque proximis, aquoſum, quod paratum ineſt, exprimitur, abitque in ſudorem. Interdum etiam imminentem vomitum præcedit largus ſudor, ut in me ipſo expertus ſum, provocatus ex commotione humoris mox rejiciendi, & peculiari modo afficientis ſtomachum. Sentiebam quandam afflictionem ventriculi cum nauſea potius languoris, quam doloris ſimilem; eodemque tempore ſudor copioſus manabat, mox ſequebatur vomitus, quo ſedato, inanitoque ventriculo, ſudor ceſſabat. Itaque proprie vomitio, dum fit, non propellit humores a centro corporis ad ambitum, ſed extra pellit humores, qui circum cutem ſunt propter indicatam contractionem, validumque totius corporis conatum. Quocirca in excretionibus ad cutem ſalutariter prodeuntibus, ſucciſque ab intimo corpore ad extimum delatis, tutius exiſtimo, prætermittere vomitoria, niſi magna cauſſa adhibendorum

ſubeſſet. Quod ſi Sydenhamus in *Variolis* confluxuris poſt iċtam venam forte vomitorium propinat, id ſane non præbet in Variolis regularibus, diſtinċtiſque futuris; neque præbet in confluxuris ad earum eruptionem promovendam, ſed extrudendam inſolentiorem materiam ægritudinis, ejuſque depulſione recreandum ægrotum.

Pluribus in morbis coċtionem humoris per alvum eliminandi cum Hippocrate requiri, decretum eſt; & cum eodem non requiri, ſancit Proſper Martianus ad materiam per vomitum excernendam, ſiquidem per coċtionem denſior, & gravior reddita, amiſſoque fervore, motuque evadit proclivior ad deſcenſum, quam aſcenſum; quod documentum in hunc ſenſum fleċto. Si per vomitum eſſet elicienda materia admiſta ſanguini indigens ſeparatione, proculdubio beneficium coċtionis præſtolari oporteret, per quam ad ſeparationem præparatur. Non ſolemus tamen vomitum incitare ad exigendum humorem, opportunitatem coċtionis requirentem; uti conſtat ex medicatione febrium, in quibus vacuanda materia petens coċtionem per inferiora purgatur, non ſuperiora, ſicuti ſupra explicatum fuit.

Quemadmodum quidam morbi vomitu feliciter expugnantur, item alii aſperantur, eidemque repugnant; inter quos primo capitis morbi recenſentur. Concutit caput vomitio, & ſurſum humores agit, partemque affeċtam verſus; itaque in vehementiore videmus, rubere faciem, oculoſque, & caput tendi. Cum igitur a parte affeċta abducendi ſint humores, non illuc adducendi, ab Aetio, aliiſque pluribus vomitus damnatur in Epilepſia, in capitis doloribus, in oculorum omnibus affeċtionibus. Adhibenda tamen eſt diſtinċtio, ſine qua graves auċtores videntur, inter ſe ſe vehementer diſſentire; nec ſcienter

decer-

decerni poteſt, pro qua parte ſtandum ſit. Namque Proſper Martianus, commentans hanc ſententiam Hippocratis: *Si ſuperna partes turgeant, quæ circa caput, ulcerum purgatio vomitus, aqua*; carpit Medicos formidantes vomitum in morbis capitis, quem admodum conducibilem deprædicat, & Hippocraticæ praxi conſentaneum. Contra Valleſius in ejuſdem dicti explicatione, poſtquam adnotavit, ſolere Hippocratem vomitum vocare omnem purgationem, ſubjungit purgationem ſupernam in morbis capitis magna conſideratione indigere, & raro poſſe inſigni noxa carere. Quo pacto igitur tolletur hoc diſſidium? Quo indice innoteſcet, utrum vomitio ſit profutura, an nocitura in morbis capitis? Originem attende, & diligenter ſcrutare, unde morbus ortum acceperit. Si enim partium inferiorum, ſive præcordiorum ſympathia genitus ſit, effuſa in reliquum corpus impuritate, conſtitue cum ſcientiſſimo Fernelio(a), vomitum opitulari Hemicraniæ, Vertigini, Incubo, Epilepſiæ, Suffoſioni, ceteriſque morbis capitis ex inferioribus originem nactis; iiſdemque morbis non opitulari, ſi vitio principali capitis exorti ſint. Inter morbos, qui capiti adſcribuntur, tremor nervorum eſt, uti vocatur a Celſo(b), qui ejuſdem auctoris ſententia vomitu intenditur; ſi tamen, ut ego interpretor, frequens ſit. Cum enim ventriculus pluribus propaginibus nervorum cum reliquis communicantium ſpargatur, ejus concuſſio frequens jam infirmos nervos magis debilitat, augetque tremorem.

Quamquam Platerus, Sennertus, Horſtius, aliique plures, quos enumerat Bohnius, (c)obſervaverunt per vomitoria, & rejectionem adjuvari expulſionem excrementorum e pectore, & pulmonibus, his tamen ſolutionem

(a) *Lib. 3. Meth. cap. 2.* (b) *Lib. 3. Cap. 27.* (c) *Sect. 4. Apho. 8.*

continui patientibus vomitum incommodum eſſe, docet Hippocrates[a] vetans, quo minus tabidi unquam ad ſuperas purgationes perducantur. Tabes, quam Græci Phthiſim vocant, omnem extenuationem comprehendit, ſive ſit totius corporis, ſive unius duntaxat partis: atque univerſalis varias ſpecies, & ab variis cauſſis ſubortas idem auctor deſcribit. Potiſſimum tamen appellatur tabes, quæ producitur ab pulmonibus ulceratis, indicaturque in aphoriſmo, majori obnoxia incremento ex concuſſione vomitionis, apta ad ulcus amplificandum, vas aliud diffringendum, mortemque accelerandam. Ac quidem, ſi vomitus arcendus eſt a præparatis ad tabem, ulcerationemque pulmonum, quanto magis ab iſtam patientibus? Verum enim vero Proſper Martianus[b] propugnans praxim Hippocratis[c] in tabe pulmonum ex Aphtis orta porrigentis vomitoria, ab hiſce temperandum eſſe decernit in præparatis ad tabem, hiſce utendum in tabidis, hac diſpari ratione perſuaſus. Patientes tabem aſſueti ſunt concuſſioni pulmonum, propter tuſſim ſolitam vehementer tabidos exagitare; præterea habent venas pulmonum ſupra modum inanitas: in quibus proinde metuenda non eſt concuſſio a vomitu, quaſi ruptura foret venas; timenda tamen eſt in pronis natura ad tabem, quos inanitio venarum non tutatur a ruptura. Quamvis autem hæc ratio Martiani præſeferat aliquam ſimilitudinem veri; tamen non uni patet difficultati, & certe paucos ad eam praxim hortata fuit. Etenim agitatio pulmonum, cui ex tuſſi aſſueti ſunt tabidi, non impedit, quo minus ejus vaſa debilitentur, nec tollit periculum majoris ruptionis, accedente concuſſione vomitionis. Ictus vel longo tempore repetiti vim ſuam non amittunt, neque minorem exerunt

(a) *Sect. 4. Apho. 8.* (b) *Ibid.* (c) *Lib. 2. de Mor.*

runt in partem percuſſam, iſtaque ex ictuum repetitione debilior evadit ad reſiſtendum, non validior propter majorem extenuationem membranarum a motu violento iterato. Inanitio vaſorum aſſignata a Martiano pro defenſione a ruptura in vomitu, hanc ne efficaciam habebit? Exiſtimo quidem, exinanita vaſa difficilius rumpi, quam plena, ſi quaſſentur, non ideo eſſe tuta a ruptione ampliore, quæ jam rupta ſunt, tuſſi addito vomitionis impulſu: quo ſolo plures dies iterato vidi menſe Februarii anni 1734 in Sene ſeptuaginta trium annorum, temperamenti bilioſi, & ſanguinei excitatum copioſum ſputum ſanguineum, quod nunquam antea paſſus fuerat. Utcunque igitur conatur Martianus tollere repugnantiam inter Hippocratem prohibentem in aphoriſmis vomitionem in tabidis, & curantem vomitorio tabem ex Aphtis, ſive fervidis ulceribus pulmonis, ſtat difficultas interpretationis, & ratio contra vomitoria in tabidis adminiſtranda.

Imbecillitas ventriculi, quæcunque ſit, ſive ſimilaris, ſive organica omnium ſuffragiis fortia vomitoria non patitur, quibus vehementer concuſſus magis infirmatur, apparaturque ad novas impuritates recipiendas, ſolitas ad partem infirmam promptius accurrere. Ex eadem infirmitate ventriculi Aetius [a] purgationem ſuperiorem in animi deliquiis damnat ob magnum conſenſum inter utramque partem, & veretur, ne languor ventriculi adauctus vomendi niſu, ſit occaſio graviori deliquii. Enim vero nollem, Tirones inde colligerent, dum æger animi defectu jacet, quocunque modo non licere vomitum provitare. Aſſentior Aetio, non eſſe frequenter, & fortiter perducendos ad vomitum animo debiliores, & facile defecturos, ne inde labefactato ore ventriculi, quod alterum quaſi

(a) *Serm. 3. cap. 119.*

quaſi cor eſt, eodemque nomine ab Antiquitate donatum; inde cor ipſum graviorem noxam contrahat. Ceterum approbandus Galenus eſt, qui generatim ſubvenit acceſſionibus Syncopes provocatione vomitionis, in gulam immiſſo digito, vel pluma; quæ irritatio, vel nullum movet vomitum, & tamen egregie facit ad excitandum ægrotantem, vel ſi movet, vehemens motio non eſt, & ſolum accidit in facile vomentibus, humorumque proclivitate ad ſuperiora. Quinimo ſi conjicerem Syncopem a pravis humoribus ventriculum obſidentibus produci, cum Galeno confugerem ad mite vomitorium, cujuſmodi eſt hydrelæum, vel oleum ſincerum; & ſubinde ſi foret opus, adhiberem irritamentum digiti, vel plumæ. Idem Aetius[a] in uteri ſtrangulatu vomitum rejicit abſque ulla diſtinctione, ſine qua nutat præceptum. Non inficias eo, in uteri ſtrangulatione genita ab vitioſo ſucco in eodem congeſto ſummam medicationis circa uterum verſari debere, nec eſſe ciendum vomitum; ſi crederemus cum Antiquis uterum in ea affectione aſcendere, vomituque magis aſcenſurum. Veruntamen, quia non uno eodemque modo ingruit affectio, neque ab una eademque cauſſa, neque uterus aſcendit, uti notant recentiores Anatomici, opinor, vomitum in eo affectu ſæpe non inutilem futurum eſſe; atque in primis, ſi mulier cibo gravaretur, aut impuro humore occupante ventriculum; itemque ſi cum uteri ſuffocatione Syncope conjungeretur: ad cujus citam reſolutionem non dubitarem lenem vomitionem uſurpare, uti dictum eſt de ſola Syncope. Non nunquam enim uteri ſtrangulatui forte deliquium animi aſſociatur, indicatum a magna pulſus debilitate, aut interceptione, pariterque reſpirationis. Interdum cor affectionis expers eſt,

(a) *Serm. 16. cap. 60.*

eſt, ægra tantum vehementius reſpirat, aliæque operationes ſalvæ remanent.

Quoniam ad uteri morbos deſcendi, veſtigabo, utrum inter offendicula vomitionis ſit recenſendus uteri prolapſus; de quo diſſentiunt, diſcordantque auctores. Hippocrates, cui Sanctacrux, aliique plures ſubſcribunt, ſperat, vomitione omnia viſcera inferiora ſurſum cum ventriculo movente partem prociduam reductum iri. Ex oppoſito Riverius, aliique in utero prolapſo vomitoria prorſus interdicunt, ne vomendi contentio magis uterum extrudat, cauſati, conſtare experientia, nullo præſidio partum difficilem promptius extrudi, quam vomitu: quem item Angelus Sala in triumpho emeticorum ad fœtum mortuum excludendum Mercurio vitæ provocat. Id litigium ſolutionem habet ex ſuperioribus, ubi adnotatum eſt, quid intelligendum ſit, nomine uteri procidentiæ, vulgariter dictæ: ex quibus liquet, curationem uteri delapſi perficiendam eſſe remediis humores vaginæ rugas implentes, extendenteſque reſolventibus: quibus abſumptis vagina naturalem contractionem recuperat, & ſitum. Quocirca, ſi alter morbus exigeret vomitionem, utero, modo prædicto, procidente, non dubitarem movere, neque inde metuerem majorem conſecuturum prolapſum; quem ſcilicet non rupta, aut laxata ligamenta efficiunt, ſed imbibiti vaginæ humores. Quinimo etiam in vera uteri procidentia non formidarem mite vomitorium ab Hippocrate propinatum, decoctionem lentis cum melle, & aceto; ſimilemque animadverſionem eſſe, judico in deſcenſu inteſtinorum ad inguina, vel ſcrotum, ſi alia de cauſſa vomitus expoſceretur.

DE

DE
REGIMINE
MAGNORUM AUXILIORUM
In Curationibus Morborum
DISSERTATIO TERTIA.

CAPUT PRIMUM.

De Sudore, ejuſque cauſſis, & viis.

AGens de impedimentis magnorum auxiliorum Sanctacrux nullam mentionem fecit de ſudore: quem tamen inter univerſales; magnique momenti vacuationes recenſendum cenſeo, ſi pluribus diebus conjunctim provocetur; uti ſolet in aliquibus morbis difficillimis ad extirpandum. Cur enim inter magna remedia collocandum non erit, quod ingentes efficit in corporibus mutationes, graveſque aliquos morbos profligat, vel repetitis purgationibus invincibiles, a Majoribus inter magna præſidia recenſis? Hac tamen occaſione aliqua dicenda occurrent etiam de ſudore non pluries, acervatimque ducto, nec præſeferente ſpeciem magni remedii. Sudor alius ſponte fit, vel motus a natura ſibi conſulente depulſione ſuperflui, vel a morbo corpus diſſolvente. Alius artificio propellitur, iſque ſemper calore, quem proinde auctorem ſudoris, de quo locuturus ſum, conſtituo, ſuum opus conficientem, cutis ſpiramenta reſe-

reſerando, liquando ſuccos, diffundendo, magiſque impellendo. Argumento eſt, quod erupturo ſudore, inflatur cutis, tumentque vaſa, non alia ſane de cauſſa, niſi propter rarefactos a calore ſuccos, commotoſque. Interdum a frigidis cauſſis ſudor evocari videtur, ſicuti experitur, qui tempore æſtivo exæſtuans, ſe ſe multa frigida ingurgitat, moxque large ſudat. Verum potio aquæ frigidæ non viribus ſuis, ſed acquiſitis ex accidenti ſudoris cauſſa eſt; quoniam inde refrigeratis viſceribus, quod per cutem inviſibile diſcutiebatur, in ſudorem cogitur, effluitque. Quiddam ſimile, animadvertente Hippocrate[a], incidit illis, qui donec ſub ſole ambulant, nihil ſudoris effundunt; multum, cum in umbram devenere, inſenſilem excretionem denſantem: niſi mavis credere, a calore urente ſolis ſiccari partes, conſtringique poros, poſtea ſub umbra reſerari, liquatiſque exitum permittere. Quomodocunque tamen explicetur effuſio ſudoris poſt epotam frigidam, certum eſt effundi, vel proxime a calore, vel alterius etiam cauſſæ interventu, quæ apte occaſio vocatur.

Expoſitæ cauſſæ effectrici ſudoris, adjicio materiam, quam Vvilliſius diſtinguit in elementarem, & humoralem; ſed congruentius diſtinxiſſet in remotam, proximamque, de qua potiſſimum agendum eſt. Antiqui ſudoris naturaliter, & ſponte fluentis materiam ad excrementum aquoſum ſecundæ coctionis referunt, ſerum appellatum; idemque affirmant Recentiores, ſed nolunt, ſerum excrementum eſſe ſecundæ coctionis. Namque Bergerus[b] affirmat, ſudorem generari ex materia inſenſilis excretionis ad cutem copioſius, & conſertim delata, hacque de cauſſa in ſudorem coacta; eam vero materiam magna ex parte eſſe aquam ex primis viis cum chylo in ſanguinem illapſam.

(a) *Lib. de aere, aquis, & locis* (b) *De occulta tranſpirat.*

lapſam. Quocunque tamen modo ſerum generetur, quam aliam conſtituemus aptiorem materiam ſudoris, quam aquoſum humorem, per vaſa totius corporis fuſum? qui generatur in noſtris corporibus, vel in potu hauritur; idemque humor, & ſudoris, & urinæ materiam ſuppeditat; quam minui, conſpicimus largo ſudore manante, & hunc aliquando referre conditionem aſſumptæ potionis. Multi, ut obſervat Bergerus, poſt hauſtum aquæ frigidæ odore cinamomi, florum citri, jaſmini, ſimiliumque medicatæ, æſtivo tempore fundunt ſudorem, præſumptos odores redolentem. Quin etiam in Eph. Germ.[a] narratur, ſudorem luteum ab uſu Rheibarbari ex omni parte manaſſe. Itaque aquoſus humor, vel intus genitus, vel hauſtus ſuppeditat materiam ſudoris, qui tamen alias particulas admiſtas habet, & mea ſententia, quaſcunque ad exitum paratiores, & meatibus penetrandis accommodatiores. Galenus[b] obſervat, tenuem bilem, & aquoſam cum ſudore efferri, videns in ſtrigilibus, quibus ſudor in balneis detergitur, bilis colorem. Color ſanguineus non apparet in ſudore, ſed perſeverante non exiguam ſanguinis partem abſumi, indubitatum eſt: quem proinde Galenus[c] tanquam inſtrumentum ſanguineæ redundantiæ auferendæ proponit. Sanguis alterantium violentia, ut omnes fatentur, in degeneres exoticoſque ſuccos mutatur, priorisque formæ diſſimiles; ut mirum non ſit, a vi effectrice ſudoris poſſe laxioris compaginis partem in ejuſdem materiam verti, ſive diſſociatas partes ſero immergi, extrudique. Febri Helode laborantibus pene continuus manat ſudor, ſuffectus a ſanguine vitioſitate febrili diſſoluto. Cum ſudatorium primo admovetur, turgentibus ſero venis ex majori parte id hauritur, parum aliorum humo-

rum

(a) *Anni 6, & 7 Obſervat. 78.* (b) *Lib. 13. Meth. cap. 6.* (c) *Ibid.*

Digitized by Google

rum, ſed eo plures dies continuos iterato, alii quoque humores funduntur, liquanturque in ſudorem; affirmatque Archibaldus Pitcarnius(a), quamvis ſanguinis partem, & humorem quemvis in quamvis naturam cogi, mutarique vi alicujus violentiæ. Qui porro opinantur, nervos liquore quodam ab Anglis excogitato irrigari, ejus non exiguam portionem cum ſudore excludi, iccirco autumant, propterea quod foraminibus corporis reticularis univerſæ cutis fibrillarum quoque nervearum papillæ pyramidales continentur. Licet autem diu evocato ſudore non ſolum ſerum, ſed alii quoque vacuentur humores in ſerum diſſoluti, nullus ante alium cum delectu trahitur, ſed expeditior, ſive ob majorem fluorem, ſive propinquitatem viæ cutis. Quemadmodum enim per dejectionem quod promptius eſt ad fluendum, continetur que in viis evacuationis, primum ámandatur; ita vis ſudatoria, ſive jntrinſecus comparata, ſive exterius admota prius elicit circa cutem conſiſtens, deinde in paulo remotioribus partibus, & continuatione in interioribus.

Inventa ſudoris materia, indagandum remanet, quo pacto in eum mutetur, quibuſque viis efferatur. Circuitionis fautores bene multi volunt, ſudorem emitti, cum ſanguineum fluentum vehementius in glandulas ſubcutaneas propellitur, liquidiorem ejus partem, ſibique congruentiorem ſeparantes. Huc alii plures inclinant, ut credant, a cauſſa effectrice ſudoris copioſam attolli materiam inſenſilis perſpiratus, confertim ad ambitum deferri, ex copia ſibi viam coarctare, & aliquantula mora in guttas contrahi, ſubinde ab inſequente explodi: quæ tamen opinio multis Recentioribus non arridet, ſed videtur materia ſudoris devolvi ad cutem in modum liquoris, non vaporis,

Dd 2

(a) *De Curat. Feb. per evacuat.*

poris, quippe impeditioris ad ſuperandas anguſtias viarum liquore. Helmontius in tractatu de Latice affirmat, ab vapore centuplo majorem locum occupari, quam ab aqua, & proinde in ſudore corpus centuplo magis, quam ejus naturalis extenſio eſt, tumere debere, ſi ſudor ſpecie vaporis ad cutem a calore pelleretur. Item Graanem inquit, unam aquæ guttam conſtitui a trecentis particulis vaporis, trecenties majus ſpacium requirentibus. Nolo cum tam exacto Calculatore rationem ponere, ſine qua evidens eſt, ex noſtris corporibus multos vapores exire, quibus videmus maculari læve argentum, ſpeculumque ad digiti contactum. Quin etiam oſtendit Gliſſonius[a] hoc experimento, a vaporibus membranas penetrari, & quidem facilius, quam a liquore. Veſica urinaria, ut ait ſe expertum eſſe, extracta, & inflata, dum ſicceſcit, aquam frigidam injectam ſine diſpendio retinet: eadem vero ſi vitro aqua ſemipleno coaptetur, arcteque ligetur, vitrumque arenæ calidæ imponatur, dum aqua bulliat, vapores aquæ non implent veſicam, ſed eamdem pertranſeunt, externamque ſuperficiem humectant. Quid mirum igitur a ſuccis excalefactis agitatiſque tolli copioſos vapores, denſarique circa cutem in guttas? Non tamen diffiteor, ſerum ſub forma liquoris emitti poſſe; idque puto evenire, cum ſucci admodum rarefacti, ampliuſque ſpacium exigentes, quam ut permittatur a tunicis vaſorum, ab hiſce comprimuntur, ſicque exprimitur, quod liquidius eſt. Concipias, ut libet, ſudoris generationem, ſive modum, quo ejus materia defertur ad cutem, hæc ſpeculatio, me longius non morabitur, ad utiliora de ſudore exponenda properantem.

Viæ ſudoris, uti ſequitur ex ſuperioribus, ſunt commu-

(a) *De Cute vera cap. 4.*

munes cum viis inviſibilis effluvii, quando id ipſum cogi poteſt circa cutem in ſudorem. Materia vero delata ad cutem ſub forma liquoris ex placito Recentiorum devehitur per vaſa excretoria glandularum miliarium; nec inde valde recedit opinio Galenica aſſerens[(a)], poros cutis eſſe venas ſubtiliſſimas, in quas ſi dicimus, ſolam aquoſam portionem fluenti ſanguinei illabi poſſe, vides, quantum vetus opinio ad recentem accedat, neque inviſibilia foramina ab Antiquis admiſſa eſſe mera figmenta, uti opinatur Martinus Liſter[(b)] quem indicata opinio Galeni de poris cutis latuit. Gliſſonius[(c)] de re anatomica præclare meritus vult, halitus ex intimo corpore ad extimum pervenire non per poros interjectos ſolidarum partium ſubſtantiæ, ſed per ipſam ſubſtantiam poris vacuam, & undequaque clauſam. Aliquos tamen eſſe meatus in certis partibus, non inficiatur, ſed hos fieri, credit a frequentiore expiratione: quam controverſiam Philoſophis relinquo, parum conducibilem praxi. Siquidem non immutatur proliciendi ſudoris ratio, nec indicantia, aut impedimenta, ſive opinemur carnes eſſe imperforatas, ſive inviſibilibus foraminibus diſtinctas, & quocunque modo opinemur materiam ſudoris ad cutem devolvi.

Hiſce cognitis de ſudore, non erit ſupervacuum attexere brevem quæſtionem, utrum ſudor ſit naturalis evacuatio, an ſecus. Diocli viſum eſt, ſudorem eſſe vacuationem toto genere præter naturam, non ita Galeno, nulla tamen rejectæ opinionis Dioclis ratione adducta, quam poſtea excogitavit Valleſius[(d)], defendens contra Dioclem, aliosque, ſudorem genus eſſe naturalis vacuationis; quæ pariter talis mihi videtur, ſive ſudoris materiam conſide-

(a) *De utilitate Reſpi.* (b) *De humo.* (c) *De cute vera cap. 4.*
(d) *Lib. 5. Contro. cap. 5.*

ſiderem, quæ communis eſt cum urinæ materia; ſive vias, quæ pariter a natura munitæ ſunt; ſive modum exeundi ſudoris ſine moleſtia. Id unum diſcrimen invenio inter ſudorem, aliaſque naturales vacuationes factas per os, veſicam, & alvum, quod hæ quotidianæ ſunt, ſudor tantummodo certis occaſionibus erumpit. Ceterum Helmontius tam benignam judicat hanc vacuationem, ut exploſis phlebotomia, & purgatione tanquam prædatricibus virium, ſola diaphoretica, & ſudatoria pro tutiſſimis habeat in curatione febrium, aliarumque plurium ægrotationum. Profecto etiam Hippocrates (a) ſudorem præ ceteris vacuationibus manifeſtis commendare videtur, aſſerens, omnes morbos finiri, aut curari vacuatione, aut per os, aut per ventrem, aut veſicam, aliumque ſimilem aditum, ſed ſudorem omnibus communem eſſe, aut omnes æqualiter finire.

C A P U T II.

De inſtrumentis eliciendi ſudoris.

MUltiplicia ſunt inſtrumenta ducendi ſudoris; & quamvis omnia ad eumdem effectum tendant, tamen habent diverſum uſurpationis modum, aliaque foris admoventur, alia intus aſſumuntur. Celſus, fuſe proſequens adminicula evocandi ſudoris, nihil de internis, ſolum mentionem de externis facit; iſtaque in duas claſſes tribuit, alteram ſicco calore, alteram humido opus conficientem, iſtamque in ſolo balneo reponit, illam vero in pluribus; ſuntque clibanum, ſive laconicum, ita dictum a Laconibus, quibus in uſu frequenti fuit, ut indicat

(a) *De rat. Vic. acut.*

cat Martialis[a], laborioſa corporis exercitatio, inſolatus, lateres igniti, fervens aqua, vel oleum cucurbitis, aut doliolis incluſum, arena calida, maximeque marina operiens corpus. Quaſdam etiam ſiccas ſudationes terra ſufficit, ubi ex ipſa calidus vapor profuſus ædificio includitur, cujuſmodi ſuper Baias in Myrtetis idem Celſus extitiſſe, narrat. Omnium porro ſudationum vis, & poteſtas, ſive humidæ ſint, ſive ſiccæ, in calore poſita eſt, & uno, eodemque modo ſudorem trahunt, humorum attenuatione, liquatione, impulſione, & pororum apertione: nec alia ratione ſuum effectum promunt in eumdem finem intus aſſumta. Unde habes, quibus partibus compingantur oportet, medicamenta diaphoretica vocata; quæ nec attenuare, nec fundere, & urgere valent, niſi conſtent particulis calidis, tenuibus & actuoſis, ſive ſulphureis, aut ſalino ſulphureis, uti vocantur a Chymicis, expedite venas ſubeuntibus, externarumque ſudationum æquantibus potentiam; ſed æquare poſſe, difficillimum exiſtimo, nullo ſuppetente medicamine, quod pauca quantitate, qua porrigitur, tantum caloris innoxie contineat, quantum externum ſudatorium toti corpori admotum. Quod autem impenſe calet, viſceribus incluſum periculo non vacat, ipſaque vehementia caloris obſtat, quo minus ſudor ducatur; recteque admonet Fernelius[b], diaphoretica, ſeu diſſolventia moderate calida eſſe oportere, ne aduſtione, & ſiccitate immodica meatus coarctent, ſuccoſque adurant. At moderate calida quis ſperet, motura eſſe ſudorem e toto corpore, niſi natura ſuppetias veniat, atque multum operis ipſa conficiat? Fere omnem vim internis diaphoreticis adimit Vvilliſius, affirmans, meatuum apertionem debitam ſudori provocando per ſolas administra-

tio-

(a) *Lib. 6. Epigram. de thermis hetruſcis.* (b) *Lib. 6. Meth. cap. 6.*

tiones externas parari; ideoque opus eſſe ad vim internorum eruendam calore laconici, balnei, aliorumque externorum. Nihilo tamen ſecius operoſiſſimus fuit in deſcribendis internis diaphoreticis; quibus accenſet non ſolum prædita partibus calidis, activiſque, qualia ſunt folia Scordii, Cardui, & cetera pro antidotis a Veteribus habita, ſed etiam Margaritas, oculos Cancrorum, idque genus alia hebetia miſta, nec incitata calore ad agendum. Calidorum virtutem ad ſudorem affigit ſali volatili, acri, aut amaro; ceterorum ſali alchali, & quodammodo fixo. Enim vero calidis, & tenuibus, ſive uti loquitur Vvilliſius, ſali volatili ineſſe ſtimulos ſudoris, ad percipiendum difficile non eſt ipſius experientiæ documento; quæ tamen nil ſimile docet de ſale alchalico, & quodammodo fixo. Quomodo igitur Vvilliſius hanc virtutem cognovit in Matre perlarum, oculis Cancrorum, aliiſque hujuſmodi ſale alchaliſato, ut ait, donatis? Sal iſte, inquit, occurrens ſali acido tum in viſceribus, tum in ſanguine cum eo efferveſcit, fervore ſanguinem ſolvit, & facit ſeparare ſerum. Hæc ne in noſtris corporibus evenire, Vvilliſi, aſpexiſti, quod ſane non affirmabis, an tantum imaginaris? Imaginor, inquis, quia video acida & alchalica, ſi miſcentur, ebullire; idque video in Margaritis, Coraliis, aliiſque ſimilibus aceto diſtillato perfuſis; & hac ſimilitudine in animum induco, ſanguinem humanum ad ingreſſum alchalicorum incipere fervere, & inde ſequi dictos effectus. O lepidam ſimilitudinem, melius dicam, evidentem diſſimilitudinem! Quantum enim intereſt inter acetum diſtillatum inſigni aciditate pollens, & ſanguinem humanum guſtui dulcem? Fateor cum Hippocrate, multas eſſe in ſanguine humano ſecundas qualitates, haſque potentiores eſſe ad agendum primis, quæ tamen niſi ſint evectæ, nequeunt

vim

vim ſuam expromere. Quare Vvilliſius non potuit ex arte præbere alchalica cum ſpe fore, ut efferveſcant cum ſanguine, niſi prius illum ægroti deguſtaverit, vehementerque acidum compererit, ut ex aceto diſtillato ducta ſimilitudo valeat. Logicus ad eam ſimilitudinem tuendam requireret pariles qualitatis gradus; Medicus ſaltem parum diſpares requirat oportet. At inter acidum occultum ſanguinis & aceti diſtillati tantum eſt diſcriminis, quantum inter imaginationem, & rem ipſam. Profecto ſi oculis Cancrorum affundas diſtillatum acetum, & modicum aquæ acidas cuſpides retundentis, aſpicies, admodum levem bullitionem, brevique deſituram cieri. Demus tamen, ſanguinem alchalicorum miſtura bulliturum eſſe. Qua quantitate illa ſumenda erunt, ut inde in tanta copia liquoris conſequatur effectus? Quota portio aſſumptorum illabetur in venas, cum tanta per alvum excernatur? Portionem vero venas ſubeuntem nemo, meo arbitratu, in ſe recipiet tantum fervoris parituram eſſe, ut ſudorem propellat, ſi velit eum metiri calore excitato ab ebullitione oculorum Cancrorum, & ſimilium, cum aceto diſtillato immerguntur; qui, ut unuſquiſque experiri poteſt, vel nullus, vel inſenſibilis eſt. Quandoquidem, uti vidimus, obtuſa alchalicorum ſubſtantia, facta comparatione cum ſanguine, nullum exhibet indicium virtutis ad ſudorem, experientiam conſulamus, cujus teſtimonio ſtandum erit, ſi conſtet, illis propinatis, plerumque, vel ſaltem ſæpe effectum reſpondere. At ipſe Vvilliſius fatetur, raro, aut nunquam ab internis diaphoreticis ſponte ſudorem moveri ſine opera hypocauſti, balnei, uno verbo, externi caloris. Quamobrem erumpens ſudor poſt accepta diaphoretica externiſque ſudationes admotas, efficaces abſque internis ad eum proliciendum, nequit fidem facere

facultatis internorum. Veruntamen parvo conſtat contra has imaginationes diſputare; eoque ſuperſedeo aliis ſex diſſerentiis diaphoreticorum expendendis, quas Vvilliſius aſſignat, deſumitque ex partibus elementaribus miſti in Chymicorum fornacibus diviſi diſſolutique, ne videar captare occaſionem urgendi caſum tam male fultorum. At enim turba Medentium provocat ad lapidem bezoarticum; quem in maximo acute febricitantium diſcrimine porrigit ad movendum ſudorem, ſperatque frequentibus experimentis confiſa, motum iri. Utinam hercle ita res eveniret, uti credit, tamque ſecuro diaphoretico Medicina ornaretur, & valeret ictus extremos minantes repellere. Sæpe in magna febrientium jactatione præbetur Bezoar, atque interdum fateor ſudare ægrotos, ſæpius tamen non ſudare, compertum eſt. Cum vero ſudant, incertiſſimum eſt, cujus id opera contingat; quando ſudor in febribus acutis identidem erumpit, vel ſalubri conatu naturæ, vel inſalubri irritatione. Aut igitur ſæpe fallimus ægrotos pellectos dulcedine pro ſe ſperandi, ut ait Plinius[a], aut fallimur inerti noſtrorum medicaminum fiducia. Ac ſane Valleſius, aliique ſollertiores cordatioreſque non leviter dubitant de lapidis bezoartici decantatis dotibus, veræne ſint iſtæ, an illi affictæ a caſu, & optantium Medentium imaginatione, non ſolum illius, ſed plurium medicaminum commendatrice. Non proinde omne diaphoreticum internum in febribus, aliiſque morbis tanquam nullius efficacitatis, & nihil utile moliturum deſpicio, licet omnibus parum fidendum eſſe judicem ſine externorum auxilio, aut contentionis naturalis; quam cognoſcens, dubitanſque, ne ſola ſufficiat, opus urgerem aliquo calido interno diaphoretico, videlicet Scordeo, Contrayerva, alii-

(a) *Lib.* 29.

aliiſque ejuſdem conditionis. Valeant ergo per me cornu Cervi, Margaritæ, oculi, & chelæ Cancrorum, oſſa piſcium, aliaque ſimilia, in quibus ſalem alchalicum occurrentem acido ſanguinis Vvilliſius imaginatus eſt. Calida duntaxat diaphoretica probabiliora cenſeo, & iſta cum Jacchino non per ſe, ſed ex accidenti, & alterius ope ſudori accerſendo idonea eſſe, ſolaque externa inſtrumenta id per ſe efficere.

C A P U T III.

De Indicantibus Sudoris.

OMnis magnæ excretionis indicantia in eo conveniunt, quod ſuppeditentur ab inutili, nocuoque ſucco, qui arte nequit emendari, aptuſque reddi animanti conſervando, producens magnum morbum, vel minitans magni productionem. Cum igitur ſudorem copioſum, perque plures dies elicitum grandibus remediis adſciverim, ad hunc evocandum non accedam, niſi notabilem ægrotationem pariat, vel proximam ad pariendum potentiam prætendat; & inſuper alia concurrant hortantia vacuationem potius per cutem, quam per alios aditus peractam. Humores enim impuri multifariam lædunt, diverſa occupant loca, habentque diſſimiles qualitates, diverſaſque vias facilioris expulſionis; quibus diverſi vacuationum modi reſpondent, indicati quidem ab humore infeſto, ſed certis accidentibus comitato, & circumſcripto.

Sudoris excretio multiplex eſt remedium, revellens, derivans, evacuanſque, uti quoque de purgatione dictum eſt. Si humor excernendus in totum ſpargitur corpus, totumque offendit, non ex una parte in aliam labitur, eamque

Ee 2

que peculiariter exercet, ſudatio rationem habet ſimplicis evacuationis: eademque revellens ſimul, derivanſque erit, ſi eliminandus humor ex aliquibus partibus, vel toto corpore in certas partes influit: quo multiplici titulo ſudorem invitamus in fluxionibus ad ventrem, aliaſque partes, in quibus ratione oppoſitionis, vel propinquitatis conducit infenſa per cutem abigere. Vix medicinam facere inceperam, cum acceſitus ſum ad curandam uxorem amici mei D. Jacobi Galli Cremonenſis, temperamenti calidi humidique, per aliquot annos laborantem uteri albo profluvio, cum levi impedimento, & dolore articulorum. Plurima experta erat aliorum Medentium conſilio, ſed omnia incaſſum, nulloque morbi decremento. Aliorum conatibus animadverſis, ſudorem ſicco calore laconici elici curo, non tantum ad diſcutiendam materiem articulis infeſtam, ſed revellendam ad uterum labentem, cauſſamque profluvii; intraque menſem circiter, quod optaveram, impetravi. Hiſce præmiſſis autumo, humorem indicem ducendi ſudoris eſſe paratiorem ad vias cutis, vel ſua qualitate, vel propter loca occupata, vel ipſius naturæ ad cutem motum. Ex qualitate humoris liquet, tenuem, fluidum, aquoſum prompte in ſudorem mutabilem eſſe, & hunc primum locum habere inter ſudoris indicantia, uti Medicorum conſenſus comprobat, in Catharrhis, Anaſarca, aliiſque morbis a ſimili humore natis frequenter ad diaphoretica confugientium. Alia imagineris excrementa, acida, ſalſa, amara, ſed multo ſero perfuſa; proderit hæc omnia ſudationibus pro data occaſione amandare, docente experientia, uti obſervat Galenus[a], modo ſudorem ſalſum eſſe, modo acidum, modo amarum, interdum etiam lutoſum, viruſque olentem,

(a) *Lib. 4. de Sanit. tuen. cap. 4.*

tem, ſapore, odore, colore ſenſibus obnoxium: quem proinde movet in pluribus ægrotationibus a diverſis humoribus progenitis. At bilioſos humores, acidos & auſteros, ſeu melancholicos non nulli excipiunt, autumantque parum aptos, induere formam ſudoris; nec ego ſine diſtinctione aptos eſſe contendo. Bilioſi acres aduſtique diaphoreticis agitandi non ſunt; non tamen omnes bilioſos illis eximo, videns in declinatione tertianæ intermittentis largum calidumque ſudorem effluere, cum quo non temere credam, portionem bilis excerni: quippe quæ, ut etiam ſupra cum Fernelio adnotatum eſt, in venas irrumpens non ſanguini, ſed ſero commiſcetur. Item terrei, & valde ſicci humores, qui melancholici vocantur, diaphoretica reſpuunt, non tamen antequam tam intenſam ſiccitatem acquirunt: atque Galenus teſtatur, ſe balnei opera educto ſudore, abſque aliis remediis incipientem Melancholiam non ſemel curaſſe, nondum per longioris temporis ſpatium humore reddito inhabili excretioni per cutem moliendæ. Exiſtimo tamen, melancholicis balneum non ſola evacuatione opitulari, ſed inducta humiditate peccanti humori contraria. Mihi pariter accidit Venetiis ſudore per plures dies balneo evocato, ut Mercatorem Armenum ante duos, vel tres menſes laborantem Melancholia in priſtinum vindicarem. Erat æger temperamenti ſanguinei, florentis coloris, ſucco plenus, lapſuſque in melancholiam propter domeſticas curas: cui proinde conducibilem judicavi ei ſudorem humido calore prolicitum. Idem humor, qui ſicco calore laconici irritaretur, ſuperatur humido balnei, ideoque metiri oportet habilitatem humoris ad ſudorem, habito reſpectu diverſorum inſtrumentorum, quibus excitatur. Sunt alii humores, qui licet non aquoſi, fluidique ſint, nihilominus, ſi prius ali-

quo

quo decocto incidente, & attenuante præparentur, non incommode per cutem educi poſſunt; uti ſæpe educuntur humores ex lue venerea progeniti. Quinimo non ſolum præparatio humoris hunc reddit aptum excretioni per inviſibilia foramina, ſed hæc ipſa majori dilatationi non repugnantia, obſervante Archibaldo Pitcarnio[a], nulla eſſe vaſa ſecernentia, nullaſque in corpore noſtro ſecretioni inſervientes glandulas, quæ non poſſint augeri in tantam amplitudinem, ut pares ſint accipiendo, ſecernendoque cuivis humori, etiam in aliis glandulis naturaliter apto ſecerni. Et ſane Valleſius affirmat[b], ſe vidiſſe ex una longiuſcula, & cum vehementibus perfuſionibus facta carnium lotione in aqua balnei evacuationem ſordium, craſſæ lentæque pituitæ, quæ non ſolum aſpici poterat, ſed digitis baculoque in longum trahi, non abſimilis apparere conſuetæ in pelvi ex venæ ſectione. Opinor hanc materiem egreſſam craſſiorem redditam fuiſſe, ſed etiam egredientem tenuem non fuiſſe pro certo teneo: idque experimentum arguit, poros cutis non adeo anguſtos eſſe, ut ſoli aquoſo humori pateant, vimque pati, & poſſe multum dilatari. Numerat Bohnius inter humores diaphoreticis accommodos, malignos cujuſcunque generis, ſive cum febre lædant, ſive ſoli. Enimvero cum maligni humores adeo varient, ſintque incomprehenſibilis qualitatis, ſolo effectu cognoſcere licet ad ſudorem expeditos eſſe. Effectus autem frequens quidem eſt, non perpetuus, & ſæpe per ſudorem malignæ febris fomes exturbatur, non ſemper; uti conſtat ex narratis ægrotis ab Hippocrate[c], ut miſſa faciam aliorum exempla, quorum quidem plures in priſtinum vindicati ſunt ſudore, non omnes, ſed aliqui urinæ profluvio, aliqui fluxione alvi, unus abſceſſu. Ita-

que

(a) *De curat. feb. per venæ.* (b) *Lib. 3. de rat. vict. ac.* (c) *Lib. 1. & 3. de Mor. Pop.*

que in hiſce pariter febribus exploranda eſt propenſio naturæ indicantis ſe ſe exonerandi viam; neque ex ſola conſideratione pravitatis febris diaphoreticis inſiſtendum eſt. Sentit quidem Archibaldus Pitcarnius[a], ſanguinis partem quamlibet, & humorem quemcunque in quamvis naturam cogi, mutarique, uti ſupra indicatum fuit; ſed hoc conceſſo, non ſequitur, quemvis humorem per quamlibet ſine diſcrimine viam ejiciendum eſſe, negligendamque inquiſitionem qualitatis humoris, ad inveniendum aditum aptiorem ejectioni. Incertum enim eſt, an per inſtrumentum vacuationis tam brevi tempore queat excernendus ſuccus aſſumere naturam accommodatam deſtinatæ excretionis viæ. Alius enim humor aptior eſt natura ſua ad inſenſibilem vacuationem, alius ad ſenſibilem, & hanc per diverſos aditus factam; ſicuti apparet ex natura victrice, quæ ſubactum hoſtem, modo per vias ſudoris exterminat, modo urinæ, modo alvi, modo etiam per plures aditus, ſi diverſi ſint humores.

Situs expellendi humoris admodum opportunus ſudori eumdem ſuadet; ſi nimirum articulos occupat, vel interjacentium partium interſtitia: quo nomine frequenter in doloribus gallicis eas partes male multantibus laconicum uſurpatur, materiam lentam, viſcoſamque citius extracturum, quam evacuantia per alvum, propter breviorem viam a carnibus ad externa foramina, quam ab illis ad inteſtina; quo nequeunt infeſta traduci, niſi de integro venas ingrediantur, perque medios alios humores viam inveniant. Neque opponas, ſudore alvum elici tenuiora, & liquidiora; atque in vaſis ſanguiferis, lymphaticiſque uberem ſeri copiam contineri, materiam ſudoris abunde ſuffecturam, abſque ſolutione, & commotione craſſæ exterioribus partibus

(a) *Diſſert. de Curat. Feb.*

tibus adhæreſcentis. Concedo, in ſudore ſemper quod fluxum magis eſt, liquidumque emanare, neque poſſe viſcoſos ſuccos per meatus tam anguſtos facile propelli, niſi prius incidantur, atque eliquentur; quo nomine ad ſudorem perducendis ægrotis decoctio Salſæ, Guaiaci, aliaque diſſolventia porriguntur. Profecto liquidiora ad cutem incitatius feruntur, parſque ſanguinis aquoſa accurrit, tamen hac per iteratas ſudationes imminuta, ipſaque natura adjuvante, craſſius lentiuſque nocens diffunditur, fitque ſudor. Ejus quoque excrementi depulſionem adjuvat locus ipſe exterior, in quo continetur; cujus opportunitate admotus calor ſuis viribus integris in illud agit, reſolvitque; & quidem reſolvi poſſe, ipſa experientia in podagricis frequenter oſtendit, quorum humores quamquam craſſi per modum vaporis naturali calore diſſipantur.

Ratione itidem ſitus humor in cutem effuſus, eamque, vel puſtulis aſperans, vel aliter infeſtans, ſæpe ſudationem expoſcit; qualis eſt humor Scabiei effector, cui abigendæ poſt intimum corpus expurgatum, modo ſicco, modo humido calore pro diverſitate temperamenti, & Scabiei prodeſt ſudorem elicere, ad materiam cuti affixam inſenſamque diſſipandam. Balneum tamen videtur accommodatius generatim ad corrigenda cutis vitia: de quo ita ſentit Celſus (a), *Fereque adhibetur, ubi ſummam cutem relaxare, corruptum humorem evocare, & habitum corporis mutare expedit*.

Spontaneus quoque motus humoris ad cutem demonſtrat potius hanc, quam aliam viam evacuationis tenendam, juxta celebre Hippocratis conſilium, quo natura vergit, eo ducendum eſſe; dummodo indigeat adjumento, nec opus ſola abſolvere poſſit. Comperta in febribus acutis naturæ propenſione ad ſudorem, inchoantis, non per-

(a) *Lib. 1. cap. 17.*

perficientis conatum, cum ſtimulamus: & idcirco eam inclinationem inter indicantia ſudoris repoſui; quia inde docemur, ſubeſſe humorem paratum ad eam rationem excretionis.

CAPUT IV.

De Impedimentis provocandi Sudoris acceptis ab rebus naturalibus, & non naturalibus.

SUdor efficacibus inſtrumentis per plures dies conjunctim motus, vires extenuat, uti aliæ vacuationes ingentes; & hoc etiam titulo magnis remediis repetitionem ſudoris pluribus diebus continuis factam adnumeravi: cujus proinde impedimenta, uti feci in aliis magnis auxiliis, expendam. Id tamen commodi præ pharmaco purgante habet ſudatorium externum, quod apparentibus inditiis, inde vires accidi, ſtatim illud amovere licet, & amoto ceſſat ſudor: ceterum porrecto cathartico nequimus ex arbitrio moderari, & debita feſtinatione compeſcere vacuationem, ſi ſupra indigentiam, viresque contingat. Verum enim vero antequam deſtinemus ægrotum ad ſudorem, virium quantitatem diligenter æſtimare oportet, cum præſtet, earum infirmitate proviſa id curationis genus non ſuſcipere, quam ſuſceptum paulo poſt, vel ſtatim relinquere, non ſine ægrotantis incommodo, & ſine confeſſione rei non ſatis meditatæ. Quæ igitur diſſerui de imbecillitate virium reſpectu aliarum inſignium vacuationum, valent etiam in factam per cutis ſpiramenta. Animadverto tamen, impedimenta ſudatorii non eſſe communia humido ſiccoque; ſed quædam opponi ſicco, non humido; aliaque humido, non ſicco; itemque diaphoretica interna non

patere iiſdem offendiculis, atque laconicum, balneum, aliaque externa. Sic inter varias hominum temperaturas ſudori ſicco calore ciendo calida, & ſicca, affluenſque bilioſis ſuccis multo minus opportuna eſt, quam eidem excitando humidi caloris ope, imo temperamentis impenſe bilioſis nunquam laconicum adhibendum eſt.

Ex habitu corporis capiuntur inditia proclivitatis ad ſudorem, vel repugnantiæ, & inde argumentum illius deliberandi, vel omittendi. Sic habitus corporis mediocriter laxus paratus eſt ſudori, quem temperato calore ex facili fundit, nec exponitur incommodis vehementioris, quæ pati cogeretur habitus denſior, ſi ſudatorio tentaretur; in quo temperatus calor parum efficax eſſet ad effectum, intenſior periculoſus, & nihilominus fortaſſis non ſatis efficax. Hos vero habitus, quorum judicium ab ulla ſenſibili qualitate non proditur, non melius aliunde cognoſcimus, quam ex difficultate, aut proclivitate per ſanitatem ad ſudorem, qua cognita, quod expedit, conſulto decernitur. Præter habitum corporis, ſunt aliæ intimæ cauſſæ ingenitæ, noſtram effugientes cognitionem, & ſudoris ſtimulos, utpote impoſſibilis, prohibentes; qualis eſt indicata a Plinio aſſerente, quoſdam concretis oſſibus, & ſine medullis vivere, qui neque ſitim ſentiunt, neque ſudorem emittunt; quibus ſane non ſolum inutile, ſed noxium quoque foret ſudoris irritamentum.

Ætatis conſideratio, quæ in phlebotomia, & purgatione deliberanda, omittenda non eſt, utilitate quoque non caret in conſultatione de movendo ſudore; qui tametſi minus frequenter hodie in uſum vocetur, quam anteactis temporibus, tamen pro data occaſione negligendus non eſt, neque caret optabili commodo, uti apparet ex uſu frequenti balneorum apud Antiquos, hiſce vel pulverem,

for-

ſordeſque abluentes, vel ſudorem evocantes: ex qua conſuetudine aliqua non ſuperflua colligam. Satis apertum eſt, pueros indigos humidi ad ſuum temperamentum ſervandum, non eſſe ſiccis inſtrumentis ad ſudorem cogendos illi ætati augmento caloris, & humiditatis abſumptione infenſis: quas noxas non importans calor balnei, ſi ferat occaſio, vel pueris convenire poteſt; nec incongruum duxit Galenus[(a)], qui vel infantes a balneis ſalubrium aquarum non arcuit. Quin etiam Avicenna[(b)] pueros frequentius in balneum demittit ante ſextum annum, quam deinceps: & Celſus prius Galeno, & Avicenna in pueris calidam lavationem adprobavit. De Senibus vero hæc eſt animadverſio. Ultimum ſenium degentes non ſolum effætæ vires laconico eximunt, ſed propenſio levi quacunque de cauſſa ad maximas mutationes; qua conſideratione Galenus aſſerit,[(c)] difficillimum eſſe, frictiones in ſenibus ſalubriter peragere; eodemque nomine longe periculoſiorem judicat ingentem, ſiccumque calorem: imo ſenes raro in balneum demittit ob virium infirmitatem, etſi antiquitus reliquo vitæ excurſu crebra foret illius adminiſtratio. Aliæ ſenectutis partes, viridis, & media multo paratiores ſunt ad ſudorem ſuſtinendum, eoque magis adprobatione Celſi[(d)], ſi humido calore balnei ducatur; ſoletque de media ſenectute dici:

Ut lavit ſumpſitque cibum, det membra ſopori.

Hiſce offendiculis ætatis, ſive ſenilis, ſive puerilis minime obnoxia ſunt ſudorifera interna, quæ ſolent febricitantibus exhiberi ad promovendum ſudorem imperfecte motum a natura, vel ad movendum propendente.

Prægnatio ſudori eliciendo non obſcure repugnat, potiſſi-

(a) *Lib. 1. de Sanit. tuen. cap. 6.* (b) *Lib. 1. fen. 3. doc. 2. cap. 4.* (c) *Lib. 5. de Sanit. tuen. cap. 4.* (d) *Lib. 1. cap. 3.*

ciſſimumque excitato calore, vel balnei, vel laconici, alteriuſque exterioris ſtimuli, & præ ceteris balnei; quod Avicenna in prægnantibus exſecratur tanquam efficacissimum ad inſtigandum abortum, & calore, & multo magis humiditate laxando partes, attento, uti opinor, more Majorum, qui prope partum demittebant mulieres in balneum, quo citius, & felicius expedirentur. Interna quoque calida, & acria periculo non vacant, ut pote quæ, dum impetum in totum ſanguinem faciunt, oraque vaſorum, nequeunt, quin pariter vim inferant fœtui, quaſi cuidam matris parti. Non ideo omnem conatum ad ſudorem in gravidis abdico tanquam neceſſario abortivum. Fateor periculoſum eſſe, & ſolum ex forti occaſione tentandum, ſed abortionis certum incitamentum non exiſtimo, qui pluries vidi, agreſtes prægnantes ex villicis laboribus & inſolatu, largo ſudore ſine abortione diffluere. Haud me latet diſparem eſſe rationem de prægnante ſana, atque morbo conflictata, & hanc promtius offendi ab incurſu cauſſarum, quibus ſana reſiſtit; tamen ex ſudore, quem uberem ſana prægnans innoxie fert, haud temere colligitur, poſſe quoque ægrotantem ad ſudorem perduci, ſi cetera conſentiant, abſque metu abortionis tam vehemente, ut tentamentum idoneis inſtrumentis peractum impediat. Revera Gregorius Horſtius aſſeverat, ſe fœminæ viginti quatuor annorum, quinto prægnationis menſe decoctum Guaiaci ſudoris promovendi gratia commode propinaſſe, quæ laborabat Rhagadibus, & fiſſuris ulceratis in partibus obſcenis, cum maligna ulceratione oris, nocturniſque artuum doloribus. Pariter non refugerem ab aliquibus internis diaphoreticis in gravidarum acutis morbis ad motum naturæ cutem verſus in-

(a) *Obſervat. 4. Lib. 7.*

inchoatum urgendum, animos ſumens ex irrito ſæpe conatu impudicarum mulierum ad fœtum immaturum extrudendum uſu acrium, & calidorum: quo tamen confugiendum non cenſeo, niſi ductu gravis conjecturæ de futura utilitate.

Hæc pauca res naturales apertiora ſudoris impedimenta ſuppeditant, nec plura non naturales. Aere impenſe calido, aut frigido ſudorem ducere tutum non eſt, alio tamen reſpectu contradicente frigiditate, alio caliditate. Summa hyeme ſæviente, omnia exterius denſa ſunt, conſtipata, humores frigidi craſſique, nec ad cutem vergentes: quo tempore, ſi ſudori movendo des operam, opus eſt ingenti calore, quo clauſa reſeres, craſſa, denſaque tenues, fluxa facias, atque e viſceribus contra naturæ propenſionem in corpus externum perducas, cum ingenti ægroti mutatione periculo non carente. Obſervat Hippocrates ad imperandam dejectionem, vomitionemque, quo ſingulis tempeſtatibus inclinent humores, & qua facilius expelli queant. Cur igitur hæc negligemus educturi ſudorem? Anne inter ſyrios ardores ex arte ægrotus in laconicum ducetur? quo nempe tempore caloris vehementia ſanguini ſuarum qualitatum mediocritatem aufert, copioſoſque ſpiritus virium fulcimentum diſſipat abſumitque vigorem ad ferendum impetum ferveſcientis remedii. Licet autem quo calidior aer eſt, minus requiratur igneæ virtutis, tamen quodlibet ſicci caloris additamentum magnæ ambientis aeris caliditati, & ſiccitati ſuſpectum eſt; provideque Venetiis non media æſtate, ſed vere gallica tabe pollutis publice hypocauſtum paratur: imo ipſum balneum ex mente Galeni, aliorumque non ſumma æſtate, ſed incipiente balneum ipſum adminiſtratur. Verum neque hyeme, neque æſtate uti timerem internis ſtimulis ſudo-

ſudoris in manifeſto, nec perfecto afflictæ naturæ niſu ad eumdem.

Ceterarum rerum non naturalium, quæ ſunt, cibus, & potus, motus, & quies, ſomnus, & vigilia, excretio, & retentio, animi perturbationes, aliquæ in totum prohibere valent ſudationem, aliquæ duntaxat retardare. Sic corpus recens cibatum, neque balneo, neque laconico agitandum eſt, ne coctio impediatur, cruda in venas rapiantur. Cum autem ſudor educendus validas vires requirat, non recenti exercitio corporis fatigatas, poſt aliquot horarum quietem adhibendum eſt ſudatorium, non tamen ſtatim poſt ſomnum; quo tempore nondum humores totum corpus æquabiliter irrigant, nec ad exteriora delati ſunt. In excretis, quantum huc attinet, tantummodo conſidero lunarem purgationem fœminarum, dum rite procedit; in retentis, alvi feces. Menſtruis ex naturæ inſtituto erumpentibus balneum incommode adminiſtrari, liquet ex Sene docente, inde ſanguinis fluxiones concitari: quare menſtrualis mulier ex illius uſu poſſet incurrere in immoderatum, difficilemque ſuppreſſu effluxum, additis naturæ intempeſtive calcaribus. Hoc nomine Senex balneum vetat, quibus ſanguis e naribus ad indigentiam fluit; idemque imperat, quibus ex eodem loco pro indigentia non fluit. Sin autem effluvium lunare prohibet humidam ſudationem propter metum illius ultra modum concitandi, quis idem abſicca multo magis non metuet? Porro alvum præter morem ſeſe non exonerantem prodeſt ante tentamentum eliciendi ſudoris, clyſtere, vel glande ad ſuum munus provocare; quo nihil impuri e primis viis interiora ſubeat. Demum in animi perturbationibus, ſi vehementes ſint, præſtat motus componere, ſedare tumultus, quam calore ſudationis irritare.

CA-

CAPUT V.

De Impedimentis Sudoris ab affectionibus præter naturam acceptis.

MOrborum complexus, in quo ſæpe Medicus ſuſpenſus hæret, decreturus de aliis magnis remediis, non minorem difficultatem obtendere poteſt in adminiſtratione ſudatorii, poſcitque, ut ſumma capita affectuum proſequar illius uſui oppoſitorum, uti executus ſum agens de venæ ſectione, & utraque purgatione. Galenus, unde tot ſalutaria documenta in Medicinam fluxerunt, plura enumerat balnei offendicula, omnem phlegmonem, vel huic ſimilem affectionem, abundantiam ad vaſa, vel ad vires, viſcerum primæ notæ debilitatem, crudorumque humorum copiam in primis venis: quæ omnia non minus balneo, quam laconico adverſari palam eſt. Quis prudenter cogitet in phlegmone, ſimilique affectu a calore producto de movendo ſudore validis auxiliis, quæ novum calorem accendunt, priorem non reſtinguunt? Hippocrates[(a)] ſane in quadam differentia Pleuritidis balneum præſcribit, ſed poſtquam abſceſſus ruptus eſt, neque magna febris urget: unde indicatur declinatio morbi, non principium, aut ſtatus. Multas quoque idem auctor proponit balnei utilitates in Peripneumonia, ſed, uti cum Valleſio interpretor, uſurpati in declinatione, uti dictum eſt in Pleuritide: ceterum adminiſtratio balnei in hiſce morbis noſtris temporibus deſuevit, videlicet, uti reor, propter corpora illi non aſſueta.

Multitudo ſuccorum non permittit ſudationes, ſi magna

(a) *Lib. 2. de morbis.*

gna eſt, ne calore incitati, nimiumque rareſacti, vel aliquod vas diffringant, vel alium morbum incutiant. Cum vero magna non eſt, ceteris conſentientibus, ſudore commode tollitur, eodem Galeno docente, balneum, corporis exercitationem, aliaque lente vacuantia inſervire plenitudini non inſigni adimendæ.

Imbecillitate partium principalium, cujuſmodi eſt cerebrum, pulmo, cor, ventriculus, aliæque ad vitam tuendam maxime neceſſariæ, non immerito Galenus balneum prohiberi ſanxit, & multo magis laconicum prohiberi ſentio. Utrumque commovens, liquanſque excrementa, occaſio eſt, ut commota liquataque decurrant ad partes paratiores ad recipiendum, cujuſmodi ſunt valde imbecillæ, promte ab incurſu cauſſarum alterantium detrimentum capientes. Hinc collige, exceptione indigere præceptum Celſi[a] jubentis, in Hydrope cujuſque generis, ſi nondum nimis occupaverit, provocari ſudorem arena calida, vel laconico, aliiſque ſiccis ſudationibus, quibus frequenter in hoc morbo Priſci utebantur. Comprehendit id præceptum omnes Hydropes incipientes, cujuſcumque generis ſint; quorum tamen curationem non ſemper ſicco calore celebrandam eſſe, congruenter ad ſuperiora exiſtimem. Plurimi ex ſententia Galeni pro certo tenuerunt, ſemper in eo morbo, primario, vel ſecundario jecur male habere, & imbecillum eſſe; de quo non diſputo, ſed tantum aſſumo, quod extra controverſiam eſt, poſſe aliquando Hydropem ex obſtructione jecoris, vel alio vitio originem trahere: quod ſi eo devenit, ut partem multum labefactaverit, etiam principio illius fortem ſudationem non permittit propter expoſitam rationem. Sunt etiam quædam viſcerum vitioſitates, eo reſpectu impedientes

(a) *Lib. 3. cap. 2.*

tes irritamentum ſudoris, quod effuſionem impoſſibilem efficiant. Ut enim doctiſſimus Ferneluis animadvertit, jecore, vel liene, vi morbi, vel ætate admodum areſacto, vel magna obſtructione, aut Scirrho impedito, nulla vi, ne per febres quidem ſudor elici poteſt, etiam ſi reliquum corpus humore multo perfundatur, quemadmodum in Hydrope. Quotieſcunque igitur hiſce impedimentis ea viſcera tenentur, quicquid ſudorem ducere idoneum eſt, fruſtra admovebitur, nec plus humoris ex corpore, quam aquæ ex pumice eliciet, fruſtraque viſcera, totumque corpus laceſſet, percelletque.

Aliud obſtaculum ſudoris cum Galeno conſtituo crudorum copiam in venis circa primam regionem ſtagnantem; quæ, trahente ſudatione humores ad cutem, in venas majores raperentur, ſanguinem inquinarent, obſtruerentque exiguos meatus, partemque debilem, ſi qua foret, magis infirmarent; Pauci vero ab ortu tantum roboris traxerunt, ut omnes partes ex æquo firmæ ſint, nulla debilior. Raro quiſquam, inquit Celſus[a], non aliquam corporis partem imbecillam habet. Crudorum ubertas in dictis venis ſubſiſtens nullo valido inſtrumento agitanda eſt, non humido, non ſicco calore, non vehementi corporis exercitatione, non calidis impenſe diaphoreticis: eidemque methodo ſubjicitur abundantia humoris aliter viciati eaſdem partes inſidentis; e quibus cum poſſit per alvum, aut per vomitum compendiario excerni, cur longiore via ad cutem traducetur? Hac ratione Hippocrates[b] arcet balneo faſtidioſos, nauſeabundos, bilioſumque vomentes tanquam crudos, aliove pravo humore prima regione ſcatente. Itidem ſi crudi ſucci, aut alia exotica qualitate nocentes toti ſanguini intermiſti copioſe forent, fortia ſu-

(a) *Lib. 1. cap. 3.* (b) *Lib. 5. Aph.*

doris irritamenta abdicanda ſunt; Immaturos ſuccos idoneos coctioni, & mutationi in probum ſanguinem ad hunc ſtatum quiete, tenuique victu redigere oportet, neque cum detrimento agitare. Alios vero humores, qui non cruditate tantum negotium faceſſunt, ſed prorſus inutiles ſunt, nec emendabiles, ſi copioſi ſint, aliis vacuationibus apte minuuntur ante ſudorem excitandum. Magna vel probi ſanguinis copia, ante laconicum, vel ſolium auferenda eſt, quo minus calore incitata pernicioſum motum obeat; idemque procul dubio non minus metuendum eſt ab affluentia impuri, noxiique humoris. Cum igitur Hippocrates[a] ſumpturis Helleborum, balneum præſcribit ad obtinendam commodiorem purgationem, intellige cum Valleſio in ejuſdem loci expoſitione, nomine lavationis irrigationem, & fotum hypochondriorum, non uſum balnei univerſalis ad ſudorem uſque. Si enim, quibus deſtinatur helleborum, pravis ſuccis abundant, ut aſſumere licet, non convenit lavatio univerſalis effectrix ſudoris.

Expoſita trahendi ſudoris offendicula non ſolum externis, ſed etiam internis diaphoreticis opinor eſſe communia, ſi valida ſunt, impenſeque calida, non ea, quæ a Neotericis alchalica vocantur, niſi fallor, ſola imaginatione ad ſudorem apta. Tamen nonnulli Recentiores in curatione Pleuritidis, neglecta venæ punctione, propinant validos ſtimulos ſudoris, illapſam, uti credunt, materiam cito diſcuſſuros, unoque velut ictu tam periculoſum morbum obtruncaturos. Confidunt, ſanguinem novo impetu a calore diaphoreticorum recepto non eſſe fluxurum copioſiorem in partem inflammatam cum augmento inflammationis, ſed ſolum portionem illapſam attenuatum iri, perque cutem diſſipatum. O ſpem quanto magis vanam, tanto

(a) *Lib. 6. Epid. ſect. 5.*

to pernicioſiorem! Provoco ad experimentum factum in pauperibus ægrotis, conſideratumque ab *Sydenhamo*. Quædam nobiles mulieres in Anglia, nulla præmiſſa ſanguinis detractione, aut purgatione initio febrium pauperibus ægrotis porrigunt robuſta medicamenta ad ſudorem acciendum, quibus, ut ſe obſervaſſe *Sydenhamus* teſtatur, cruda materia, nec coctione ſubacta in membranas cerebri, vel coſtarum impellitur, novus, deteriorque morbus creatur. Quanto magis igitur timendum erit incrementum phlegmones ab eiſdem medicamentis in principio fluxionis ante ullam revulſionem, derivationemque venæ apertione obitam propinatis? Multo ſane tutius curat Pleuritidem *Vvilliſius*, aliique, qui omnia calida, acria, & aromatica, ſpirituque vinoſo prædita interdicunt, ſolaque permittunt, blande ſudorem, vel urinam provocantia.

Multas febres ſponte ſudoribus evocatis ſubigi, frequens docet experientia; itemque multas ab Antiquis humido ſudatorio, cui erant aſſueti, curatas fuiſſe accepimus, nimirum diarias, lentas, ipſaſque inflammationes internas declinantes, uti ſupra ex *Hippocrate* vidimus. Alio etiam pacto in febribus *Celſus* ſudorem urget, ſi videt paulum tempora, aliaſque corporis partes madere, dans potui aquam calidam, ægrumque ſub multa veſte continens. De internis vero irritamentis ſudoris in pluribus febribus porrigendis nulla eſt controverſia, dummodo tempeſtive porrigantur, appoſiteque ad febris, ægrotique conditionem. Ceterum multo efficacior ratio eſt ducendi in febribus ſudoris tradita ab *Celſo*, quam lapis bezoardicus, Antimonium diaphoreticum, aliaque hujuſmodi inventa ab Recentioribus, inanes plerumque voces. Sunt tamen aliquæ febres, nempe hecticæ; quæ ſicuti alias vacuationes reſpuunt, ite n factam per ſudorem abſumentem humi-

dum, quo laborantes indigent, non redundant, & hoc nomine perducuntur ad balneum aquæ dulcis, ſed citra ſudorem. Porro febribus omnibus aſſas ſudationes adverſas eſſe inde liquet, quia novum calorem accendunt, veterem non relinguunt, adjugent ſiccitatem, quam ſolet parere febris, agitantque vehementius humores. Occurrit tamen novum febris genus Veteribus ignotum, poſt ortum morbi venerei excitatum, de quo pauca ſeparatim agitanda cenſeo. Morbus gallicus ſæviens in artubus, varias corporis partes exulcerans, affligenſque, hypochauſto ſæpius edomitus invitat ad quærendum, utrum febris incidens orta idem remedium recuſet, an petat. Febris non ſolet eſſe ſymptoma luis venereæ, imo ex animadverſione Fernelii[a], identidem eo viru interiores, exterioreſque partes ita putreſcunt, ut exeſæ, quaſi laceratæ decidant ſine ullo febris indicio. Interdum tamen eum morbum lenta febris conſequitur, eamdemque habet originem; quo reſpectu hanc febrem novam vocavi: ſed adverto, non omnem lentam, qua venereo viru perculſus aliquando corripitur, ab eodem accendi, affirmante Fernelio, ſe vidiſſe, non nunquam relinctam eſſe lentam febrem, permanſiſſe gallicum affectum. Joannes Fortis lentam febrem, & ad veſperam ingraveſcentem, qua premebatur juvenis annorum circiter 21, ex morbo calidius ſicciuſque temperamentum adeptus, & catarrhis obnoxius, appellat hecticogallicam, aſſeritque produci magis ab occulta putredine, quam manifeſta; clarius dixiſſet, ab ignorata cauſa. Quam igitur febrem gallicam vere appellabimus? Illam certe, quæ ex bubone gallico producitur, vel ex eodem humore venenoſo ſeſe altius in ſanguinem inſinuante, totum polluente, praveque fermentante; de illo loquor humore,

qui

(a) *Lib. 2. de abd. rerum cauſ. cap. 13.*

qui alias ad articulos devolutus acri dolore exercet, alias ad cutem effuſus variis puſtulis, & cruſtoſis ulcuſculis defœdat; aut certis partibus affixus eas exedit; aut in dura tubercula extollit. Aſſume igitur, febrem ab hac colluvione ſola progenerari. Adverſabitur ne ſicco calori laconici? Si lenta ſit, neque vires admodum dejiciat, adverſari non opinor, conſiderata ejuſdem cauſſa, quæ craſſa oppido eſt, contumaxque; nec apta ad concipiendum celerem, vehementemque motum: & proinde Joannes Fertis in deſcripto juvene non timuit uſum hypochauſti quarto quoque die repetitum, tametſi ex morbo lapſus foret in temperamentum calidum, ſiccumque, & febricitaret. Veruntamen nihil præclarius meam opinionem confirmat, quam quod evenit in Xenodochio Inſanabilium Venetiis, in quo menſe Aprilis plures ex ſanioſa venere tabeſcentes committuntur hypochauſto ad ſudandum, & inter iſtos etiam ii, qui ex eodem morbo febricitant, dummodo febris lenta ſit: obſervatumque pluries eſt, eam poſt aliquot dies effuſi ſudoris immunui. Interdum tamen oppoſitum evenit, febris invaleſcit, cogiturque ægrotus inceptum deſerere: quod non uni cauſſæ imputari poteſt, ſed poteſt præſertim conditioni caloris hypochauſti, quæ propter multitudinem ægrotum nequit accommodari ſingulorum temperaturis, & indigentiæ; ſicque evenit, ut adhibito intenſiore calore febricitanti, cujus temperaturæ remiſſior debebatur, inde febris incrementum capiat.

Paralyſis aliquando eſt impedimentum ſudoris, indicans aliquando, & utrumque comprobat experientia, qua conſtat, cum affectum ſudore in aliquibus ſuperatum fuiſſe, in aliis confirmatum, adauctumque. Unde quæſo tam diverſi effectus ejuſdem remedii in eodem morbo? Hanc diverſitatem attribuit Vvillſius diſſimili ſanguinis naturæ.

Nu-

Nocent, ut ait, ſudationes, quibus inſunt copioſæ particulæ efferæ, exoticæ, fixioreſque, atque ad exhalandum inhabiles, quæ incitante calore efferatiores evadunt, ac ſubinde in cerebrum, nervoſumque genus uberius delatæ obſtructiones veteres ſæpe adaugent, & non raro novas producunt. Ex oppoſito conveniunt, quibus ſanguis ſale, & ſulphure fixioribus minus refertus eſt, ſeroque limpido, inſulſoque magis dilutus. Mihi tamen videntur eſſe clariores cauſſæ, cur aliis paralyticis proſit ſudor, noceat aliis. Paralyſis interdum producitur ſine prægreſſa cerebri offenſa, & imbecillitate; hac prægreſſa interdum oritur; atque ab hiſce initiis ortam ſi quis conetur ſudatione curare, opponitur ſupra ſtabilitis, illam arcendam eſſe ab ægris, quorum pars aliqua principalis non levem noxam patitur, ne plus ingerat in partem affectam, quam inde excutiat, geminetque obſtructionem: qui ſiniſter eventus timendus eſt maxime in principio fluxionis ante neceſſarias revulſiones. Exiſtimo quoque, paralyticis ſudorem noxie interdum educi, quod parte humorum aquatiore vacuata, craſſior lentiorque remanens fit difficilior ſolutu; idque contingere putem ex ſanguine lenteſcere parato, qualis eſt melancholicus. Porro in Paralyſi orta ſine gravi cerebri læſione poſt cohibitum illapſum humoris, qui parti inhæreſcit, commode ſudore diſcutitur, uti non infrequenti comprobatur experientia. Ita curatæ Paralyſeos inter plura exempla tacite non præteribo, quod narrat Petrus Foreſtus [a]. Quidam Juvenis, cum ſudarium expectaret ab Amaſia in cella vinaria loco humido, membrorum reſolutione affectus eſt: cui ſanandæ cum alii Medici fruſtra adlaboraſſent, quidam ægrum prope furnum in lecto poſitum foliis nucum in furno calefactis, linteo-

liſque

(a) *De Cere. Mor. Lib.* 10.

iiſque incluſis cooperiens ad copioſum ſudorem perduxit; quo reſoluta eſt cauſſa morbi, reſtitutaque ſalus. Cauſſa Paralyſeos, uti par eſt credere, fuit & retenta inſenſilis perſpiratio, cujus magna pars aquoſus humor eſt, & imbibita nervis muſculiſque extranea humiditas, non capitis vitium, & prægreſſa imbecillitas; quare ſicca ſudatio tollens humidum extraneum non ſcatens ab affecto cerebro conſulto adhibita fuit, & cum ſucceſſu. Interdum cauſſa reſolutionis, ut advertit Avicenna[(a)], conſiſtit in ſolis ramis nervorum, ibidemque generatur a pravo alimento partium, non a cerebro depluit: quæ pariter ſudore recte curatur ſaltem excitato in ipſa parte affecta. Qualitas pariter humoris producentis Paralyſim mutat ſudoris effectum, efficitque, ut is aliis noceat, quem alii beneficum experti ſunt. Contendit Rondeletius, humorem melancholicum, & bilioſum eſſe non poſſe in cauſſa Paralyſeos, ut pote inhabiles ad tollendam naturalem conſtrictionem nervorum, & muſculorum, cujus ablatio Paralyſis eſt. Verum enim vero ejuſdem morbi curatio facta in aliquibus ægrotis per humectantia evincit, ab oppoſita qualitate eum morbum progenerari poſſe, ideoque ab humoribus ea qualitate perfuſis. Narrat Trallianus[(b)], quemdam in Paralyſim ex mœrore incidiſſe, deinde ſumpta hiera adeo læſum, ut totus immobilis fieret, & propemodum interiret, niſi in contrarium mutatus fuiſſet, & humectantibus omnibus tum potibus, tum cibis, & aliis, quæ temperatum ipſum redderent, uſus fuiſſet, maxime vero balneis cum pluribus unctionibus ex hydræleo. Porro Fernelius[(c)] habet pro certo ſæpe a flava bile Paralyſim infligi, cum ſub finem intermittentium febrium in ſpinam dorſi, ac in nervorum origi-

(a) *Lib. 3. Fen. 1. tract. 1. cap. 13, & 5.* (b) *Lib. 1. cap. 6.*
(c) *Lib. 5. cap. 3. de Part. mor. & ſymptom.*

origines illa effunditur. Itaque Paralyſim ortam a dictis cauſſis præclare vides opponi ſudationi præſertim ſiccæ, efficaciſſimæ ad morbi fomitem adaugendum, non minuendum.

Paralyſis, ut expoſitum eſt, aliquando recuſat ſudoris eductionem, tremor ſemper; ſi ſtemus ſententia Celſi (a), qui neque humidam, neque ſiccam ſudationem in eo affectu permittit. Hæc duo tamen ſymptomata adeo affinia ſunt, aut creduntur a Riverio, aliiſque nonnullis, ut eamdem amborum curationem proponant, contra quam Celſus decrevit. Nequeo tamen, quin mirer, Riverium unam eamdemque medicationem utriuſque affectionis conſtituere, quaſi utraque haberet unam eamdemque effectricem cauſſam, cum tamen ipſe multiplices diſſimileſque tremoris cauſſas aſſignet. Celebris eſt, & communis ſententia, Paralyſim progigni ab obſtructione nervorum, ſed tremoris multi multas diverſaſque cauſſas producunt, inter quas obſtructionem partem aliquam influxus ſpirituum animalium, non omnem prohibentem; per quam tremor proludium, initiumque Paralyſeos exiſtimatur, eamdemque illius medelam expoſcere. Veruntamen Celſus ſine ulla cauſſarum diſtinctione petitam ſudoris effuſionem in tremore rejicit, minime in Paralyſi, veritus, ut opinor, ne diſſoluti, jactatique humores decumbant cum majori pernicie in partem imbecillam affectamque. Tutior etiam mihi videtur in eo morbo ſudoris abſtinentia, quod violenta illius eductio petat fortiora remedia, quam ut cauſſa morbi requirat; quam proinde Celſus ſolis frictionibus, inunctionibus, & corporis varia exercitatione diſſolvere conatur, non fortibus, quibus Paralyſim aggreditur oppugnare.

Al-

(a) *Lib. 3. cap. 27.*

Alvi ſolutio, & compreſſio ab Hippocrate recenſentur inter impedimenta balnei, & proinde ſudoris quomodocunque provocati. Alvi tamen ſuppreſſio potius retardat, quam impedit niſum ad ſudorem, ex facili amovenda clyſtere, vel alio laxante, niſi prima regio multis ſordibus polluta longiorem operam expoſcat. Pleno alimentis ventriculo, monitu Senis [a] lavandum non eſt, multoque minus, ſi repletur excrementis. Sed hæc ſatis manifeſta. Alvus vero fluens, quo nomine incommodat adminiſtrationi balnei, ſudorique movendo? Namque Celſus [b], alvo ſoluta permittit quidem unctiones antiquis familiares, ſed citra ſudorem. Ratio non longe petenda eſt. Eodem tempore oppoſiti motus concitandi non ſunt, ſi alteruter ſalubrior creditur, quo minus utilior ab altero interpelletur: ideoque natura ſeſe utiliter exonerante per alvum, non eſt admovenda ſudatio, humores avocans a centro ad cutem. Illud etiam incommodum, animadverſione Valleſii, verendum eſt a balneo ventre fluente; quia, ſi copioſius eſt excrementum, quam ut poſſit per cutem educi, liquatis ſuccis, laxatiſque magis viis, ſpontaneæ vacuationis modus pervertetur, perverſoque inopinata incidere poſſunt, pariter metuenda, imo magis a ſicco ſudatorio iiſdem circumſtantiis uſurpato. Itidem materia fluxus non a venis manante, ſed ſola prima regione, aperte cernis, non eſſe movendum ſudorem, niſi prius colluvio fluxum pariens evacuata fuerit. Quamquam fluxus ventris incitatus a purgamentis primæ regionis, vel a toto corpore, ſalubriter agente natura, obſtat adminiſtrandis ſtimulis ſudoris; tamen ab aliis cauſſis ortus, aliquando ſudore curatur, abducta per cutem materia in ventrem delabente, eumque inſalubriter ſolvente. Plinius pluries mentionem

[a] *Lib. 3. de rat. vic. acut.* [b] *Lib. 1. cap. 3.*

facit de alvi fluore progenito a Rheumatiſmo, quem opera balnei curari jubet, exigentis per ambitum corporis cauſſam fluxionis: idemque remedium egregie commendat Galenus [a] ad eamdem affectionem auferendam: ſed utriuſque conſilium dirigo ad fluxum alvi non provocatum a quiſquiliis primarum viarum, ſed a cauſſa morboſa late per corpus fuſa, ſine ſpe levaminis ex fluxu conſecuturi. Admoneo inſuper cum Galeno, non cuicunque ventris ſolutioni balneum opportunum eſſe, ſed tantum lentæ, non celeri, & copioſæ, quam illud, fuſis humoribus, laxatiſque viis, impelleret: quæ tamen incommoda ab internis diaphoreticis minime impendent, vim laxandi non habentibus.

CAPUT VI.

An evacuanda per ſudorem coqui debeant.

Communis eſt interpretatio, Hippocratem cocta medicari, & movere præcipientem, non cruda, nec in principiis, niſi turgeant, loqui de medicatione, & motione per pharmacum expurgans, non per phlebotomiam, quippe valde diverſam ab expurgatione, tum ratione humoris, quem eduxit, tum modi educendi, ideoque illi præcepto exemptam. De ſudore non eadem eſt ratio, atque phlebotomiæ, & jure dubitari poteſt, an ea lege ſudorem moventia ante coctionem prohibeantur, generatim Sene vetante motionem, ſine qua, eaque valida non poteſt ſudor provocari. In hac quæſtione prolixior non ero, finienda ex diverſis uſibus, & morbis, propter quos ſudor elicitur. Quotieſcunque animus eſt, excernere mate-

[a] *Lib. 1. ad Glauconem.*

materiam per corporis ambitum ſparſam, vel etiam in aliqua parte concluſam, ſed a reliquis ſecretam ſuccis, nulla requiritur coctio ante ſudorem; cujus ſolum indigentiam parere poteſt evacuandæ materiæ confuſio cum utilibus retinendiſque ſuccis; ut poſt eam facta ſecretione, facilior, utiliorque evacuatio contingat. Si materia jam eſt ſeparata, quid expectanda erit ſeparatura concoctio? Sin autem in venis excernendus humor concluditur aliis permiſtus, univerſe decerni non poteſt, utrum expediat, necne, coctionem opperiri; rectaque deliberatio colligenda eſt ex morbi natura. Ut enim in aliquibus morbis expurgamus infenſos humores nulla coctione expectata, item licet in aliquibus ſudorem movere. In aliquibus tamen non licet, in quibus & peculiaris humor educendus eſt per vias ſudoris, & ſanguini immiſcetur. Quippe ſudatio noxiam materiam cum delectu non evacuat, ſed paratiorem ad effluendum, & obviam venientem; neque nocentem excernere poteſt, niſi a natura præparatam, & ab innoxia ſejunctam, in ejuſdem ejectionem ipſa conſpirante natura. Hanc methodum per ſudorem evacuandi ab ipſa natura docemur in febribus: in quibus communis Medicorum conſenſus judicat, ſpontaneas excretiones ſalutares eſſe, quando concocta materia contingunt, ſive per ſudorem fiant, ſive per urinam, vel per aliam viam. Ad has naturæ leges intentus Galenus[a], febres ex putredine humorum curaturus balneo, hoc duntaxat utitur poſt evictos, diſpoſitoſque humores; eumdemque morem alii Priſci ſervaverunt. Porro Galenus in febre ardente, & tertiana exquiſita etiam ante coctionis indicia balneum non incommodum exiſtimans, reſpicit ad vim humectandi corporis, corrigendæque ſiccitatis humoris,

(a) *De Tabe.*

ris, effectus impetrabiles abſque ſudore: idemque Galenus docet, conducibilius eſſe humectatione ſiccitatem flavæ bilis temperare, quam alio quovis modo evacuare. Video quid opponi poſſit ad probandum, non eſſe neceſſariam coctionem, ut ſudor utiliter proliciatur, videlicet ejus materiam fluidam eſſe, & aquoſam, propterea aptam effluere per poros cutis ſine ulla præparatione naturæ, vel artis. Etiam Valleſius, qui pugnaciter tuetur, non eſſe commovendam, purgandamque materiam ante coctionem, ſubducit ei præcepto humores ſero ſimiles, tanquam minime coctibiles. Cum igitur etiam ſucci per ſudorem amandandi eamdem naturam participent, tentari poterit ille, nulla præmiſſa coctione. Veruntamen, qui hæc opponunt, diſtinguant oportet materiam proximam ſudoris ab remota. Voco materiam proximam ſudoris illam, ex qua ſudor conſtat, habentem fluorem inſtar aquæ, quamvis ſæpe aliarum qualitatum participem. Materia vero remota mihi eſt illa, quæ proxime non poteſt in formam ſudoris erumpere, ſed naturæ præparatu indiget, quo poſſit ſub ea forma exire. Cum igitur non in omnibus morbis, quod effluxurum eſt in ſudorem, ſit ultimo paratum ad eum effluxum, ſed a natura parandum ſit, affirmo, non in omnibus morbis eſſe conducibilem artis nixum ad eruendum ſudorem, nulla expectata coctione. Iterum me converto ad febres, id documentum plane declaraturus, in quibus ſudor earum initio ſcatens reprobatur ab Hippocrate, quippe manans ex cauſſa morboſa, non ex ſalutari naturæ conatu ad eliminanda infeſta, qui proinde nihil confert ad ſolutionem febris; confert vero plurimum præcedentibus coctionibus fuſus. Cum autem eadem ſit materia ſudoris ſpontanei, criticique, & ex arte provocati, ſi natura eum ſalutariter expulſura præmittit

cc-

coctionem, ejus imitator eumdem fructuoſe ducturus coctionem expectare debebit. Quotieſcunque igitur requiritur coctio, tametſi materia tenuis foret & fluxa, propter ſuum fluorem, & tenuitatem excipienda non eſt, atque ab communi lege ſubtrahenda, uti ſupra pariter conſtitui. Ex Veteribus autem adeo ſollicitis de coctione hanc multi in ſolis febribus accenſis a putredine humorum requirebant; quorum ſententia commendatur ex obſervatione eorum, quæ accidunt in febribus, nec in aliis morbis obſervantur. Porro lex præſtolandæ coctionis contracta ad ſolas febres firmius fulcitur, & paucioribus patet difficultatibus. Biſariam vero in febribus coctio fortunat ſudoris expulſionem, diſponendo materiam ad ſeparationem, ejuſque quantitatem minuendo. Dum enim natura coquit materiam, adjuta parſimonia cibi in febribus ſervari ſolita, non parum copiæ detrahit, quæ poſtea diaphoreticis, ſive, ut latine loquar, diſſolventibus, ſecurius agitatur. Etenim videmus, quam luctuoſa ſit eorum propinatio pauperibus Anglis facta principio febrium a nobilibus mulieribus, antequam ulla vacuatione petita, vel excurſu morbi materiæ quantitas imminuatur. Atque hæc ad febres pertinent, in quibus majore opus eſt diligentia ad ſudorem quocunque inſtrumento ciendum; & neceſſaria eſt humoris excernendi naturæ præparatio, & coctio; qua ſola plures febres ſponte ſanari, non raro aſpicimus. Hanc porro ea quoque ratione neceſſariam puto, quod interna diaphoretica, quibus in præſens tantum utimur, ſine auxilio naturæ eamdem evacuationem conantis, parum, vel nihil proficerent, idque auxilium natura poſt coctionem præſtare ſoleat. In aliis tamen morbis, in quibus purgamenta continentur in venis, nec ea ſolent per coctionem ut in febribus ſuperari, ſi cognoſcimus conducibilem excre-

cre-

eretionem per ſudorem, nec aliud adeſſe impedimentum, ſtatim licet executioni mandare remedium. Sic repletis venis aquoſo humore Hydropem efficiente, ſi præmiſſa convenienti purgatione permaneat morbus, quis coctionem illius, quam natura non aggreditur, opperietur, ut ſudationem admoveat? Item in morbo venereo, ſi venenum late per ſanguinem fuſum eſt, multaſque illius partes corrupit, quis ſudorem, aut alias vacuationes procraſtinet, donec vincatur a natura, & ſeparetur? quod ſcimus craſſum eſſe, viſcoſumque, aliaque qualitate incomperta imbutum, neque per coctionem vincibile. Prodeſt tamen præmittere præparationem attenuantem & incidentem, adverſamque veneno; cujuſmodi creditur eſſe decoctio ligni guajaci, & ſalſæ parillæ; qua humor attenuatus promptius elicitur, & remiſſiore vi caloris. Idem etiam præparatus commodus eſt in omni humore vertendo in ſudorem, eliminandoque, ejus craſſitudine vacuationi obſtante. Accidit enim in aliquibus morbis, ut nulla ſit expectanda coctio humoris, qualis fit in febribus, ad moliendam vacuationem, ſit tamen præponenda artis diſpoſitio ad eam felicius obtinendam.

DE

DE REGIMINE MAGNORUM AUXILIORUM
In Curationibus Morborum
DISSERTATIO QUARTA.

CAPUT PRIMUM.

De uſu Hydrargyri ad excitandam ſalivam.

MUlta ſalivæ excretionem movent, primumque medicamenta, quæ græce Apophlegmatiſmi vocantur, apta, uti creditur, ad pituitam in ſalivam redactam ex capite, & thorace proliciendam: de quibus in præſentiarum non agitur, ut pote magnis remediis, de quibus eſt ſermo, non adnumeratis. Debiliter, & duntaxat ad breve ſpacium reliqua ſputum provocant præter Hydrargyrum; ſive argentum vivum, quo nomine nullum aliud ejus operibus congruentius eſt, ceterorum remediorum effecta ſuperantibus. Artubus inductum cito ſeſe quoquoverſum inſinuat, obvia multa attenuat, ſolvit, & ſecum in ſublime rapit: ubi ore, & faucibus undequaque occupatis, per glandulas maxillares, vaſaque ſalivalia ſibi viam munit, & ſecum raptis humoribus, quos copioſos, rivo continuo, longoque tempore effluere videas, uti cecinit Fracaſtorius,(a)

Liqu-

(a) *Syphil. lib. 2.*

Liquefacta mali excrementa videbis
Aſſiduo ſputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes mirabere flumen.

Non ſolum autem quantitate, continuatione, evacuationiſque modo magnum remedium eſt hydrargyrum, ſed pluſquam magnum, ex gravibus ſymptomatis, quæ incutere aptum eſt: de quo propterea mihi grandia remedia penſitanti tacendum non erat; & poſtremo loco tracto, quippe ſerius invento, neque Antiquitatis ſuffragiis donato, ſaltem Hippocratis, & Galeni, unde tot opes Medicina acquiſivit. Non eo uſus eſt Hippocrates, non Galenus aperte faſſus, ſe nihil circa mercurium tentaſſe, vel intus propinatum, vel foris admotum, quamvis haberet exemplum Antonii Muſæ feliciſſimi Octavii Cæſaris Auguſti Medici, qui hydrargyrum contra vermes periclitatus erat. Avicenna illud admiſcuit unguentis ad Scabiem; item Paulus affirmat, concrematum, & potui datum eſſe ab aliquibus ad ſedandos dolores colicos, iliacoſque: neuter tamen tanquam inſigne irritamentum ſputationis uſurpavit. Prima ejus indicia ſaltem mihi comperta extant apud Theodoricum deſcribentem unguentum ſarracenicum, memoratum quoque ab Arnaldo de Villanova, atque tradentem modum inunctionis, cum remediis ad oris, gutturiſque aſperitatem factam abundantia ſputorum. Itaque ante veneream contagionem obſervata vis eſt fugacis argenti ad ducendam copioſe ſalivam: cui fini poſtea uſum frequentiorem invexit ea contagio cum ingenti Mortalium commodo, admirantibus Medicis ejus remedii effectus magnos, ſingulares, & ſæpe utiliſſimos, domitoreſque morbi, aliis conatibus invincibilis; quod Fallopius eadem admiratione proſequitur, atque Magnetem. Revera ſupra cetera auxilia mul-

multum emineret, niſi ſalutem inter dolores, minaſque reduceret; quibus præſtantiſſimi viri exterriti tam grande remedium pro peſſimo veneno habuerunt, judicaruntque univerſa medicina exterminandum eſſe: quibus ſubſcripſit doctiſſimus Fernelius, perſuaſus, periculoſum eſſe mali fucum, non expugnatorem. Quam opinionem rationibus impetere opus non eſt, quotidianis luculentiſque experimentis ita clare convictam, ut neminem, vel admodum paucos in ea perſiſtere jure autumaverim. Itaque licet a multis de recto mercurii uſu, & præſtantia in multis morbis curandis actum fuerit, tamen mihi Tironum utilitati ſtudenti ſupervacuum viſum non eſt, idem argumentum eo ordine tractare, quo cetera magna auxilia perſecutus ſum; quo tradita diſcentium mentibus clarius inſinuantur. Prius tamen indagabo, quantum meo captui permittitur, qua vi, quove pacto tantam ſalivæ quantitatem mercurius educat, ob id admirabile vacuantis genus; deinde quos humores ad fauces impellat, mutetque in ſalivam; ut inde proclivius ſit indicantia ejuſdem, & prohibentia invenire.

Morbus gallicus, ut in Italia vocatur, vel fœdis ulceribus cutem erodens, & puſtulis aſperans vim prodigioſam argenti æternum liquidi ad ſputum eliciendum, niſi patefecit, ſaltem in uſum frequentiorem, amplioremque vocavit, exhibita ſimilitudine cum rebelli, & ulceroſa Scabie. Nempe cum primum ſævire cœpit ea calamitoſa affectio impuræ voluptatis pœna, non correctio, nullaque ſuppeteret ad curationem via ob ignoratam novitatis naturam, Chirurgi, uti notat Fallopius, hydrargyro fœdata membra inunxerunt, permoti ex contumaci Scabie eodem pluries propulſata: Tibique primo, Jacobe Carpenſis, tam grandis, tam miri medicaminis virtutem in mor-

bo celtico ſubigendo, favente tuæ ſagacitati fortuna, contigit experiri. O felix fauſtumque experimentum! quo tum domeſticam rem oppido adauxiſti, cum Medicinam maximo remedio, tuumque nomen tam inſigni beneficio immortalitate donaſti. Arte prodita per irrequietum metallum eruendæ ſalivæ, omnem poſteritatem adverſus ferociam celticæ ægrotationis muniviſti, facemque ſucceſſoribus prætuliſti ad tot alios a Celtico morbos expugnandos, ut tuum inventum frequentia, & felicitate eventuum in dies celebretur, promeritumque ſit ampliſſimum ſectæ rationalis aſſenſum. Hujus ego profeſſor tanti remedii naturam, & qualitates, ut meæ partes ſunt, ſcrutari incipio, agniturus, quantum conjectura permittit, illius agendi modum in effuſione ſalivæ, aliaque ad ejuſdem uſum ſpectantia.

Non levis inter auctores vertitur controverſia de duabus primis qualitatibus Hydrargyri, frigiditate, & caliditate, conſentientibus omnibus de humiditate, multis tamen falſa conjectura inductis, affirmantibus, iccirco hydrargyrum humidum eſſe, propterea quod duros tumores emolliat, perinde ac ſi id opus eſſet humiditatis, non alterius qualitatis. Aſſentior ceteris mercurii humiditatem, non tamen inde ſuaſus, quod duros tumores emolliat, animadvertens, eo plura humidiora eſſe, quæ tamen neque brevi, ut ille, neque multo longiore tempore duros ſcirrhoſoſque tumores molles efficiunt, reſolvuntque. Aliunde igitur petenda eſt reſolutio tumoris, non ab intruſa humiditate, videlicet petenda ab inſigni partium tenuitate, celeri penetratione, motuque valido concutiente, & atterente obſtantia. Difficilior eſt quæſtio de frigiditate, aut illius caliditate, quod alii conſtituunt duobus numeris frigidum humidumque, alii quatuor calidum humidumque. Enim vero de hiſce numeris, gradibuſque

arbi-

arbitrio magis, quam ratione definitis non diſceptabo, ſolum inquiram, utrum in eo excellat frigiditas, an calditas. Multa ſunt pro oppoſitis partibus rationum momenta, multique clari nominis oppoſitarum propugnatores, inter quos Palmarius credit, ſe litem diremiſſe, atque frigiditatem præpollentem eviciſſe, pluribus in id collatis argumentis, & obſervationibus, non tamen tantæ efficaciæ, quantam ipſe exiſtimavit. Montes, inquit, locaque omnia, teſtimonio Scrutatorum fodinarum, ubi delitefcit vivum metallum, craſſis denſiſque nebulis, nec in altum præ gravitate ſublatis circumdari, ab æſtate ardentiſſima pene nunquam aquæ penuriam pati, herbis viridiſſimis, tardeque ſeneſcentibus abundare, vix umquam flores fructuſque edentibus; omnia evidentia frigiditatis, copioſæque humiditatis argumenta. Anne tamen Palmarius omnes fodinas circumſpexit? An ne omnium una eademque facies eſt, omnium herboſa, & viridiſſima opulentia? Etiam in ſterili ſolo, ut Plinius affirmat [a], utriuſque argenti vena reperitur. Luſtratis fodinis accedit Palmarius ad ægrotos hydrargyrum expertos. Anno 1557 in quodam milite ab illius uſu ſemel iterumque repetito, exacto decennio, exorti ſunt duri tophi in ſincipite vehementer excruciantes, tandemque in abſceſſum converſi, ſanie membranas, cranium, cerebrique ſubſtantiam putrefecerunt. Interim neque extabuit æger, neque decubuit, neque cibi cupiditatem amiſit, donec ulcus ad cerebri ventriculos protenſum Lethargum, & inde ſubitam mortem intulerit. Quin etiam in aliis ſe vidiſſe affirmat ulceratum caput integra cute, unde ſuccreſcunt capilli ſine inſigni febre, quando tamen ex minimo capitis ictu, in quo cranio fracto, orta putredo meninges ferit, illico partes in-

(a) *Lib. 33. cap. 6.*

flammantur, morſque conſequitur, niſi ope modioli aperto cranio, exitus ſanici paretur: ex quibus fugacis argenti frigiditatem concludit frigida excrementa cumulantem febris accenſioni obſiſtentia. Idem quoque inde arguit, quod pluries Hydrargyrum paſſi difficulter purgantur, exiguntque majorem quantitatem cathartici propter frigida, uti putat, excrementa ea de cauſa ſuccreſcentia. Verius tamen quod Palmarius tribuit hydrargyro, videtur adjudicandum prægreſſo celtico morbo; in quo etiam abſque præmiſſa hydrargyroſi gravis putredo ſæpe nullam febrem accerſit. In Elephantiaſi, inquit Fernelius[a], in lue venerea, tanta plerumque putredine corporis tum interiores, tum externæ partes obſidentur, ut exeſæ quaſi laceratæ excidant, idque nullo febris indicio. Sic ab eodem morbo alteratis humoribus videtur potius adſcribenda difficultas purgationis, quam frigiditati Hydrargyri, ſequente uſu calidorum facile ſuperabili. Quamvis igitur ipſe pariter ſentio, animatum argentum frigidum potius eſſe, quam calidum, id tamen aliunde decernendum judico. Mauroceni, uti narrat Agricola[b], intenſiore calore ſomnum prohibente, ſuper utres aquoſo argento repletos recumbunt, refrigeratique dormiunt; idemque auctor pro certo tenet, illud ad loca frigida tanquam ad ſuum centrum ferri. Quid quod Spleſſius affirmat, ſe conjecto in patinam ſtaneam mercurio aquam affudiſſe, expoſitamque lunæ radiis vel æſtivo tempore in glaciem concreviſſe? Verum enim vero non deſunt, qui eidem non modicam caliditatem affigunt; ſiquidem mobilis eſt, impatiens quietis; incidit, attenuat, ſolvit, corrodit, febres, & inflammationes accendit, atque medicamenta ex eo parata, cujuſmodi eſt ſublimatum, & præcipitatum, calidiſſima ſunt.

Ne-

(a) *Lib. 2. de abd. rerum cauſ. cap. 13.* (b) *Lib. 9. de re Metal.*

Neque ſane inficias iverim, aliquando ex mercurio intemperanter uſurpato affectiones, quæ intenſo calori aſſignantur, genitas fuiſſe. Quidam Juriſconſultus ab audaci perunctore Hydrargyro delibutus, narrante Mangeto[a], in alvi fluxum incidit, nullo ſecuto ſputo; neque tamen ceſſatum eſt ab inunctione, dum ſupervenerit ardor faucium cum intenſa febri, aliiſque gravibus affectibus & lethalibus. Cadavere diſſecto iſtæc apparuerunt, ulcus lividum incipiens in cavis hepatis, veſicula fellea plena humore referente colorem, & craſſitudinem vini rubri, ventriculi fundus inflammatione Gangrenæ ſimili affectus, inteſtina pariter inflammata, liventia, & Sphacelo tacta. Cetera prætermitto, quæ minus ad rem faciunt. Vidi & ego Patavii ante paucos annos in quodam viro florentis ætatis, ſanguinei bilioſique temperamenti obortam febrem, quatuor dies perſeverantem ex inunctione permiſta tenui quantitate mercurii tribus ſolum vicibus facta. Hiſce contrariis argumentis plures circumventi eo confugerunt, ut crederent, fluens argentum diverſis partibus compingi, idoneis efficere contraria, aliaſque eſſe tenues, puras, ſubtiles, & quaſi ſpiritus, tot fomites caloris; fœculentas alias, craſſas, terreaſque, & hiſce vim refrigerandi ineſſe. Quam ſententiam ab Conciliatore indicatam Matthias Vvntzerus[b] fuſe proſequitur; nec inde multum receſſit Andreas Cæſalpinus Aretinus, qui favens Geberis placito, opinatur, in mercurio retruſam eſſe ardentem caliditatem ob denſitatem difficile in actum erumpentem, interimque refrigerari partes, quibus ille applicatur. Vvedelius quoque inter Juniores idem metallum arbitratu ſuo diverſis partibus compoſuit, ſulphureis, viſcidis, rotundis intime conjunctis cum ſalinis volatilibus, acetoſis, terreiſque.

Ergo

(a) *Biblioth. Medic. tom. 3.* (b) *Lib. 1. Anat. Spag. cap. 12.*

Ergo tanta partium diverſitas deſignatur in hoc metallo ad explicandos diſſimiles, oppoſitoſque, quos præſtat, effectus, quaſi illud ſolum contraria præſtare poſſet: cum tamen hæc poteſtas ad contraria communis ſit, aſſerente Galeno[a], ab eodem medicamento alia corpora quidem excalefieri, alia refrigerari; quod pariter ante Galenum adnotavit Hippocrates, & experientia oſtendit. Itaque, nec novum, nec mirum eſt, eaſdem partes & mercurii, aliorumque medicaminum pro diverſitate corporum, & diverſorum in eodem corpore accidentium vim acquirere ad contraria; unde emanavit tritum axioma: Quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Fac tamen ineſſe Hydrargyro totam illam imaginariam partium diverſitatem; inde nihilominus non reddetur ratio oppoſitarum actionum, quæ elici nequeunt, niſi per ſeparationem diverſæ partes ſui juris fiant. Veruntamen, reſpuente illo diſciplinam ignis in fornacibus Chymicorum, neque ſuorum elementorum ſecretionem patiente, qui fiet, ut multo infirmiſſimus noſter calor ea ſolvat, ſecernat, ducatque in actionem? Aliter igitur ratiocinandum eſt, & ſenſibus exterioribus, non ſola imaginatione conſtituenda eſt indoles æternum liquidi argenti, cujus ſcilicet ſub certa conditione frigiditatem, pondus, tenuitatem partium in infinitum dividuarum, mobilitatem, immutabilitatem, pernicitatem penetrationis, & ſenſus ipſe, & inde deductæ rationes præclare oſtendunt: ex quibus, & diverſitate corporum ab eo patientium deſumenda ſunt contraria, quæ videmus, effecta. Itaque mercurius natura ſua frigidus, donec certa mole ſimul cohæret, neque jactatur, corpora noſtra refrigerare aptum eſt; quemadmodum experiuntur Mauroceni, ſubſtrato ardorem lenientes, ſo-

(a) *Lib. 5. de ſimpl. Med. fac.*

ſomnumque conciliantes. Contra in minimas partes diſcerptus, atque a calore noſtro, vel alio interno ſtimulo incitatus non victus, quoquoverſus impetum faciens, omnes ſuccos agitat, agitatione calefacit, præparatque ad calidos morbos creandos: id quod uſuvenire opinor, cum exagitata excrementa copioſa ſunt, nec facilem exitum habent; vel cum ſanguis natura ſua calidior eſt, tenuis, facileque ſolutilis: cujus naturali miſtione perverſa, multæ fiunt infeſtæ partes, quæ naturaliter miſtæ, temperatæque ſalubres erant: uti mihi contigit videre in bene valente, qui ex inani ſuſpicione gallicæ contagionis, id genus remedii experiri voluit, ſuique experimenti pœnam luit febri, aliiſque affectionibus inde natis. Præditus erat calido bilioſoque temperamento, quo magis acta argenti mobilitas, & inquies adaucta non exiguam vim calefaciendi acquiſivit. Neminem autem latere poteſt, quantum robur ad agendum ex calore aſſumat Hydrargyrum, ſi ex eodem ſuffitum conſideret; ſiquidem ab igne minutiſſime partitum, impulſumque tot turbas in corporibus ciet, ut Alexander Trajanus ſuffitionem tantum uſurpandam decernat, cum affictiſſimus æger parvi facit, pereat, an vivat; idemque admoneat ſputatione defunctos, ut multa exercitatione, & ſudore metalli reliquias exigi curent, antequam igni exponantur, perículoſe jactaturo, ſi quid illius forte ſupereſſet.

Ex præmiſſis fortaſſis arduum non erit explicare, quo pacto a portentoſo argento intus aſſumpto craſſi, & coacti humores liquefiant, ſive venis inſint ſanguini immiſti, ſive ſecreti artus occupent, aliaſque partes exteriores. Ut illud in minimas rotundaſque partes, quibus conſtat, extritum eſt, impulſumque confeſtim ſe ſe quoquoverſus in partes inſinuat, concreta, & dura obſtantia concutit,

ſem-

ſemperque ad renovandos ictus paratum attenuat, ſolvitque, oppido adjuvante victoriam oppugnatoris ingenito pondere, & immutabilitate, nihil ab oppugnatis patiente. Iccirco vero principaliter noxios ſuccos diſſolvit, extruditque, quod natura ſui ſervatrix, uti vocatur a Tullio, in ſalutis reparationem conſpirat; ejuſque vim manifeſte deprehendimus in pluribus morbis ſalutares evacuationes abſque ſubſidio externo molientem. Quid mirum igitur ab eadem dirigi virtutem fluentis metalli in ſuccos nocentes? Sed de hoc plura in capite proximo. Si nunc quæras, quare commota, & diſſoluta potius per os, quam alios aditus amandentur, certum videtur, ſuccos uberius eo accurrere, quo concitantur ab impulſore, qui, ut vidimus ex Agricola, ad loca frigida tanquam ad ſuum centrum trahitur. Os vero fauceſque ab aere externo continenter refrigeratæ illius propenſioni accommodatiores præ ceteris videntur: quo pariter humores aquoſi facilius adducuntur, tanquam ad ſolitas & natura paratas vias excretionis. Adde, ſi placet, Hydrargyrum allici ad fauces a motu linguæ, oriſque: quippe obſervatum eſt, tarde erumpente ſputo, moras tolli per frequentem ſcreatum, linguam parteſque conterminas agitantem. Hoc loco me monet Tullius, ne plura adjiciam, & operoſior ſim, ad diſcutiendum problema, magis obſcurum, quam neceſſarium, & multis aliis in Medicina occurrentibus æquale. Quam egena, quam infelix illa foret, ſi obſcuritate, & ignoratione qualitatum, & modi, quo medicamina ſuos effectus promunt, ab eorum uſu abſtineret! Longius laborandum non eſt in veſtigando modo actionis, ubi conſtat de ipſa actione, ejuſque utilitate. Quanquam autem hydrargyrum peculiari dote ad glandulas oris accurrit, ductuſque ſalivales una cum humoribus agitatis ſolutiſque,

tamen

tamen alias etiam vacuationes movet, & ſæpe per alvum: imo non ſemel obſervavi pertinaciam gallici promptius ſubactam fuiſſe ſaliva ſimul, & alvo mota, quam ſola ſaliva. Patavii anno 1717 ſub finem Septembris Bartholomæus Adamus annor. 45 ob celticos dolores in toto corpore, & præſertim in utroque femore diu lecto affixus, meo hortatu, ſumpſit Calomelanos Riverii ad ſputum faciendum, quo large manante, ſemper alvus ſubſtitit. Inde dolor eſt imminutus, redditusque motus, ſed imperfectus, & breve ſpatium habiturus. Morbus enim recruduit, & fere annum integrum permanſit, tametſi aliorum ſuaſu tentata fuerint valida purgantia, & poſtremo agri Patavini balnea ſulphurea. Itaque menſe Septembris anni 1718, meo conſilio iterum accepto calomelanos, copioſa dejectio ſecuta eſt, diesque decem perſeveravit; iterumque ſputum feliciter proceſſit: quibus evacuationibus intra quadraginta dies penitus dolores ceſſarunt, reſtitutus eſt motus, etiam in præſens cum integra ſanitate perſeverans. Animadvertendum tamen eſt Tironibus, tum in hoc ægroto, tum in aliis nonnullis a me curatis, poſt inchoatam ſalivationem, fluxiſſe quidem largius ventrem, ſed ſine torminibus, mucoſiſque vacuationibus, quales ſolent apparere in Dyſenteria, & quibus apparentibus Sydenhamus ait, impediri curationem morbi, ſoliti tantummodo per ſalivationem profligari. In quadam fœmina ſalivante excretiones alvi erant liquidæ, copioſæ, & virides inſtar ſucci herbarum: in deſcripto nuper ægroto varii coloris erant, ſed quoque ſine torminibus. In aliis etiam vidi vacuationes bilioſas ſupervenire, & inde ſymptomata imminuta, præcipueque capitis gravitatem.

Kk CA-

C A P U T II.

An peculiares humores per os Hydrargyrum evacuet.

EXtra controverſiam, & dubitationem eſt, a mercurio non ſolum ſub forma ſalivæ educi humores lege naturæ derivandos ad ductus oris, ſed alios multos, qui vel intra corpus retenti forent, vel per alias vias excreti; & hac ratione extirpari morbos aliis remediis, vel nullo tempore, vel ſolum longiore ſuperabiles. Quemadmodum igitur de purgantibus quæſitum eſt, utrum omnes ſine delectu humores evacuent, an peculiares, id ſimiliter de mercurio exquirere animum ſubiit: quo ejus vires magis eluceſcant, uſus declaretur, comprobeturque. Comperta ſæpius morbi celtici curatione per ſalivam aquoſo argento elicitam, veſtigari cœptum eſt, quo pacto venenum illud extrahatur; multique crediderunt, non generali ratione fieri, ſed ob peculiarem convenientiam inter illud metallum, veneream que colluvionem: qui mihi videntur in ea dumeta incidiſſe, in quæ vidimus lapſos auctores, purgantibus vim ad particulares humores exigendos, aſſignantes: Lemerius exiſtimat, inguinis virus armari ſalibus acidis, & horum depulſione mitigari, ſubigique a mercurio tanquam alchali volatili, poris donato aptiſſimis ad involvendos acidos aculeos: quæ omnia arte ſua ſic explicat. Fit ſublimatum, inquit, corrodens additamento ſalis, vitriolique: cui miſtioni igne ſuppoſito inquietum argentum vaſis ſublimiora, frigidioraque ſcandit, eodemque rapit ſales acidos implicatos; ſimilique modo arbitratur in noſtris corporibus ab calore in caput, & fauces illud adigi, tan-

quam

quitur ad partem ſublimiorem frigidioremque, ſecumque rapere acida Pudendagræ. Antea tamen, ut ait, Hydrargyrum rarefactum, & agitatum a calore noſtri corporis per univerſum circumagitur, donec inveniat ſalem, abs quo quodammodo figitur, retineturque. Verum hac ſimilitudine, Lemeri, mirum in modum meum captum illaqueas. Si enim a ſale obviam facto illud figitur cohibeturque, qui fit, ut aſcendat in ſublimiorem partem corporis una cum ſale figente, & retinente? Illud etiam peccat tua ſimilitudo, quod aſſumit idem effici in mercurio a calore noſtri corporis, atque ab igne in Chymicæ fornace, inter quorum actiones tanta diverſitas intercedit. Lento igne primo reſoluta humiditate miſtionis paratæ ad conficiendum ſublimatum, ſeparat violentia ignis aculeos ſalis, & vitrioli a partibus terreis, & craſſis, ingreſſoſque inter capillares mercurii ſecum defert ad culmen vitri. Quid autem ſimile imaginari potes evenire ab eodem argento noſtrum corpus peragrante? Sales acidi venerei virus, ſi ſunt immiſti ſanguini, qua vi ab aliis partibus ſecernentur, ut poſſint ſe ſe expedite introducere Hydrargyri poris; ſicuti in vitro Chymico ſecernuntur opera ignis impoſiti ſales? Vide porro quantum differant per ignem ſeparati ſales ab acidis venereis intermiſtis humoribus. Quocumque Te vertas, nil ſimile invenies, ſive compares calorem humani corporis cum igne effectore ſublimati, ſive permiſtos ſales, multaque humiditate perfuſos cum ſejunctis ſinceriſque, nec humoribus innatantibus. Apage hæc monſtra ſimilitudinum, & ſemper inſtabili fundamento fultas ratiocinationes. Idem contra Lemerium tuetur Auguſtinus Belloſtius (a) inde docta ratione, quod ſi acidum, & acre in noſtris corporibus coagulantur mercurio, anum, veſicam,

(a) *Part. 1. Chirurg. Hoſpitalis pag. 73.*

aut penem ulceraret; dum movet excretionem, aut per alvum, aut per veſicam, & tranſit cum excretis per eaſdem partes; quas tamen intactas remanere experientia demonſtrat. Inanes igitur, quantum poſſum, conjecturas evitans, in ea ſum ſententia, ut credam ſupremi diſſolventis vires in acidos humores potiſſimum non intendi, nec iſtos vacuari, ſed quoslibet, & primum quidem procliviores ad liquandum, magis obvios, & faucibus propinquiores, deinde reliquos, ſive puri ſint, ſive impuri, uti Ettmullero[a] aliiſque viſum eſt. Ut ſanguinem longe, lateque certa quantitate ſubit, ſtatim agitat, concutit, ſolvit, turgere, & effervеſcere facit, uti declarant intumeſcentes carnes, venæ, arteriæque. Hac concitata procella tumultuque quis putet particularem potius humorem educi, quam paratiorem ad ſecedendum, accurrendumque ad reſeratas oris vias? *Scio* aliquos opinari liquidum natura argentum ſtatim aſſociari lymphæ, nec unquam ab ea ſecedere, niſi nactum fuerit emunctoria; cum quibus tamen nullam ſuæ opinionis rationem afferentibus parum negotii habendum eſt. Oris ulcera ab alia cauſa inflicta ſine opera Hydrargyri nonne liquidæ ſalivæ uberem affluxum excitant? Quid mirum igitur copioſiorem excitari ab illo latius os ulcerante, & ulcerationem comitante? Quid opus eſt imaginari conjunctionem inſeparabilem hydrargyri cum lympha, donec illud emunctoria aſſecutum fuerit? Si quis ingerat unciam unam mercurii crudi, licet ad alvum iſte devolvatur, tamen aurum ore detentum, ſicuti obſervatum eſt, dealbat, nullo ſputo excitato. Nimirum pauca illius quantitas ad os delata, quia non valet irritare, & ſolvere, neque ſputum provocat, tantum de more provocat ex copia ulceratione facta, non per conjunctionem me-

(a) *Pyrot. Rat. Lib.* I.

metalli cum aquoſo humore. Itaque non minus Hydrargyrum evacuans generale exiſtimo, quam Scammonium, Colocynthidem, idque genus alia: quæ ſicuti ratione ingenitæ facultatis omnes humores eliciunt, ex accidenti particulares, uti ſupra probabilius judicatum eſt; item mercurius, tum venereum tabum, tum alios particulares humores ex accidenti, & generali virtute vacuandi eliminat, non propter ſpecificam, ut ajunt, dotem. Veruntamen, inquies, ſi ſolvit ille, vacuatque indiſcriminatim expeditiores ſuccos, qui evenit, ut ſolvat, expellatque venereas impuritates, craſſas viſcoſaſque, & creantes in partibus externis duros, & gummoſos tumores? Cur magis liquida, quæ copioſa ſunt, videlicet ſerum ſanguinis, ipſe ſanguis, latexque lymphaticus prius non amandantur? Cur craſſiora attenuantur, fiuntque paratiora ad expulſionem, ſi nulla adeſt peculiaris cognatio expellentis cum expellendis? Ad hanc ſolvendam, quantum permittitur, difficultatem, & adimendam ambiguitatem, ſic mihi libet opinari. Supervacua, & infeſta interfuſa ſanguini minus arcte cum ipſo ſanguine copulantur, quam una pars ſanguinis cum altera: & hinc accidit, ut commoto ſanguine ab hydrargyro, excrementa promptius evehantur, evectaque magis ſentiant vim, impulſumque medicaminis: quod pariter tanquam aliquid extraneum una cum excremento a natura in ſuperficiem tollitur, ſemper nitente ad ejectionem extranei inſenſique. Itaque certum eſt, actionem mercurii, aliorumque vacuantium vitioſos humores cum ſanguine confuſos, dirigi a natura; eumque motum ab illis cieri intra ſanguinem, adjutrice natura, quem ipſa ſola ciet in multis morbis ſeparans purum ab impuro, & poſtea exturbans. Ad hanc directionem naturæ confugio, ut incertiora omittam, neque

meam,

meam, aliorumque imaginationem fruſtra fatigem. Præſidet illa toti Animalis œconomiæ, ejuſque agendi modus ex Hippocrate in eo conſiſtit, ut attrahat quod bonum eſt, convenienſque unicuique ſpeciei retineat, præparet, aut mutet; rejiciat vero quod ſuperfluum eſt, aut nocuum, poſtquam illud ab utili ſeparavit. Unde Hippocrates vocat naturam doctam, & juſtam, quaſi mente prædita foret; quod licet ab Aſclepiade deriſui habitum ſit, naturæ tamen regimen, quomodocunque fiat, certum apparet ex tot vacuationibus ſola ope naturali in ægrotationibus peractis. Verum quid in aliis vacuationibus conſiderem operam naturæ ſibi conſulentis? Hæc ipſa in ſalivatione præclare elucet facta in Variolis confluentibus Adultorum, in quibus tam frequenter excitatur, ut affirmet Sydenhamus, ſe unum tantum vidiſſe illis variolis laborantem, cui nulla ſalivatio ſupervenit. Totum opus eſt naturæ hæc ſalivatio a morbo inſtigata, quam idem auctor aſſerit parum cedere Pryaliſmo efficacia mercurii provocato, eſſe maximæ utilitatis, & præſidii ad tutandam ſalutem. Quemadmodum igitur motus naturalis, humorum concitatus a fomite Variolarum ita dirigitur a natura, ut pars fomitis per ſalivam utiliſſime exigatur; ſimiliter dirigitur incitatus ab Hydrargyro: quæ directio mihi finem inquirendi imponit, ne videar plus ſapere velle, quam oportet ſapere. Vvedelius, qui animato metallo vim elaſticam, præter alias indicatas qualitates aſſignat, exiſtimat, etiam ſero ſanguinis eam communicari, inde turgere, acredine ſalina imbutum concitatius fluere, exitumque per vias ordinarias quærere. Verum, ſi argentum gallici expugnator in ſolum ſerum vim faceret, adque os compelleret, ſequeretur, venereum venenum ſoli ſero admiſceri; quod non convenit cum pertinacia morbi, multo promptius

ptius ceſſuri ſudationibus, ſi fomitem in ſolo ſero haberet. Porro ſordes gallicæ, aliæque extra venas majores conſiſtentes, utcunque craſſæ, atque in dura tubercula elatæ, vi admirandi argenti late diffuſa percuſſæ, attritæque reſolutione potius, quam mutatione in ſalivam diſſipantur, pariter auxiliante natura ſemper inſtigata ad extraneorum ejectionem, & reparationem priſtini partium contactus. Nimirum diſſoluto craſſamento occupante exilia vaſa, glandulaſque in partibus externis, liberius eo accurrens ſpiritus caloris naturalis auctor una cum medicamento opus ſalutare disjectu conficit.

Scio apud Auguſtinum Belloſtium (a) Hydrargyrum in ea eſſe exiſtimatione, & honore, ut perſuaſum habeat, ab eodem crudo præſtito, admiſtoque purgantibus nihil ſani attingi, & turbari, ſola noxia una cum purgante detrudi. O ſtupendam, ſimulque incredibilem dotem! Etenim, niſi metallum eam acquirit ex admiſto cathartico, quod ſane nemo affirmaverit, ſequitur, ut ingenitam habeat, quam propterea poſſidebit etiam, quando propinatur ad ſalivandum abſque ullo mangonio. Id tamen apertum ſic eſt confutationi, ut mihi prorſus ſupervacua ſit, qui nuper indicavi, me vidiſſe notabilem ſalivæ copiam illinitione mercurii e corpore ſano, & ſanguinei temperamenti effuſam, cujus ſane materia, vel erat humor innocuus, vel aliquis humor alteratus a mercurio, poſtea illuc raptus. Attamen non defuerunt vigiliæ, eroſio gingivarum, & oris, ſputum gravedens, & aliquando cruentum, cum aliis moleſtiis conſuetis comitari Hydrargyri actionem. Ex quibus propterea colligere non poſſumus ſingularem cognationem illius cum humoribus acidis, vel acribus, vel aliter infeſtis, quaſi iſti ſoli educerentur, & in cauſſa fo-

rent

(a) *Par. 2. Chirurgi. Hundeshii pag. 34.*

rent ulcerationis, aliorumque ſymptomatum. Obſervavi tamen fœtorem ſputi multo graviorem eſſe in iis, qui a longo tempore contagionem ex inguine perpeſſi fuerunt, ejuſque virus in totum ſanguinem ſerpſit, vitiavitque. Quanquam neque id perpetuum eſſe, declarat hiſtoria apud Bonetum [a] de quadam Matrona egregie ſana, excepto recenti pruritu, cujus gratia illito umbilico unguento ex pomis & mercurio dulci, tanta concitata eſt ſputi copia, tamque fœtens, ut nullus eſſet ferendo.

CAPUT III.

Oſtenditur, Hydrargyrum ad ſalivandum remedium eſſe conſentaneum Dogmaticæ Medicinæ.

USus Mercurii lapſus in manus imperitorum, tantum remedium ſummo in honore habendum pluribus ſuſpectum reddidit, odioſum, metuendumque ex multis ægrotantibus ab inſciis perunctoribus interemptis, affirmante Ulricho de Hutten [a] Equite Germano, ſe vidiſſe multos in ejus curationis medio e vivis ſublatos, imo tres unico die. Verum id infortunium proprium, & peculiare liquoris argentei non eſt, ſed aliis magnis remediis improvide uſurpatis commune, tametſi aliquando minore celeritate effectus minus manifeſtum. Vereor etiam, ne peccata in ejus uſu commiſſa difficilius ſint emendabilia, quam aliorum: quo quidem monemur, diligentius cavendos eſſe lapſus, non eſſe uſum rejiciendum tanquam alienum a Medico rationali. Evidentem parit evacuationem, ex qua per habita experimenta non arduum eſt conſti-

(a) *In Theſaur. Medic. Pract.*

(b) *De Curat. Morb. Gal. per lignum guaiacum.*

ſtituere, quid eam indicet, quid impediat, quemadmodum ejus noxæ ſuccurratur: qua norma alia quoque violenta purgantia adhibentur. At enim uſus mercurii plenus eſt terroris propter infeſta ſymptomata, & plurium dierum afflictionem; prætereaque vel a Medicis peritis adminiſtratus interdum non bene vertit. Eſto: veruntamen terribilior eſt non aſpectu ſolum, ſed cruciatu, vitæque periculo præciſio membri emortui putrefactique Veteribus uſitata, factaque in parte ſana: quæ tamen relicta non fuit, donec mitiorem Fabricius ab Aquapendente invenerit. Pone aliquem in ultimum vitæ diſcrimen adductum a morbi venerei vehementia, alterum a membro aliquo in Sphacelum corrupto. Utrique providendum eſt, alteri Hydrargyro, alteri obtruncatione membri. Si daretur optio, an non, cui recidenda pars eſt, mallet ferre moleſtiam ſalivationis? Enim vero vitam protrahere cupienti nullum remedium acerbum eſt, ſi unicum eſt, & unicum identidem eſſe pro ſubigenda gallicæ luis ſævitia aliorum, & mea, me docent experimenta, quorum unum Tironibus propono. Anno 1717 uxor Mercatoris Patavini habitans in ampla via ad pontem moletrinarum, annum agens circiter quinquageſimum ſextum, temperamenti melancholici, proceræ ſtaturæ, gracilis corporis, capitiſque male conformati, & fluxionibus obnoxii, ſub fine Auguſti correpta eſt febri continua non admodum intenſa, in cujus declinatione univerſali intumuerunt malæ aurem verſus, & in dextra parte magis. Gravis erat ſuſpicio celticæ luis ob maritum eadem inquinatum, & leve ulcuſculum prægreſſum in pudendo; quod tamen, aliquot menſibus antequam febriret, coaluerat abſque remediis. Itaque levibus diſcutientibus adhibitis, genæ brevi detumuerunt, ſuperveniente frequenti ſcreatu, & copioſa

ſpuitione partim liquidæ, partim viſcoſæ pituitæ, noctis temporis uberiore. Rubebant per id tempus leviter fauces, tonſillæ, & columella, brevique tempore eroſæ tonſillæ, & columella moleſtiſſimam deglutitionem reddiderunt, nilque proficientibus internis, & localibus medicamentis ulcus dilatatum eſt, cum ſpuitione ſanioſa & graveolente, lenta febri, dolore capitis, & vigiliis. Hos angores vehementer onerabat deglutitionis eo provecta difficultas, ut modicum cibi vix poſſet ingerere, idque non ſine intenſo dolore. Fractis itaque viribus tot cruciatibus, cibique paucitate ad extrema redacta erat; quæ indeclinabilia videbantur, niſi Hydrargyrum ſubſidio veniſſet, in hiſce anguſtiis tam neceſſarium, quam in ſphacelo ferrum, & ignis: quæ ſi numeras inter rationabilia remedia, non video, cur eiſdem non accenſeas argentum æternæ inquietis. Qua propter primo die menſis Novembris, poſt factum periculum aliorum remediorum præbui decem grana Calomelanos Riverii, mane quatuor horis ante cibum, totidemque ad veſperum. Poſtridie adjeci tria grana, eamdemque quantitatem accepit duobus diebus conſecutis. Die quarto incœpit ſpuitio, crevitque uſque ad decimum, quo vires magis imminutæ ſunt, cœptumque aliquantum cor affligi, alvus ſolvi, ſed abſque dolore. Quando decreſcere ſpuitio viſa eſt, vireſque refici, inſtauravi remedium, præſcriptis triginta granis Calomelanos, in tres æquales portiones diviſis, tribus continuis diebus ſumendis. Iterum mediocriter intumuit lingua, quæ paulum detumuerat, ſputumque moderate auctum. Die decimo ſexto ab inchoato remedio ulcera tonſillarum, & columellæ in totum coalita apparuerunt, perſeverante tamen capitis dolore, nihil imminuto ad diem uſque vigeſimum quintum, quo mitigari incœpit, & in dies ma-

gis

gis remittens, penitus poſt trigeſimum ſecundum evanuit una cum ſcreatu materiæ viſcoſæ, remanente ſola & lenta ſputitione liquidæ ſine ulla graveolentia ad initium uſque Februarii, citra tamen actionum offenſam, imo cum inſolito appetitu ciborum. Actum erat, ut apparebat, de fœmina, omniaque propinqua morte ſqualebant, niſi præſto fuiſſet medicamen inventum numine Divum, & quidem non majori quantitate, quam duarum circiter drachmarum, eaque aliquot dierum intervallo, uti narratum eſt, accepta. Scio tam exiguam quantitatem, nec in omnibus temperaturis, nec in omnibus regionibus, nec in omni conditione morbi ſufficere, & minorem in aliquibus ſufficere. Namque, ut mihi affirmavit egregius medicus Xenodochii Patavini, ſolis quatuor ſcrupulis confecit curationem fœminæ ſordibus venereis inquinatæ. Cum autem perdifficile ſit, ante experimentum noſcere juſtam quantitatem porrigendam, provide inchoatur a tenuiore portione, ut ſecurior fiat progreſſus ad largiorem. Porro deſcripta ægra, quamvis dolore, fluxione, vigiliis, febre, & coacta cibi parcitate ad vitandam acerbitatem doloris inter deglutiendum admodum extenuata, nihil formidoloſi in toto curationis excurſu paſſa eſt, præter levem animi defectum: ex quo creditum eſt, me auſpicato non aſſenſum eſſe alteri Medico in conſilium vocato ante propinationem mercurii, cogitanti de majori quantitate præbenda. Id autem notatu dignum eſt, quod vix metallum ad fauces appulit, cum earum rubor, tumor, eroſio, dolorque in deglutitione miteſcere inceperunt, ſive id ab ejus qualitate contigerit, quam Bohnius ſedativam, & narcoticam appellat, ſive propter materiam, quæ ferebatur ad partes offenſas ad alias traductam, mox erupturam per aditus recens paratos. Quocirca, ſi in extremo periculo ad id experimentum tanto

cum commódo deventum eſt, cur idem in minore fidentius non experiemur? Haud me latet, ſolum extremis morbis extrema remedia convenire, ſed ejuſdem prudentiæ eſt, quos extremos morbos futuros eſſe providemus, extrema medela prævenire, conceptumque impetum retinere. Nec enim morbum extremum ſolo proximo vitæ periculo metiri opus eſt, ſed etiam poſt aliquod tempus futuro, & præterea metiri oportet ex diuturnitate plena moleſtiis. Quin etiam non facile conceſſerim hydrargyrum extremum eſſe remedium, ſi caute, ſi ſobrie uſurpatur, quippe a multis ſine vehementi moleſtia, vitæque diſcrimine toleratum. Profecto ſi comparetur forte vomitorium a morbo contumaci poſtulatum, quod non extremum, ſed tantummodo magnum remedium judicatur; cum hydrargyro, incutit illud breviore quidem tempore; ſed plus terroris, & pœnarum, nimirum languorem oris ventriculi, cordiſque, quaſi deliquium paſſuri, repetita irritamenta erupturæ materiæ, aliquando inania, ſed non minus moleſta, viſcerum convulſionem, & propemodum egeſtionem, rejectorum ingratum aſperumque ſaporem. Omnia magna magno conſtant, oppugnataque grandi ægrotatione ſalus exiguo pretio non redimitur. Recole alia multa, quæ medicina inter cruciatus molitur, dum oſſa luxata reducit, lapidem e veſica extrahit, cranium perforat, aliaſque partes incidit, vel comburit, & formidato mercurio terrorem detrahes: quem aliqui non ſolum minime metuunt, ſed ea fiducia uſurpant, ut quod Plinius omnium rerum venenum deprædicat, converti poſſe putent in communem omnium morborum medelam, ſi hanc hominibus concedere Superis placeret. Tam grandia, & præclara de Hydrargyro non meditor, non prædico, ſed pro certo teneo, de remediis perpaucis æque atque de illo

illo gloriari licere, quo ſupra vidimus fœminam ab inſtante fato liberatam fuiſſe, & ſcimus tot alios difficillimos morbos tam evidenter domitos, ut ejus victoriæ laudem nihil in dubium vocare poſſit, nihil imminuere; quod de aliis magnis remediis multo rarius, ſi ſerio attendimus, obſervamus; poſt quorum uſurpationem, vel morbus pergit ſævire, vel tam cito manifeſteque non mitigatur, expelliturque, ut expulſio ſoli remedio, vel ex majori parte adjudicari jure poſſit. Ulrichus de Hutten, de quo mentio nuper facta eſt, mira narrat de Guajaco comparato cum Mercurio; quæ referenda cenſui, ne videar partium ſtudio occupatus. Contagione gallica affectus tam miſeram vitam inter atroces cruciatus degebat ipſa morbi fœditate adauctos, ut nullum ex iis, qui tædio morboſi, afflictique corporis ſibi mortem conſciverunt, tanta dolorum ſævitia divexatum eſſe, crediderit. Novem annorum ſpatio undecies unguento ex mercurio illitus eſt, nec inde deſideratiſſimum levamen reportatum, morbuſque eo proceſſit, ut pro conclamato haberetur. Prius tamen Medici, quam ipſe, ſalutem deſponderunt, juſſus a ſuo bono Genio quiddam adhuc opperiri; nec eum ſpes feſellit. Hauſit decoctionem Guajaci, & inde opem de Cœlo miſſam, ut ait, percepit, tot ſedatis angoribus, qui nec hydrargyro, nec aliis remediis mitigari potuerant. Gratulor Ulricho ſuo bono Genio obſequenti de reparata ſalute, cui eadem fortuna contigit, atque Joanni Conſalve de Oviedo, qui primus in Europa id remedium expertus eſt, eaque felicitate, ut non ſolum ſe ipſum a gallico veneno redemerit, ſed alios multos in Hiſpaniis cum magno quæſtu. Veruntamen tam facile perfugium non reliquiſſent Medentes, niſi tot eadem tabe polluti reclamaſſent, fruſtra guajacum, & laconicum periclitati, non

fru-

ſruſtra hydrargyrum, ſucceſſuum frequentia inter remedia ad eam luem principatum adeptum. Quod ſi Guajacum aliquando efficacius fuit, favor Genii patrocinatus eſt, videlicet rara proprietas ſingularis naturæ, & accidentium perpaucis idem beneficium allatura. Gratiæ tamen habendæ ſunt providentiæ naturæ rerum omnium parentis, quæ cum ſingulos homines tanta temperaturæ diverſitate aſperſerit, tam variam etiam remediorum ſupellectilem ſuppeditavit, ut in pertinacibus morbis liceat, alia, atque alia experiri, ne ſpe cadens animus oneret deſperatione gravitatem morbi, difficultatemque curationis. Sua tamen laude, & utilitate non caret potus guajaci, imo inde præmiſſis univerſalibus, licet auſpicari curationem recentis affectus, poſtmodum gradum faciendo ad hydrargyrum, niſi experimentum guajaci reſpondeat. Poſtremo adnotandum eſt de mercurio ut molitore ſalivæ, eſſe quidem permagnum, & rationabile inſtrumentum ſalutis, ſed temerario proximum, niſi cauta, & parca manu adminiſtretur; & peccatum in ejus uſu commiſſum ſæpe gravius eſſe, quam reliquorum, quæ magna vocantur, ut etiam ſupra animadverſum eſt. Præditum eſt id genus argenti maxima mobilitate, quod quidem facile incitari poteſt a noſtro calore, aliove ſtimulo, non facile compeſci, incitatumque aptum eſt concipere motus pernicioſos, etiamque lethales, duntaxat declinabiles ſobria adminiſtratione, regenda diligenti meditatione corporis ad id remedium deſtinati, atque obſervatione effectus. Id ego pluries expertus ſum, nunquam infeliciter, ſemperque timidiores, cautioreſque imitatus, non animoſiores, fidentioreſque. Quoties poſt certam quantitatem pro ratione corporum præbitam vidi difficulter inchoari ſputum, nec fauſte procedere, ſed aliquos dubios eventus ap-

apparere, geminando quantitatem acrius non proſecutus ſum, ſed deſerui tentamentum ob incompertam diverſorum corporum naturam; & malui de me non multa laudabilia prædicari, quam unum aut miſeratione, aut reprehenſione dignum, ſic & natura mea inductus, & aliorum exemplo admonitus. Unum afferam in Tironum documentum, quod anno 1731 notum eſt contigiſſe Patavii in Mercatore Patavino temperamenti ſanguinei, & melancholici, boni corporis habitus, itemque quadrati, annorum circiter ſexaginta. Ulcere venereo circa fauces dire vexatus juſſu, & regimine Medici ſumpſit mercurium dulcem menſe Aprilis quatuor diebus continuis, & ſingulis diebus drachman unam, dimidiamque. Parum intumuerunt genæ, fere nihil ſalivæ effluxit, ſed facta copioſa dejectione materiæ viridis, graviterque fœtidæ, die quarto ab aſſumpto mercurio aliquot horas jacuit apoplecticus, poſteroque die repetito ejuſdem affectionis ictu mortalitatem explevit.

C A P U T IV.

De Indicante Salivationis per Hydrargyrum.

FActa collatione Hydrargyri ad ſalivandum cum aliis remediis, quæ Scholæ magna nuncupant, liquido apparet, & magnum eſſe, magnorumque principem, ejuſque indicans a magnitudine morbi petendum eſſe, ut indicatum indicanti reſpondeat. Verum, quia magnum remedium unicum non eſt, neque unicus morbus magnus, ex hac multiplicitate grandium remediorum, morborumque, ſequitur, ut comperta magnitudine morbi, protinus non appareat debiti auxilii magnitudo, quæque requiratur,

ratur, inveſtiganda remaneat. Cum autem *inſtabilis ar*genti, de cujus indicante quæritur, non ſatis ſit cognita, exploratаque per cauſſam natura, nulla ſupereſt alia via illius venandi, quam percurrere morbos, quos ſcimus provocatione ſalivæ identidem curatos fuiſſe; ſicque per effectum provocatoris virtute detecta, & declarata, ejus indicans generale conſtitui poterit. Ergo inter morbos mercurio expugnatore ſubactos principem locum tenet ex ſanioſa venere contractus, deinde refractaria Scabies, quæ ſua contumacia prætendit occaſionem tanti remedii adverſus gallicum inveniendi, ſecundum illam Impetigo, Lepra, aliique multi cutem inſidentes. Facilius ſcabies, difficilius impetigo, & lepra curantur, lepræque tantum incipienti Nicolaus Maſſa ex ſententia Theodorici, & Arnaldi Hydrargyrum admovet: quippe quæ, ubi partes late occupavit, curationem non recipit, obſiſtente humore impenſe craſſo, lento, limoſoque ejuſdem effectore. Vix nata lepra occalleſcit, obluctaturque remediis victrix remanſura mature non uſurpatis, atque in ipſo morbi adventu. Nil mirum igitur, ſi Vvilliſius duobus lepra affectis fruſtra inconſtans metallum adhibuerit; qui inveteratam adortus eſt, vel naſcentem non facile expugnabilem. Quidam ex cognatione humoris lepram, cancrumque producentis, ad naturam atræ bilis relati, idem remedium adverſari judicarunt, tentarique in utroque haud temere poſſe. At in Cancro intus aſſumptum ſalivæ ducendæ gratia exitiabile experta eſt fœmina a Boſchetto relata, in qua pullulas celticas, tophos, fœdaque ulcera ſanavit, non cancrum in mamma ad piſi magnitudinem: qui inſuper recruduit, auctuſque exulceratus eſt cum effuſione nigræ saniei, tandemque miſeram cum doloribus diu luctatam extinxit. Quamvis igitur lepræ cauſa particeps

eſt

eſt atræ bilis, minus tamen parata eſt ferocire, propter admiſtionem craſſæ pituitæ, temperantis ſocii humoris acrimoniam: qua temperatione caret Cancer, progenitus ab retorrido ſanguine, exuſtaque bile. In quibuſdam tamen ulceribus malignis diſpar exitus eſt, quæ conſtat ope mercurii feliciter coaluiſſe. Regii vir nobilis; uti mihi narravit celeberrimus Antonius Valliſnerius, noſtræ Academiæ, dum in vivis erat, primarius Profeſſor, temperamenti calidi humidique ſub annum vitæ 35 patiebatur ulcus in lingua cacoheteum, ſive malignum, invictum pluribus remediis anni unius curriculo tentatis, multorumque conſenſu pro deplorato habitum, præcipueque Pielæ celebris Profeſſoris Chirurgiæ Bononiæ, qui Regio tranſiens, atque ad ægrotantem accerſitus, nihil præter mitigantia propoſuit, cauſatus morbum eſſe quaſi inſanabilem, eoque laborantium duntaxat centeſimum reſtitui. Dum ita jactabatur æger, omni ſpe adempta, quidam Empiricus, nomine Raſponus montium regienſium incola, caſu ad eum perductus ſpopondit ſalutem, quaſi in pera gereret. Nec mora. Traditus æger Promiſſori ſalutis, cujus clava erat inunctio ex Hydrargyro nigro colore infecta, ad ſpeciem arcani comparandam, ad veſperum illitus eſt, & nocte adeo fauces cum lingua intumuerunt, ut non niſi difficulter ducere poſſet anhelitum. Non ideo expavit Empiricus mane viſa circa fauces procella, imo lætabundus inde ſpes concepit, unde periculum impendere videbatur, juſſitque, ut quo pacto poſſet, gargarizaret, oſque ipſe digito perfricuit. Ita inſtantem fluxum ſputaminum accelerravit, qui viginti dies perſeveravit, iterato tamen per id tempus non ſemel illinimento; idemque fuit ſalivationis terminus, & morbi radicitus evulſi. Idem Empiricus, ut fama fuit, etiam Strumas, Scirrhos, Coxendicem, alioſ-

Mm que

que obſtinatos dolores, affectuſque eodem remedio fugavit. Ac ſane, quod attinet ad duros tumores externarum partium, ſive ab immundo concubitu, ſive aliunde genitos, aliis emollientibus, reſolventibuſque invincibiles, virtute mirifici argenti diſſipari non raro viderunt alii, nec ſemel ipſe vidi. Pariter dolor iſchiadicus ordinariis remediis diu obluctatus, etiam ſine opera fœdatæ veneris productus, ſæpe per idem remedium expulſo mali fomite ſedatus fuit. Quinimo Joannes Muys[(a)] ſuo fultus experimento decernit, podagram, celticamque affectionem uno eodemque modo curari poſſe; atque Vvedelius refert podagricum ab illitu *mercuriali* tres annos cum ſingulari levamine tranſegiſſe. Eſt utraque affectio ſpecies Arthritidis, ut irrationabile non ſit, comperto levamine in Coxendice, transferri poſſe remedium ad Podagram, habita tamen ratione humoris peccantis, temperamentique, vitando calida, tenuibuſque humoribus feracia. Vidi Venetiis in Patricio magni nominis a quodam extero Medico uſurpatum Hydrargyrum ad minuendam moleſtiſſimæ Podagræ frequentiam male vertiſſe; nec ſine metu inchoatam curationem relictam fuiſſe. Erat æger calidi temperamenti, proceræ ſtaturæ, afluenſque tenuibus, calidiſque humoribus, frequenter podagra conflictatus. Pergo breviter enumerare morbos aliquando ſalivatione ex mercurio ſubactos. Ejus facultatem ad tollendam ſuffuſionem fortaſſe prius caſus oſtendit, quam hominum ſpeculatio. Quidam, uti narrat Alexander Trajanus[(b)] antequam morbo venereo afficeretur, altero oculo cœcus erat, denſiſſima ſuffuſione occupato, illituque fluxi argenti a cœcitate, & gallico evaſit. Itaque docti viri in vitiis oculorum a craſſo lentoque humore, vel nervos opticos, vel arterias re-

tinæ

(a) *In Praxi Chirurg. rat.* (b) *Lib. 5. de mor. Gal.*

tinæ occupante, & obſtruente, vel aliter viſionem impediente maturandam eſſe ſalivationem dijudicant; confirmantque judicium plura exempla per eam reſtitutæ viſionis apud Boyle, Fonſecam, Riverium, alioſque. In Paralyſi eodem remedio Vvilliſius, Junchenius, alique utuntur, dummodo æger ſit robuſto temperamento, neque doloribus capitis, neque vertigini obnoxio, ſcateatque craſſis, & viſcoſis humoribus. Solent hi congeri occaſione gallici inquinamenti: ideoque in Paralyſi illud ſecuta ſecurior, feliciorque eſt uſus Hydrargyri, proſperum eventum non uno oſtendente experimento. Dominicus Brazza Patavinus, uti mihi narravit doctiſſimus Profeſſor noſtræ Academiæ Jacobus Placentinus, ex viru venereo laborans ingenti capitis dolore, gummoſoque tuberculo menſe Aprilis anni 1724 poſt varios inſultus Epilepſiæ correptus eſt Hemiplegia, ex qua nil ſenſit imminutum capitis dolorem, imo interdum ita adauctum ſenſit, ut mente perturbaretur. Itaque præmiſſis venæ ſectione, largiſque potionibus præbita eſt ſpatio viginti circiter dierum paulo plus uncia una aquoſi argenti, effuſaque inde magna quantitate ſalivæ, redivit motus reſolutorum membrorum, ſedatus capitis dolor eſt, habituſque totius corporis largiore nutritione refectus.

In morbo comitiali, uti videre eſt apud Bonetum, Rolinficium, Vvilliſium, alioſque ſalivatio ex argento fugaci ſalutaris apparuit: & experientiſſimus Rotarius mihi teſtatus eſt, ſe Veronæ aliquot epilepticos eadem ſputamimum effuſione curaſſe; contraque Trincavella aſſeverat, ſe vidiſſe in patre, & filio ex inunctione *mercuriali* excitatam Epilepſiam. Similiter Vvilliſius adortus mederi Paralyſi in juvene fœmina ejuſdem remedii opera vidit, inde oriri gravem Cephalalgiam, vertiginem, motuſque convulſi-

vos Epilepſiæ initia. Cur vero mercurius aliquando illam inflixerit, aliquando diſpulerit, in ſolam diverſitatem cauſſæ, aliorumque concomitantium rejiciendum eſt. Propria Epilepſiæ cauſſa profunde latet, & a Fernelio imputatur veneno intus genito, cujus natura, ut aliorum venenorum ignoratur. Attamen ex principali ſede morbi, totiuſque corporis ſtatu lucem aliquam elicere poſſumus ad occaſionem nanciſcendam, vel utendi hydrargyro, vel abſtinendi. Cadit in conjecturam, utrum Epilepſia fiat vitio primario capitis, an ſubjectarum partium, quove humoris genere corpus abundet; quod craſſo abundans ſine vitioſitate inſigni capitis reddit probabilem uſurpationem mercurii, & præſertim niſi æger ſit egregie melancholicus.

Pro vero Hydrope, hoc eſt Aſcite nonnulli commendant Hydrargyrum ad ſalivandum, antequam tamen ruptis vaſis lymphaticis fuſus eſt humor in cavitates, perſuaſum habentes, cauſſam principem eſſe glandulas ventris obſtructas, nec iſtas citius, & certius expediri, quam ope diſſolventis argenti. Qui profecto, ſi Aſcites ab ea cauſſa primario ſemper produceretur, & claræ apparerent notæ, ſerum duntaxat tumefeciſſe vaſa, non rupiſſe, invalide ſuam ſententiam non ſuſtinerent; quando mercurius creditur efficax ad ipſos Scirrhos molliendos, diſſipandoſque. Verum cum certi ſumus de Aſcite, ex æquo certi eſſe non poſſumus de tumore ventris ſolum genito a tumentibus vaſis abſque effuſione aquæ: & præterea mali origo variat pro diverſitate offenſorum viſcerum; imo interdum ipſe ſanguis effœtus, & ſpiritibus exhauſtus, abſque prægreſſa viſcerum offenſa in cauſſa principali eſt. Qua poſita ſanguinis imbecillitate, & proclivitate ad ſolutionem timerem operam maximi diſſolventis, nec adhiberem niſi poſtu-

ſtulatum a materia craſſa, & glutinoſa obſtruente, morbumque fovente.

In Scorbuto, uti placet Vvillisio, qui de eodem prolixe agit, duplex eſt ſanguinis vitioſitas, altera per quam ſulphure præpollente ſanguis inordinate effervefcit, requiritque temperata; altera, in qua ſal evectum, ſulphurique dominans ſanguinem denſat, veluti mucilaginoſum efficit, tardique motus, & iccirco indigum attenuantium, & exſolventium, inter quæ Juniores numerant mercurium, & inde motum ſalivæ profluvium. Idem auctor etiam pro curatione quartanæ non dubitavit, levem ſputationem ciere in Virgine perilluſtri vehementer optante ſalutem, quovis hæc modo reparari poſſet; affirmatque, inchoata ſalivatione ſtatim ceſſaſſe paroxiſmos; quibus tamen temporibus ingruere ſolebant, perturbatum fuiſſe totum corpus, cum cordis palpitatione, & Lipothymiæ metu. Opinor autem, id periclitatum eſſe Vvilliſium in quartana, quæ cenſetur genita ab humore craſſo, tardique motus, non tamen periclitaturum fuiſſe in tertiana, ſobole tenuioris humoris. Ante Vvilliſium Ballonius perhibuit, quartanam cum tibiarum ulceribus hydrargyroſi ſanatam fuiſſe. Aliis morbis fluor oris incitatus ab Hydrargyro conducibilis exiſtimatus, adhibituſque eſt, ſed enumerati ſufficiunt ad indicans ejuſdem ut educentis ſalivam conſtituendum: quod eſſe decerno principaliter humorem, viſcoſum, glutinoſum, difficile mobilem, concreſcere paratum, non inflammari, qui morbum magnum contumacemque, ſolitiſque remediis reluctantem creat, vel mox creaturus eſt. Poſſunt hercle diverſi morbi a ſuccis craſſis, & viſcoſis generari, ſed omnium unica eſt curationis ratio, inciſio, & diſſolutio, viam ſternens ad evacuationem; quibus viribus pollet mercurius, ſi cetera ejus uſurpatio-

pationem permittunt. Neque vero ſtatutum indicans attinet pluribus confirmare, vel ſolius gallici curatione ſat clare oſtenſum, cujus cauſſa quam viſcida, aptaque ad concretionem ſit, demonſtrant dura inde nata tubera, difficillima ſolutu, ipſaque cadaverum inſpectio, affirmante Nicolao Maſſa[a], ſe ſe in Noſocomiis proſecuiſſe cadavera multorum, qui laboraverant inguinis lue, & in hiſce repetiſſe venas plenas materia pituitoſa alba, ſanguinis quantitatem ſuperante: qua item loca excruciata repleta erant, imo in aliquibus etiam lacerti. Quid quod Georgius Philippus Nenter[b] decernit, ad curationem luis venereæ recentis, & mitioris magis facere ſudationem, & vacuationem per urinas, quam ſalivationem per hydrargyrum, & hanc utiliorem eſſe in inveterata, animadvertens ab illo non invadi venereas ſordes, cum adhuc ſubtiliores ſunt, & teneriores? Etiam Archibaldus Pitcarnius obſervat, in borealibus regionibus, ubi ſordes denſiores ſunt, gravioreſque, morbum venereum hydrargyro expugnari, in auſtralibus decocto Guajaci, ſalſæ Parillæ, Oxylapathi, Bardanæ, & ſimilium. Porro actionem mercurii dirigendam eſſe in craſſa, & glutinoſa purgamina comprobat virus glutinoſum lepræ, initio morbi per illum expugnabile, ſimiliterque comprobat non multum abſimilis humor obſtinatæ ſcabiei eodem remedio ſolutilis; comprobant etiam dura tubercula in partibus exterioribus ſine celtico inquinamento oborta, eoque in emplaſtris appoſito diſcuſſa. Reliquas circumſpice enumeratas ægrotationes, & in omnium cauſſis aliquidpiam ſimile venerei ſucci invenies, & ſi cum aliis qualitatibus conjunctum, vel diverſum intenſione, aut remiſſione. Quamvis autem vis hydrargyri ſit opponenda primario humori viſcoſo, craſ-

(b) *Epiſt. Tom. 3.* (a) *Cap. 8. de Lue Vener.*

craſſo, & pituitoſo, tamen evenire poteſt, ut ejuſdem operam petat ſuccus non valde craſſus, & viſcidus, ſed profunde retruſus, cujuſmodi eſt humor Coxendicis effector, qui tametſi non valde craſſus foret, ob loci profunditatem, niſi alio conatu abduci poſſet, liquidi argenti efficacitatem poſtularet. Scio multorum eſſe ſententiam, vim Hydrargyri ſpeciatim in humores acidos intendi, ſive hos venerea contagio comparaverit, ſive alia quæcunque cauſſa. Quo tamen conceſſo, non mutatur indicans ejuſdem a nobis conſtitutum, videlicet lentor, aut craſſities humoris difficulter ſolutilis. Cum enim acidi proprium ſit denſare, & cogere, & inde contumaces morbi producantur, hos non alio pacto curat mercurius, quam diſſolvendo denſa, & coacta, ſuarum partium tenuitate, & impetu ſibi viam per ea muniens, iteratiſque ictibus frangens, contereſque acidi aculeos arcte invicem complicatos. Quamobrem contrarietas, quæ luculentior apparet inter hydrargyrum, cauſſamque morboſam, verſatur inter illud, qua ſolvens, humoremque, qua indigum ſolutionis: & hac indigentia proficiſcente a craſſitie, & lentore, inde depromptum eſt indicans generale tanti remedii.

Ex recenſitis præcipuis affectibus, in quos hydrargyro pugnatur, apparet idem multiplex eſſe remedium, æque ac venæ ſectionem, & purgationem, videlicet evacuans, revellens, derivanſque. Adhibitum iſchiadico dolori ſedando per ablutionem cauſſæ, evacuans ſimul eſt, revellenſque; quatenus humorem ad coxam delabentem inde retrahit, perque ſuperiora educit: in capitis vero affectibus, puta, tuberculis, doloribuſque venereis uſurpatum derivans eſt, evacuanſque, per partem proximam mali fomitem detrahendo. Quod ſi humores educendi per univerſum corpus ſparſi ſunt, infliguntque morbum toti commu-

munem, potiſſimum ut evacuans conducit. Cum autem has evacuationes efficit, ſemper vim ſuam attenuandi, liquandi, reſolvendique exerit, neque tamen ſemper manifeſtis excretionibus declaratam. Hæc diſſolvendi facultas non raro, ſicuti obſervatum fuit, tanta eſt, ut ſine ſenſibili excretione alicubi excitata dura tubera demoliatur, eorum materia in minima, & inviſibilia extenuata.

CAPUT V.

De impedimentis provocandæ ſalivæ per Hydrargyrum acceptis a rebus naturalibus, & non naturalibus.

EXcretio ſalivæ per inſtabile metallum ratione ſymptomatum, ſpatiique, quo ſolet perdurare, dum inſtituitur ad fortes, pertinaceſque morbos profligandos, omnibus magnis ſupra deſcriptis evacuationibus anteferenda eſt, majoremque adminiſtrantis diligentiam requirit in explorandis viribus ægrotantis, & opportunitatè ad remedium, diſcenda ex iiſdem rebus, quibus vidimus, alias magnas vacuationes regi. Ut igitur aliarum commodam occaſionem facilius inventuri percurrimus impedimenta, quæ interponi poſſunt; ſic eadem via pergemus ad inveniendam idoneam adminiſtrationem ſalivationis. Primum autem obicem omnium ingentium excretionum viribus infenſarum certo certius eſt, ab imbecillis viribus occurrere, eumque tanto fortiorem eſſe, quanto major imbecillitas apparet. Deterremur acciſis viribus ab inciſione venæ, & purgatione; quanto magis deterrebimur a ſalivatione, quæ non ſola continuatione excretionis, & copia lacertos quatit, ſed pluribus aliis infeſtis ſymptomatis?

matis? videlicet faucium, & gingivarum inflammatione, eroſione, eroſarum dolore, vigiliis, cordis anxietate, miſſis aliis aliquando ſupervenientibus, fortioribuſque ad vires perfringendas. Quare Sydenhamus eam vacuationem peracturus, neque phlebotomiam, neque purgationem præmittit, contra quam multi ſolent, quo corpus robuſtius valeat perferendæ medicaminis violentiæ. Prima igitur conditio eſt eam ſubituri firma virtus, principale impedimentum infirma; quod extra omnem controverſiam poſitum eſt, ſupraque expoſitum, quemadmodum virium debilitas repugnans magnis vacuationibus conſideranda ſit, noſcendaque. Alias itaque res naturales, ſcopoſque ſecundarios, ut Scholæ vocant, penſitemus, in quas difigendi ſunt oculi quodlibet grande remedium uſurpaturis, initio facto abs temperie naturali totius corporis, partiumque principum. Nicolaus Maſſa ita tutum judicat Hydrargyrum, ita omnibus temperaturis accommodatum, ut omnes citra periculum experiri poſſint. Diſſentit Palmarius, melancholica, multoque magis pituitoſa corpora id genus remedii ſine noxa inemendabili pati non poſſe opinatus, eidemque aptiora eſſe corpora calida & ſicca. Aliquas ego ex primis qualitatibus minus appoſitas eſſe ad luctandum cum mercurio exiſtimo, nullam ita imparem luctæ, ut illius uſum plane vetet, donec intra ſanitatis confinia ſubſiſtit, quæ habent certam amplitudinem, in temperatura naturali, quam quiſque ab ortu ſortitus eſt. Dic, quæſo, quænam hujuſmodi temperatura in totum prohibeat uſum mercurii? An metues cum Palmario, ne partes laxiores in temperaturis pituitoſis labefactentur a validiſſimo diſſolvente, & irreparabilem perniciem incurrant? At multi cum Lemerio præparant corpora ad uſum illius longo tempore præmiſſo balneo, quod

humectat, laxatque partes: imo Petrus Foreſtus [a] ſentit pituitoſos minus offendi ab ſuffitu, qui vehementior eſt inunctione. Occurrere inſuper potes formidato periculo decocto ligni guaiaci, vel alio roborante. Mihi periculoſior videtur mercurius in temperaturis calidis, ſiccisque, uti pariter viſus eſt Petro Foreſto loco citato, aliiſque: nimirum quia calidiores ſiccioreſque ſucci, & vehementius valent impellere mercurium, & perniciosam acrimoniam facilius contrahere. Palmarius timens in pituitoſis temperaturis uſum fluentis metalli, non timens in calidis ſiccisque, reſpexit ad frigiditatem, tanquam nocituram pituitoſis, & profuturam biliosis. Quid autem attendetur illius frigiditas, negligentur aliæ qualitates magis activæ parabileſque a noſtro calore ejuſdem partes dividente, & mobilitatem incitante? Unde inopinati effectus adventitiæ caliditatis in ſalivantibus corporibus ſæpe comparent, uti ſuperius dictum eſt. De illis etiam corporibus metuo, uti ab aliis quoque animadverſum fuit, quorum facies impenſe rubet, caput fervido, copioſoque ſanguine irrigatur, promteque dolore afficitur.

Ætates, quæ in aliis inſignibus vacuationibus moliendis non leve momentum habent, non diſpar habent etiam in motione ſalivæ. Infantiam, quam Galenus, aliique graves auctores venæ ſectioni eximunt, vetiti copioſam continuamque puerorum ſubſtantiæ diſſipationem, & inde ſequentem virium infirmitatem, qua fiducia ſalivatione exercebimus? An poterunt tenella corpora, & levi quacunque de cauſa cum detrimento mirabilia afflictionem ſalivationis ſuſtinere? Non poſſe, a pluribus judicatum fuit, non tamen a Nicolao Maſſa Unctorum ſtrenuo patrono, & pene anteſignano, nullam ætatem ſubducente

(a) *In Scholiis Obſervat. 10. de Lue Ven.*

te ſputationi ex mercurio, quæcunque illa fuerit: idemque non minus intrepide decrevit Leonardus Botallus[a], hoc fretus experimento. Infans nondum bimus a fœda nutrice infectus torquebatur artuum dolore, ulceribuſque verrucoſis circa os, anumque; qui deinde ſugendo lac a matre eamdem polluit, iſtaque patrem. Cum autem parentes illinimento *mercuriali* curaſſet Botallus, forte fortuna quidpiam ex eo ſuperfuit, præbuitque in ætate infantuli grandis experimenti occaſionem. Namque mater fletu puelli permota, qui communem calamitatem paſſus, ſolus præſidio deſtituebatur, eum alternis diebus reſidua unctione illevit, donec gingivæ rubere incœperint. Stillavit os non multum, neque longiore tempore, ſed ex æquo natus, genitoreſque firmam integramque ſalutem recuperarunt. Hinc animis ſumptis Botallus affirmat, ſe idem in aliis pueris tentaſſe, eumdemque ſucceſſum impetraſſe: quorum tamen curationem cum minime deſcribat, non ſufficit, quod ſatis eſt ad imitandum. Quantum ad me attinet in re tam lubrica ancipitique numeroſa exempla cum omnibus circumſtantiis ſincere relata requiro, ut exciter ad imitationem: imo Epicarmus, qui ait, nervos eſſe prudentiæ, nemini credere, ad excutiendum omnem metum dubii experimenti ineundi, mallet uti ſuorum oculorum teſtimonio, quam aliorum. At enim præter Botallum, Amatus Luſitanus, Maſſa, Rudius, aliique aſſeverant, eamdem ſibi fortunam obtigiſſe, & populos hydrargyro a ſe auſpicato tractatos fuiſſe. Quoniam autem multi decantant ſecuritatem Hydrargyri in pueris provocando ad eventum Fabricii Hildani[b], quæſo, id penſitemus. Cum famulo lue venerea fœdato Dominus peregre proficiſcens dormire coactus, morbum contraxit, domumque

N n 2 rever-

(a) *De rat. curand. Luis Ven. cap. 10.* (b) *Centur. 5. Obſervat. 73.*

reverſus communicavit uxori prægnanti, & lactanti infantem viginti circiter menſium, qui ſimiliter infectus eſt. Curationem Hildanus orſus eſt Syrupo purgante magiſtrali, quo pariter infans lactens purgatus fuit, deinde proſecutus illinitione ſolius matris; nihilominus infans licet non illitus multum pituitæ fudit. Quo comperto Hildanus removit puerum ab uberibus matris, juſſitque poni in alio lecto ad metalli vaporem evitandum, qui nihilominus una cum matre convaluit. Habes decantatam a pluribus curationem; ſed non habes, mea ſententia, cur Hydrargyrum in infantibus omni periculo vacuum prædices? Multum, uti narratur, exſpuit infans pituitæ; idque dono contigiſſe a vapore mercurii, tametſi infantes etiam abſque eo ſtimulo interdum multum liquidæ pituitæ effundant, ut omnes nutrices norunt. Hildanus tamen non permiſit ultra puerum apud matrem jacere, certe veritus ex longiore decubitu noxam. Sin autem timuit ille infanti vaporem mercurii a matre prodeuntem, cur inde ſuadeberis de illinitione, vel propinatione ejuſdem ad ſalivandum? Apage, ſi logicus es, hæc exempla ad aſtruendam ſecuritatem animati metalli in infantibus. Non ideo totam pueritiam huic remedio ſubtraho, ſed grandiores pueros ſubjicio, dummodo reſtrictius adminiſtretur, accommodateque ad ætatem; nec alia ratione curari poſſint; videlicet per ipſum mercurium admiſtum purgantibus. At in ſenibus quid decernendum? Senectutis frigiditas, vireſque debiliores ad reſiſtendum fortibus mutationibus, cautiorem exigunt fortis remedii adminiſtrationem, ſed ante extremum ſenium nihil eſt, quod in totum illud prohibeat; idemque ſanciendum de robuſto ſene ad ſalivationem, quod conſtituit Celſus ad venæ ſectionem.

In aliis rebus non naturalibus nihil ſupereſt examine dignum præter gravidationem, quam tametſi Nicolaus Maſſa[a] nullum habere momentum credit ad interdicendam ſalivationem, quicunque ſit illius menſis; nihilque periculoſi ab eadem metuit Hildanus, ſine diligenti meditatione id negotium tranſigendum non judico: de quo mihi ſollicitudinem non minuit Varandæus[b], affirmans, ſe vidiſſe plures gravidas ab inguine immundas, ſalivationem provocante mercurio ab Empiricis præſtito, reſtitutas. Non contemno, nec parvi facio experientiam, ſed apud Medicum rationalem conſilium præcedat oportet, quo aſſeritur ab infamia inopinati fortuitique eventus. Sæpe narrantur ſecunda, ſupprimuntur adverſa, & licet concedam, aliquos ægrotos ab Empiricis audacter ſanatos eſſe, conſtat etiam aliquos audacter, & ſine controverſia perditos. Hæc igitur medela ad conſilium accuratiſſime exigenda eſt, non Empiricorum more conſideranda, uſurpandaque, qui ſæpe paucis exemplis neque ſollerter expenſis in actionem ducuntur. Majores ſane turbas parit excretio ſalivæ per mercurium, quam purgatio per alvum facta mediocri purgante, quod tamen non omnino tutum eſt matri, fœtuique, præſertim illi juniori, vel ſeniori. Quanto igitur erit hiſce temporibus provocatio ſalivæ periculoſior? At, dejiciens pharmacum, inquies, propellit humores uterum verſus, & hac pulſione efficacius eſt ad abortionem ſalivatione; quæ humores ab utero retrahit, adigitque ad ſuperiora, ſuoſque tumultus procul ab utero ciet. Rite concludis hoc ſolo motu humoris animadverſo, ſed aliunde redditur magis abortivum hydrargyrum, videlicet a magna vi diſſolvente, & liquefaciente: quæ quoquo verſus effuſa, cur non metues, ne ad uterum, fœ-

(a) *De Mor. Gal. tract. 4. cap. 1.* (b) *Lib. 2, de mor. mulie. cap. 1.*

fœtumque perveniat? Dum mater, evacuatione plures dies perſeverante, vigiliis, doloribus, inedia, fœtore, triſtitia maceratur, ut ſæpe ſolet evenire ex Hydrargyro, nil fœtui detrimenti timebis? Accedit, ut non raro impetus inquieti metalli ad alvum converſus, eam magis cathartico ſollicitet, duplicique ratione periculum abortus inferat. Diarrhæa prægnanti ſuperveniens ſæpe abortum peperit, uti notat Proſper Martianus[a]. Cur non poterit parere mercurius ſi, ut aliquando contingit, alvum copioſe ſolvat? Quid quod Hydrargyrum fœminam inter inanes labores, cruciatuſque difficilis partus expedit, exitumque accelerat? quod conſtat ex Obſtetricibus Gorricienſibus, ſolitis in difficultate partus illius ſcrupulum, referente Mathiolo, propinare? An igitur ſi propinetur ante maturitatem fœtus in majore quantitate nihil dubitandum de abortione? At enim vidimus aliquot mulieres gravidas proſpere, & ſine abortu ſalivationem tuliſſe; ſcimus etiam aliquas nequidquam eo uſas fuiſſe ad excludendum fœtum, timoremque ſubeundæ notæ impudicitiæ. Ergo tutus prædicandus eſt illius uſus, ſtatuendaque generalis regula exhibendi prægnantibus abſque metu, uti viſum eſt Bartholomæo Boſchetto, accuſanti tanquam male ſanum commentum, & inanem inde conceptum timorem abortionis? Id pernego. Retentus aliquando fœtus in prægnantibus contra impetum vivi metalli evincit, non eſſe neceſſario abortivum, non tollit rationabilem abortionis ſuſpicionem, neque illius propinationem eximit reprehenſioni citra magnam neceſſitatem, qualis fuit deſcripta a Boſchetto. Ulcus ſupra columellam, palatum exedens ita deglutitioni adverſabatur, ut ori ingeſta, ſive ſolida forent, ſive fluida in nares inſilirent, nec vires fatiſcen-

(a) *In comm. ſect. 5. Aphor. 34. Hipp.*

ſcentes ex continua conſumptione ſarcire poſſent. Vel igitur mater cum fœtu in evidenti periculo deſerenda erat, vel quod unicum ſupererat, periclitandum Hydrargyrum. Reſpondit exitus neceſſario conſilio, quem tamen parem in quacunque prægnante ſperare nequimus; quarum alias ex diverſo corporis apparatu videmus levi de cauſſa abortire, alias fortiora irritamenta abortionis innoxie pati. Hinc fit, ut aliis faventibus experimentis voto, aliis contradicentibus in ambiguo poſita ſit deliberatio, quam ſolum capeſcendam cenſeo in magnis anguſtiis, nulloque aliunde ſuppetente effugio.

De rebus naturalibus ſatis. Expendamus impedimenta ab rebus non naturalibus interjecta, primumque ab aere, inter res non naturales primatum obtinente. Hujus intenſum frigus, vel calor, ſicut aliis fortibus commotionibus humorum, parum eſt opportunus; item agitationi concitatæ a fugaci argento, quæ aliis vehementior eſſe ſolet. Hoc igitur primum ab æſtate ſumma prohibetur, magno cum diſcrimine auctorum diſſipationem ſpirituum, humorumque factam ab ingenti ambientis æſtu. Vix ſani tolerare valemus vehementiam canicularis ardoris, quo languemus appetitu, noctes inquietas, & propemodum inſomnes tranſigimus, multiſque indigemus præſidiis adverſus tempeſtatis incommoda; quibus temere adderetur afflictio ſalivationis, interdum ad animi uſque deliquium fatigantis. Huc adde animadverſionem Georgii Nenter[a] in ſalivatione omni modo præcavendos eſſe nimios ſudores, quippe impulſuros altius hydrargyrum in partes nervoſas, & tendinoſas: unde tremores, paralyſes, ariduræ ſua initia ſumunt. Quomodo autem omnis diligentia adhiberi poterit ad evitandam noxiam copiam ſudoris,

(a) *Cap. 8. de Lue venerea.*

doris, non evitato intenſo calore æſtatis in obeundo periculo mercurii? Botallus tam intrepidus eſt, ut etiam in vigore æſtatis mercurio ad eliciendam ſalivam non abſtineat: quem tamen in calidioribus ſaltem regionibus non imitarer ob longe intenſiorem calorem, quam in temperatioribus. Verum ſi morbi, quibus debellandis ille deſtinatur, ſint longi, cur in quacunque regione non opperiemur commodiorem tempeſtatem? Volunt humores eo adminiculo a partibus exterioribus ad interiores vocari, adque fauces contrudi; id quod indubitatum eſt facilius evenire, quo tempore calor ambientis humores ad exteriora non allicit: & hoc reſpectu creditur illius uſus felicior eſſe in Germania, quam in Hiſpania, & in Gallia, quam in Italia, pariterque in hujus tractu temperatiore, quam calidiore. Perſiſtit tamen in opinione Botallus, negligens caliditatis aeris moturus ſalivam, cauſaturque morbum venereum temporis proceſſu acutum fieri; ſed non indicavit, quantum hic proceſſus extendatur. Neque vero ipſi tam facile conceſſerim, aliquot dierum intervallo, dum remittat intenſio caloris, eam luem in lethalem acutiem erupturam eſſe: quinimo Alexander Trajanus obſervat ab ea neminem ſua natura internecari. Ingenti tamen objecto periculo, nec alio remedio reparabili, quam ſalivatione, aeris fervor poſtponendus eſt ancipiti experimento, ſi unicum ſuppetit. Secundum vigentem æſtatem vehementer incommodat ſumpturis hydrargyrum hyems aſperrima: & Theodoricus ex æquo pernicioſum eſſe putat frigus puerperis, & ſalivantibus ex mercurio. Facilius quidem poſſumus tueri domicilium jacentis a frigoris vehementia, quam caloris; providentius tamen eſt, utrumque exceſſum declinare, & præſtolari favorabile tempus veris, vel autumni, vel aliarum tempeſtatum partem moderatiorem,

rem, niſi magnum vitæ periculum inſtaret, ut in muliere deſcripta a Bartholomæo Boſchetto, & altera a me curata, de qua ſupra mentionem feci, violentia morbi dilationem non patiente. Ergo ne temere dixit Trajanus a celtico veneno neminem natura ſua occidi? Id non pugno ſemper verum eſſe, ſed eſſe plerumque numeroſa experimenta oſtendunt. Duæ vero narratæ mulieres, ut apparebat, certam citamque mortem oppetivifſent, niſi mercurio ſubventum eſſet, ratione potius partis ulceratæ, quam cauſſæ ulcerantis: quæ vim ſuam in alias partes minus vitæ neceſſarias exercens, lethalis non fuiſſet.

Inter res non naturales, prætermiſſis, quæ minoris momenti ſunt, remanet excutiendum, an menſtruæ purgationes præſentes, vel imminentes inhibeant uſum hydrargyri. Inhiberi vero inde perſuaſum habeo, quod vacuationem utilem, atque ex inſtituto naturæ factam poteſt interpellare ſupremum diſſolvens, ſine delectu ſuccos liquefaciens, adduceníque ad ſuperas partes, proinde ab Alexandro Trajano non ſolum in mulieribus menſtrualibus formidatum, ſed in omnibus propter vim ſanguinis menſtrui reſolvendi, pellendique ad ſuperiora. Quamobrem oblata neceſſitate illius experiundi, ſtatim poſt menſtruam purgationem fiat experimentum, eaque fiat temperatione, ut majori ex parte confectum ſit opus, ante reditum ſolitæ excretionis.

CAPUT VI.

De impedimentis ducendæ ſalivæ per Hydrargyrum acceptis a rebus præter naturam.

EX rebus præter naturam primo conſideranda occurrit copia ſucci exotici fuſi per venas, lateque corpus occupantis; quæ videtur non leviter uſui liquidi argenti opponi, objecto periculo, ne humorum noxiorum quantitas ſoluta, & agitata in aliquam nobilem partem impetum pernicialem faciat. Accidere quippe poteſt, ut aliquis ſcatens pravis humoribus contrahat affectionem flagrantem opem mirifici argenti: cujus propterea uſurpatio multo ſecurior erit, prius imminuta tutioribus auxiliis cacochymia. Scio diſſentire Sydenhamum, qui contagio venereo tactos, nulla facta exceptione ſubjicit hydrargyro, nullam præmittens purgationem, aut venæ ſectionem, quominus viribus ulla ratione incommodet. De venæ ſectione non diſſideo a Sydenhamo, niſi ſubeſſet notabilis ſanguinis copia celeriter adimenda per venæ apertionem: quam tamen in eo veneno perculſis, tranſactis aliquot a contracta labe diebus, eoque late fuſo, difficile reperiri poſſe opinor, ſed potius aliorum humorum proventum. Quare tutius eſt conſilium Hildani, Bohnii, aliorumque minuentium purgatione redundantiam pravorum ſuccorum ante experimentum mercurii, ne copia exagitata, turgenſque, neque commodum exitum inveniens alicubi pernicioſas vires exerat; uti contigit ægroto a Riverio (a) deſcripto, quem prava colluvio in ventriculo congeſta inter ſalivandum perdidiſſet, niſi ope vomitoru a Riverio præſtiti expulſa

(a) *Obſervat. 77. Centur. 1.*

pulſa fuiſſet. Et ſane imminutis noxiis humoribus ante conflictum, nonne liquet minus negotii ſupereſſe naturæ in conflictu? quæ certe minus fatigatur reſiſtendo debiliori hoſti, quam fortiori, videlicet, ex. gr. tribus duntaxat materiæ partibus, quam quatuor. Hinc habes, quod reſpondeas Sydenhamo objicienti, per evacuantia vires extenuari, proinde minus eſſe valituras ſuſtinendæ futuræ procellæ. Siquidem, per ea ſi quid virium detrahitur naturæ, minuitur etiam in materia vis nocendi per detractionem quantitatis; quæ propterea minus virium exigit, ut ſuperetur in conflictu cum remedio. Itaque ſive copia nocui ſucci venas occupet, ſive primam regionem, manifeſtum eſt, indicari purgationem ante uſurpationem magni exſolventis ad proſperanda ſalivationis initia, quæ turbari poſſunt ab redundantia infeſti ſimul commoti. Porro expurgatio inſtituta ad removendam colluviem primæ regionis, vel ad minuendam in venis contentam, ea ſit moderatione oportet, ut minime vires accidat; nempe quæ peragitur duntaxat ad auferenda impedimenta, vel aliquam partem cauſſæ morboſæ, non omnem, neque deteriorem, & contumaciorem. Quod ſi prava potius qualitas, quam quantitas vim morboſam crearet; obſervata per aliquot dies accurata victus ratione, & aliquo ſumpto corrigente, liceret devenire ad grandem periclitationem, nullo præpoſito purgante.

Motus humorum cutem verſus deterret Alexandrum Trajanum a ducenda ſaliva etiam in gravi morbo, in quo duci ſolet, puta, in ſævitia venereæ luis; ſi venenoſus humor ad cutem pellitur, fœdatque puſtulis, ulceribuſque. Cum enim mercurius trahat humores ab ambitu corporis ad interiora os verſus, metuit Trajanus hos motus contrarios, atque mavult ſinere, venenum ferri ad exterio-

ea, ibique ferocire, quam aleam vivi metalli periclitari, illud ab externis ad interna accientis. Ac ſane fateri oportet, non invalidam eſſe gallici curandi rationem, urgere virulentum fomitem ad corporis ambitum, atque per ſudorem abigere, uti abactum ſe vidiſſe teſtatur inſignis Medicus, & Poeta Fracaſtorius (a):

Rumpe moras, agita aſſiduis venatibus apros
Impiger, aſſiduis agita venatibus urſos.
Nec tibi ſit labor aerei curſu ardua montis
Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum.
Vidi ego ſæpe malum, qui jam ſudoribus omne
Finiſſet, ſilviſque luem liquiſſet in altis.

Si tamen hiſce conatibus morbus obſiſteret, neque poſſet per cutem tota exigi materia, non refugerem ab Hydrargyro, tametſi viderem eruptiones ad cutem, quæ ſæpe non liberant interna affligente veneno, ſed tantum effuſi inditia ſunt, effectuſque. Animos mihi addit ad id conſilium capeſſendum, quod non raro videmus, & duros tumores externos, ulcera, Scabiemque refractariam ſine viſcerum offenſa, facta ex revocatione humoris ad interna, hydrargyro curari. Quidam Theologiæ lector ex ordine Divi Auguſtini Scabiei contumaciam contractæ poſt ſuppreſſas hæmorrhoides ſalivatione ex mercurio repetita pellere conatus eſt, nullam interim noxam patientibus viſceribus. Funeſta vero accidentia, aliquando illius uſurpationem conſecuta exiſtimarem, potius eveniſſe ex portione intus ſuperſtite, quam ex regreſſu ad interiora portionis extra vergentis, proinde ex motu ad exteriora non diſſuaderi uſum inſtabilis argenti, ſi a morbo pertinaci poſtuletur. Fortaſſis humore ad cutem tendente utiliora forent irritamenta ſudoris, ſed hiſce incaſſum tentatis, quid reliquum eſt, niſi periclitatio ſalivationis?

Ex-

(a) *Syphil. Lib. 2.*

Expenſis vitioſis humoribus, tanquam cauſis morboſis, eorumque motu, tranſeo ad morbos totius corporis, vel partium, inde pariter ſupremi diſſolventis impedimenta collecturus. Acuti affectus, febreſque vehementia ſymptomata infligentes, vireſque labefactantes apertius repugnant ſalivationi per Hydrargyrum, quam ut pluribus debeat oſtendi. Solum patere quæſtioni poteſt, an febres intermittentes repugnent, affirmante Ballonio, quemdam luis venereæ ſuſpectum, ſimulque quartana laborantem per litum *mercurialem* elicito ſputo, quartana redemptum eſſe. Vidimus etiam leni mota ſalivatione fœminam laborantem quartana, empturamque omni pretio ſalutem a Vvilliſio curatam fuiſſe. Enim vero, nec iſta, nec alia ſi qua ſunt ſimilia experimenta, mihi valent adimere timorem, ne hydrargyrum male verteret, ſi peteretur a morbo cum quartana conjuncto; conſeoque cunctandum eſſe, donec extinguatur quartana, niſi aliunde certa mors objecta compelleret ad anceps & periculoſum remedium. Sæviente frigore intenſo quartanæ, quo, uti placet Recentioribus, ita confunditur ſerum cum ſanguine, aliiſque humoribus, ut nequeat ſecerni a glandulis deſtinatis, nil ne metuendum erit a latice inquieto argento imbuto, violenter intus retento? Anne contra vim frigoris intenſi ſecernetur humor, effundeturque per ductus ſalivæ? Quid plura? Sat apertum eſt periculum remedii apud quærentem ſecuritatem medicationis.

Sunt qui toto corpore Scabie inquinato ea ratione credant dubiam ſputationem ex hydrargyro, quod corpus affluit acribus, & ſalſis humoribus effectoribus Scabiei, qui ad os una cum metallo compulſi excitare valent ulcera cum vehementi dolore patientis tolerantiam ſuperaturo. Verumtamen ſi aliquando id accidit, plerumque non acidere

cidere extra dubitationem videtur ex modo agendi Hydrargyri, quod acres, acidoſque humores ad os ſinceros non advocat, ſed aliis permiſtos, & præterea attritione obtuſis eorum cuſpidibus. Neque vero oppoſitum arguit eroſio gingivarum, camdem patientibus a mercurio, uti ſupra adnotatum fuit, etiam corporibus ſanis, nec acido abundantibus. Ubi ille in fauces illatus eſt, vel ibi retineatur oportet, quod ejus naturalis impetus non patitur, vel partes erodat, ſibique viam paret. Nuper etiam mentio facta eſt de Patre Auguſtiniano, qui ab iterata ſalivatione nil majus ſolita ulceratione oris tulit, licet totum corpus ſcabioſis puſtulis interpunctum foret. Joannes Muys in praxi Chirurgico rationali jubet, hoc remedium declinari in ægroto ulceribus afflicto, quod legerit aliquando ſero acri non per os, ſed ulcus ſcatente, iſtuc aſperatum eſſe, & deterius redditum. Quo particulari eventu non permoveor, tot experimentis contradicentibus de ulceribus ſalivatione ex mercurio proſpere curatis.

Hydrargyrum capiti haud leviter officere inaurantes demonſtrare videntur, qui operi ſuo vacantes illius fumis frequenter exceptis, tandem ſurdi, paralytici, epileptici, vel apoplectici pereunt. Verum non ignobiles Medici concedunt, id quidem evenire inaurantibus, non tamen iis, qui mercurio illinuntur: immo Nuckius de ſaliva affirmat, eodem ſalivam movente aliquando dolores capitis, vertigines, Manias, Epilepſias eſſe ſublatas; idemque expertiſſimus Rotarius, aliique confirmant. Porro calamitoſum eventum inaurantium ab eodem argento imputant illius fumis una cum aliis pravis habitibus inſpiratione hauſtis; ſtatuuntque magnum diſcrimen inter partes fumi ſeparatas a ſubſtantia hydrargyri, eaſdemque implicatas ſubſtantiæ: quod tamen mihi tam clare non apparet.

patet. Cum enim diverſæ partes Hydrargyri humano conatu ſeparabiles non ſint, & quælibet illius pars cuncta elementa comprehendat, non ſatis intelligo, quo ſenſu dicant, partes fumi eſſe diviſas a ſubſtantia, perinde ac ſi alia eſſet ſubſtantia hydrargyri, alia fumi. Vincit illud efficacitatem ignis rerum omnium everſoris, & in ludibrium vertit; quod ſcilicet flammarum violentiam paſſum priſtinam illæſamque faciem recuperat, ſuamque victricem immutabilitatem, ut ita dicam, jactanter oſtentat. Provoco ad experimentum narratum a Jacobo Sachs teſtante, Romæ diſſectum eſſe cadaver cujuſdam aurificis, ex ſummo capitis dolore extincti, atque in cerebro repertam eſſe pluſquam libram mercurii ex ejus vapore hauſto congelatam. Itaque fumus Hydrargyri nihil eſt aliud, niſi ejuſdem pars non per ſeparationem ab aliis elementis reddita tenuiſſima, ſed per minutiſſimam continuitatis diviſionem, itemque concitatior ad motum, aptiſſima proinde ad ſe ſe inſinuandam in penitiſſimam compagem partium cerebri, nervorumque inde manantium, & tandem frequenti repetitione laxandam, & pervertendam: atque hinc potiſſimum pendere opinor lapſum inaurantium in affectiones indicatas. Cum autem artubus affrictus mercurius intro ſubit, vel ore ſumitur, non ita a calore noſtro, aliove ſtimulo minutatim dividitur, ut opera flammarum; ſed in partes craſſiores, minuſque ad motum incitatas, & paratas efficere, quod majori ab igne concitationi, & tenuitati adjudicavi. Verum enim vero non vindicatur id argentum corpus noſtrum ingreſſum ſine opera ignis a poteſtate nocendi, niſi certis quibuſdam animadverſionibus in uſum vocetur. Minus quidem virium calor noſter addere illi poteſt, quam igneus, ſed tantas poteſt, ut incautus ejus præbitor graves offenſas importet. Ineſt illi vis inſi-

gnis

guis humores fundendi, trudendique ad ſuperas partes; & inde traho cauſſam timoris in illius uſurpatione, ſi caput imbecillum eſt, & natura morboſum. Quandoquidem videmus non raro poſt exhibitum Hydrargyrum ad extrudendam veneream colluvionem, caput perturbari, interdum ad delirium uſque, gravari, dolere, artus tremere; quæ tametſi deſinunt facta copioſa excretione ſive ſalivæ, ſive ſudoris, urinæ, aut alvi, tamen declarant infeſtam capiti actionem, mihi perſuadentem in eo debili, morboſoque dubium exitum ſalivationis eſſe, nec eam imperandam, niſi aliunde impenderet magnum vitæ periculum, aut ab ipſo venereo affectu caput conflictaretur, facilius eo remedio expugnabili. Oneraret meam hanc perſuaſionem, ſi laborans eſſet temperaturæ calidioris, abundaretque tenuibus acribuſque humoribus, paratis concipere motum ad ſuperiora. Ceterum in aliquibus capitis affectibus genitis a craſſo humore etiam non celtico abſque temeritatis nota tentari poteſt, fuitque tentatum aliquando utiliter in Epilepſia, alterove capitis morbo; incidente, ut opinor, tentamento in humorem craſſum, viſcidumque effectorem ægrotationis. Magna tamen circumſpectio ſemper requiritur, commendata ab ſiniſtris eventibus inde interdum conſecutis. Narratur a Vvilliſio, in atroci inveterataque Cephalalgia citra ullam ſuſpicionem venereæ luis, moto hydrargyri opera ſalivæ fluxu in fœmina perilluſtri, morbum adauctum eſſe, alterique ægroto ſimiliter tractato cœcitatem illatam.

Tuſſim, dolorem pectoris, difficilem ſpirationem, aliaque indicantia pulmones affectos eſſe, venaſque ex facili ſciſſiles pro impedimento ſalivationis circumſpectiores habent. Vidimus ſupra ex Lemerio quemdam robuſtiſſimum delibutum intra dimidiam horam ſpuiſſe duodecim

ſanguinis libras; mihique pariter retulit Patritius Cremonenſis, ſe Parmæ multum ſanguinis effudiſſe, ex illitu mercurii pro Scabie. Quamquam autem credunt multi, ſanguinem occaſione ſumpti mercurii erumpentem ſemper ſcatere ex vaſis faucium, oriſque, nunquam ex pulmonibus; tamen non video, cur in natura paratis ad Hæmoptyſim metuenda nihil ſit apertio vaſorum ipſius pulmonis, ac multo magis in eam patientibus. Verum enim vero non deſunt adeo ſecuri in uſu ejus remedii, ut in fluxionibus ad pectus cum ſputo cruento copioſo ad idem confugiant. Abs quibus id unum peto, quemadmodum magna vis exſolventis incitatique argenti fræno eſſe poſſit elabenti ſanguini. An alio revocando humorem fluentem ad pectus, ſicque auferendo cauſſam cruentæ effuſionis? Enimvero totum ſanguinem commovet illud, & commotione calefacit, præparatque ad largiorem effluxum per vias jam recluſas. Vidi etiam Patavii virum annorum circiter 56 temperamenti melancholici ex mercurio phthiſicum factum occubuiſſe. Laborabat iſte duris tumoribus in variis partibus abſque dolore excitatis, ſumtoque Hydrargyro plures menſes ſolito copioſius ſputavit; ſed inde correptus eſt febri lenta; qua reddita intenſiore menſe Januarii anni 1734 advocatus ſum ad conſultandum de remedio. Quo die acceſſi febris erat lenta, continua tamen, cum pulſu duro, & parvo, quæ dies quindecim fere in eodem ſtatu permanſit. Poſtea cœpit inordinate exaſperari, ut modo intenſior eſſet, modo remiſſior. Obſervavi in ſputaminibus mane excretis aliquot ſimilia loturæ carnium, aſſeruitque æger, ſe ſemper ita permiſta ſputa mane excreviſſe poſt uſum mercurii ex gravi ſuſpicione venerei inquinamenti. Poſt dimidium Februarium omnia in pejus ruerunt. Febris fortior, noctes frequenter inſomnes, magna deje-

ctio appetentiæ, ſputa ſanioſa, & initio Martii mors. Fallopius Aſthma, & Maraſmum, quamvis ab impuritatibus venereis genitum ſoli præſagitioni relinquit, nullo magno medicamine amoliri conatur. Aliqui tamen obliniunt hecticos ab immundo concubitu; quos ratione non deſtitui opinor, ſi pro hecticis intelligunt, quos inveterata lues celtica emaciat, conſumitque cum febri lenta; continuaque; nempe quæ fomitem habet in craſſioribus, & tenacioribus ſuccis, quam hectica aliunde ſuborta: qua conſideratione, viriumque habita ratione hiſce Hydrargyrum parca manu adminiſtrare non dubitarem, niſi pulmones male haberent.

Lienoſi, in quibus, uti docet Cous, gingivæ graviter affectæ olent, & a dentibus diſcedunt, parum apti cenſentur ferendæ ſalivationi. Lienoſi ſunt Hippocrati, aliiſque Antiquis, non quicumque aliquo lienis affectu impediuntur, ſed diuturno tumore cum viſceris imbecillitate: in quibus Hydrargyrum gingivas plane labefactaret, novas pareret ulcerationes, veteres non ſanaret, quippe ab imbecillitate, & vitioſitate lienis conſervatas, eoque medicamenti genere irreparabiles. Inde pariter non ſola clades gingivarum, oriſque formidanda foret, ſed deteriora, propter ſemicorruptos humores, prompteque ſolutiles impulſu hydrargyri. Lienoſis addo affectione hypochondriaca detentos, quibus cum videamus eſſe vehementer noxia purgantia, non poteſt non eſſe ſuſpectus uſus irrequieti metalli, humores fortiter commoventis, moleſtaque ſymptomata infligentis, cum magna perturbatione ſpirituum, a pluribus Recentioribus habita pro cauſſa primaria hypochondriacæ affectionis.

Alexander Trajanus(a) Eryſipelate frequenter tentatos dif-

(a) *De Mor. Gall. lib. 6.*

difficulter pati mercurium exiſtimans nullam ſubdit rationem, aliiſque inveſtigandam reliquit, quam ita colligo. Corpora obnoxia Eryſipelati calidos, acres, tenueſque humores congerunt; hacque de cauſſa minus parata ſunt ad ferendam agitationem mercurii. Quemadmodum enim, ſicuti obſervatum eſt, in regionibus calidioribus, in quibus tenujores ſucci generantur minus proſpere cedit illius uſus, quam in frigidioribus acervantibus craſſiora purgamenta; item corpora natura propenſa ad ſimilia creanda, gravius eumdem ferunt. Cenſetur quidem inſtabile argentum frigidum, magis tamen nos alterat vi attenuante, & diſſolvente, quam frigiditate, quæ poſtquam illud in tenuiſſimas partes diviſum, impulſumque eſt, parum habet virium ad agendum.

Alvus moderate laxa minuit turbas jactati metalli, large fluens periculum adauget, uſumque diſſuadet propter exitiale incrementum fluxus timendum ex majore diſſolutione, & commotione humorum inde ſecutura; quæ licet ſoleat concipere impetum ad ſuperiora, tamen aliquando etiam ad inferiora prolabitur; tuncque proclivius, cum ex alio irritamento jam eo feruntur humores. Menſe Maii anni 1732 Patavii cuidam honeſtæ fœminæ annorum circiter 44 laboranti ulcere inteſtini recti, quod ita perforaverat vaginam uteri, ut inde alvi excrementa exirent, multis præmiſſis remediis, tandem porrectum eſt Hydrargyrum ad ſalivandum, quod cum non poſſet ſuperare impetum humorum profluentium ad partes ulceratas, eodem totam vim ſuam convertit, nullo interim commoto ſputo. Porro alvi conſtrictio non favet quidem ei remedio, ſed minus opponitur, quam laxitas; cui tam facile providere nequimus, uti conſtrictioni clyſteribus minuentibus copiam excrementorum, aucturam, ſi intus relinquatur,

afflictionem in partibus ſuperioribus. Item urinæ difficultati obnoxius, quam immunda venus minime peperit, ſi mercurio utatur, periculum ſubit affectionis promovendæ; quo conſtat eam interdum produci etiam in aliis nil hujuſmodi antea paſſis.

Lemerius[a] deſcribit *Panaceam mercurialem*, quæ mediocriter os ferit, genas leviter tumefacit, nec valde impedit linguæ motum, labiorumque, tamque placide negotium conficit, ut quidam, ſicuti teſtatur, poſt eam acceptam domo egrediantur, interque ſputandum ſolitis muniis vacent. Actio tam placida Hydrargyri manſuefacti non patet ſuperius omnibus propoſitis impedimentis, ſed ea tantummodo, quæ difficillimos, aliiſque remediis obluctantes morbos expugnat, exigitque diligentem intra cubiculum jacentis ægrotantis cuſtodiam, quietem animi, corporiſque, aliaque adjumenta ad ſuperandos labores moleſtorum ſympto natum. Panacea Lemerii quanto minoris eſt afflictionis, & periculi, tanto minoris eſt roboris; idque probandum non eſt, ipſo auctore idem teſtante. Nihil magni ſine magno labore rebus iis omnibus minime fortunæ ſubjectis impetrari ſolet, ſolo fortunæ favore magna interdum hoic pretio eximuntur. Scio aliquos ita addictos eſſe, & confidere Hydrargyro, ut me nimis timidum ſint habituri, parvique facturi multa ex propoſitis offendiculis, quibus vel interpoſitis, narrantur morbi eodem proſpere profligati. Enimvero non inutile erit caute deliberaturis de tam grandi remedio, omnia præ oculis habere, aliqua ratione ſecuriori illius uſui adverſantia; quo vel experimentum declinent, vel circumſpectius obeant; & conſultius profecto obibunt, ſi ante illud omnia dubitandi momenta providerint, & penſitarint.

CA-

(a) *In Curſu chymico.*

CAPUT VII.

De præparatione corporis Hydrargyro perducendi ad ſalivationem.

PRæparatio corporis ad proſpere ſalivandum opera liquidi argenti pertinere poteſt, vel ad quantitatem humoris minuendam, vel alterandam qualitatem. De quantitate ſancitum jam eſt, hanc conſultius minui ante uſum remedii, ſi magna eſt, neque tam qualitas, quam quantitas negotium faceſſit. Quæ animadverſio potiſſimum ſpectat ad curationem venereæ ægrotationis, eamque ſuſceptam mercurio conficiendam, a pluribus inde inchoatam ceteris prætermiſſis evacuantibus. In aliis enim affectibus a viru libidinoſo non illatis, antequam ſummum diſſolvens porrigitur, alia tentari ſolent, alia miniſtrari detrahentia. In quocunque tamen morbo meus eſt illud adhibere, ſi primæ viæ impuræ ſint, hæ detergendæ ſunt, ne agitatæ commotæque impuritates impediant fauſta initia ſalivationis. Præparatio vero alterantibus facienda latius patet, extenditurque ad omnes morbos eo præſidii genere tractandos; abs quibus dixi indicari operam Hydrargyri, ut genitis ab humoribus viſcoſis, & ſolutu difficilibus: qui ſi indigent aliqua præparatione ante illius uſum, ea maxime conſiſtit in inciſione, atque attenuatione. Propterea licet a diverſis auctoribus diverſa præmittantur ad præparandum, eo tamen cuncta tendunt, ut humores excernendi commoveantur, fluoremque acquirant. Palmarius propinat decoctum Guaiaci, quo venenum intus latens, ſopitumque excitetur, propellatur, promptiuſque ſubeat venturam actionem medicaminis. Plures præſertim extranei,

nei, cum Lemerio Hydrargyri operam experturum longo tempore in balneum demittunt, ad macerandа dura, & viſcida, inde facilius cum medicamento conjungenda, & una cum ipſo extrudenda. Bohnius, aliique addunt balneo vegetabilia emollientia, & reſolventia ad efficacius corrigendos vitioſos ſuccos. Alii ſola humectantia propinant relicto balneo. Videtur autem primo aſpectu omnis præparatio extenuandi, diſſolvendique gratia prorſum ſuperflua, poſita deliberatione utendi mercurio contra vitium viſcidorum humorum difficiliam ad ſolvendum. Quid enim attinet, inquiet aliquis; decocta calida, vel balnea, aliaque debiliora attenuantia adminiſtrare fortiſſimum ſupremumque attenuans diſſolvenſque ſumpturis? Hinc forſitan perſuaſus Sydenhamus, acceſitus ad luem inguinis ſanandam quælibet præparantia miſſa facit, ſolam adhibet famoſam illinitionem. Utrum autem tutiorem partem ſequatur, videndum eſt. Magna virtus, fateor, ineſt irrequieto metallo ad diſſolvendum, majorque, quam ceteris ad id deſignatis, ſed certum itidem eſt ad ſolutionem paratiora promtius, & cum minore moleſtia educi, nec ſupervacuam eſſe diligentiam educenda præparantium. Illud etiam emolumenti supereſt, quod diſpoſiti ſucci minore quantitate argenti exiguntur, citius, & leviore perturbatione corporis; quemadmodum evenit etiam in evacuatione per cathartica agentia in apparatos ſuccos, ultroque irritamentum ſequentes. Probatiſſima pariter eſt ſententia Hippocratis, corpora expurganda eſſe fluida facienda; quæ certe valet etiam in purgationem per Hydrargyrum exequendam, tantoque magis valet, quanto magis iſta ceteras ſuperat. Huc adde contagionem veneream interdum non unica ſalivatione abſtergi, iteratamque requiri; quam iterationis indigentiam ſperare potes im-

impeditum iri, antea diſpoſitis humoribus ad expulſionem. Nolo porro corpus cum fortiore remedio luctaturum extenuetur repetitis validis purgantibus, vel aliis adminiculis, contendatque præperatio cum remedio, cujus gratia præponitur. Detrahat aliquid copiæ, limet aliquid de qualitate obſtante, ponatque tantum initia curationis perficiendæ Hydrargyri efficacia. Quare mihi improbabilis eſt praxis Joannis Fortis, qui Juveni viginti ſex annorum lue venerea confirmata polluto viginti dies ſudorem elicuit, deinde mirabile illinimentum adhibuit. Sudore tot diebus continuis evocato neceſſario vires obteruntur, præſidiumque adverſus futuram pugnam debilitatur, reſiccatumque per copioſum ſudorem corpus magis oblæditur ab ſecuturo humoris copioſo effluxu. Si valida purgantia porrecturi ex Senis conſilio corpus humectamus, quid reſiccabimus ante ſputationem uberiorem humidi quantitatem excreturam? Mallem igitur in ſimili morbo alte reconditum, denſatumque venenum decocto Guajaci, & Salſæ parillæ convenienti tempore propinato commovere, & attenuare, quam fortiore conatu ſudorem provocare. Propterea decoctioni admiſcenda eſt portio minor lignorum, quam quæ admiſceri ſolet ſudoris ducendi cauſſa. Videtur etiam parum opportunum eſſe validis irritamentis ſudoris ad cutem urgere humores mox a mercurio compellendos ad fauces. Ridebit hæc Botallus, qui pugnat, a fluente argento nocuos ſuccos ſparſos per ambitum corporis non repelli, cauſatus, ſe non videre inde conſequi peſſimum ſymptoma repulſionem ſignificans, ſcilicet aut cordis, jecoriſque, aliorumque viſcerum roſionem, aut inflammationem, aut aliam labefactationem a repulſo viru, inque præcordiis collecto. Quare decernit, inſitam eſſe Hydrargyro vim coquendi, diſſolvendi, explodendique no-

nocuos ſuccos externum corpus infeſtantes, ſed humanæ menti omnino ignotum eſſe, quemadmodum id efficiat. Mihi tamen hac de re cogitanti primum ſuccurrit animadvertere, obſervatum eſſe oblinitum unguento *mercuriali*, ſi affluat pluribus ulceribus in ambitu corporis, iſtaque ab inunctione citius juſto ſiccentur, pluribus infenſioribuſque ſymptomatis exerceri circa fauces parteſque ſuperas, non infirmum argumentum, materiam noxiam a partibus exterioribus ad interiores receſſiſſe, aut ſaltem quæ illuc ferebatur, ad interiores, ſuperioreſque converſam eſſe. Porro ſi ſordes obſidens cutem vere ad interna revocatur, iccirco non importat viſceribus noxas, quas importandas eſſe opinatur Botallus, propterea quod non conſiſtit ibidem, ſed ultra velox permeat ad fauces; & inſuper in regreſſu a cute ad interna admiſcetur aliis humoribus, & miſtione minus eſt parata nocere, quam ſincera, & nulla temperatione mitigata. Adde pariter ab Hydrargyro fieri modificationem quamdam, & correctionem ejus tranſitum per viſcera innoxium reddentem. Si tamen probabilius judices, materiam fuſam per externa vi metalli non intro reduci, ſed reſolvi, ideoque nova non appellente materia cutem defœcari, & ulcera ſiccari, dicas ideo majorem moleſtiam partibus ſuperioribus inferri, quod medicamen intro permeans prohibet curſum materiæ ad corporis ambitum, totamque trudit ad partes, quas natura ſua ſolet invadere, & vexare.

Præter attenuationem humorum nonnulli ante uſurpationem aquoſi argenti propinant decoctum Guajaci, tanquam antidotum quoddam in pravam illius qualitatem, roboraturum cerebrum, & jecur; hinc forſitan permoti, quod Guajacum creditur ſuperfluam humiditatem abſumere, adſtrictioniſque particeps eſſe. Verum quocunque fine

præ-

præſumatur decoctio indici ligni, ſive tenuandi cauſſa, ſive roborandi, non habeo quid opponam; cum ex eo aliquid boni ſperari poſſit, nihil mali timeri. Exiſtimo tamen, parum inde muniri ea viſcera adverſus mercurium, qui non nocet potiſſimum mala qualitate antidoto Guajaci lenienda, ſed humorum ſolutione, & impulſione; quæ tamen & ſalutis inſtrumentum eſt, ſi regitur a natura, & detrimenti, ſi regimen excedit. Exceſſus porro antidoto cohiberi non poteſt, ſed in primis accuratiſſima adminiſtratione, videlicet delectu juſtæ quantitatis, morborum id medicamen poſcentium, & corporum ad ferendum idoneorum, deinde impetum præter opinionem conceptum aliis adminiculis infra exponendis cohibentibus. Inventa quidem a Chymica ars eſt ita temperandi Hydrargyrum, ut inde humorum ad fauces fiat lentior accurſio, levior commotio, multoque mitior vis affligendi: ſed hæc ipſa moderatio vires ejuſdem delumbat, imparesque reddit pertinaci morbo propulſando.

CAPUT VIII.

De indicationibus generalibus occurrendi Hydrargyri noxis.

NOn iniquo animo feremus, remedium pluſquam magnum, & morborum pertinacia extremorum expugnatorem per ſummam quietem, & ſecuritatem opus ſuum abſolvere non poſſe; ſi animadvertemus cetera remedia, minuſque contumacibus morbis deſtinata undecunque non eſſe innocentia. Minus tamen aliqua laborioſa ſunt, & moleſta, neque novas vexationes afferunt, uti mercurius; cujus uſu non raro ſuperveniunt affectus pe-

culiarem operam requirentes; qui tamen ſæpe compenſantur expugnatione morbi aliorum opera inſuperabilis. Omnia magna magno Mortalibus conſtant, eodemque pretio redimenda ſalus eſt graviter, & pertinaciter oppreſſa. Cum igitur mercurius etiam in exitu felici, nova vulnera identidem infligat, (quod in uſu aliorum grandium auxiliorum obſervari non ſolet) mearum partium eſſe duxi, elicere indicationes generales ad illius ictus repellendos, & vulnera ſananda: quæ tamen ut ut moleſta, non ſemper æqualis periculi ſunt. Aliquando vero valde ſævit id genus remedii, & periculoſas affectiones creat, vel inflammatis faucibus, viaque ſibi obſtructa, vel gravitate capitis, ac dolore, vel copioſo ſanguine profuſo, vel præcipiti humorum liquatorum in ventrem impulſione, ut alios graves affectus taceam, quos interdum inde partos accepimus: quibus licet ſæpe liberentur ægroti, tamen aliquando ſuccumbunt. Itaque, ſive laborantis errore, ſive medici, ſive aſſidentium, ſive alio ignorato cauſſarum concurſu mortem aliquos in uſurpatione Hydrargyri oppetiiſſe certum cum ſit, ut incipienti morbo ſubvenire poſſimus, & incrementum capturo opponi, autumo, indicationes curatorias ex duplici capite deſumendas eſſe, nimirum a morbo recens orto, morbique cauſſa, ideſt hydrargyro. Atque ut iſthinc ordiar, petit illud tanquam morboſa cauſſa ſui depulſionem: & idcirco ſi per unctionem cuti inductum eſſet, inde minaci morbo coorto, e veſtigio linteis, induſiis, ceteriſque integumentis mutatis, abſterſiſque oblinitis partibus lixivio, vel decoctione Hordei, aut vino, portio nondum in intimum corpus illapſa adimenda eſt; illapſam vero aliis adminiculis educere ſtudebimus, aut motum ejus immoderatum cohibere, niſi ſit educendi poteſtas, habita ratione morbi inde producti in electione reme-

remediorum. Ergo impetu fluentis argenti ad ventrem, alvumque converſo cum torminibus, atque exitiali excretione, præſentaneum foret remedium, quod Aetius, & Dioſcorides illud potis adminiſtrant, videlicet lac, paulo poſt provocato vomitu rejiciendum: quo retraherentur, aut ſaltem compeſcerentur deorſum concitata, uti viſum eſt Hippocrati [(a)], aliiſque pluribus ejus veſtigia prementibus, qui in Dyſenteria aliis etiam de cauſſis genita vomitum præcipiunt; aliaque præterea in uſum adducenda in eo morbo conſueta, & præſertim clyſteres ex oleo amigdalarum dulcium cum vitellis ovorum. Porro vim ſuam jaculante Hydrargyro ad fauces, palatum, aliaſque oris partes, ſolutoſque humores eodem uberius adducente, ab ſolito revulſionis, & derivationis præſidio ſuppetiæ petendæ ſunt, pertuſa vena brachii, ſi fauces tumore obſtruerentur, impedita deglutitione; uti contigit juveni memorato in Ephemerid. Germ. [(b)] a cingulo *mercuriali* propter Scabiem admoto: quo in eas anguſtias conjectus, ut neque loqui, neque cibum, aut potum capere, nec reſpirare poſſet, non tenue levamen ex reſignata vena tulit. Item omittenda non erit revulſio in violentia morbi per expurgantia, iſtaque non languida, ſolaque vi laxandi prædita, *ſed* purgandi, ut ajunt, cum *electione*, cujuſmodi foret ſerapium roſarum ſolutivum cum electuario de ſucco roſarum, quo uſus eſt Botallus ejuſdem cautionis admonitor. Niſi vero purgans in propoſito caſu indigentiæ ſufficeret, urgendum opus eſſet aliis conſuetis revellentibus. Porro detruſa portione humorum deorſum, ſicque diviſo agitatorum impetu, ſperare licet, naturam levatum iri, nec impeditum ſalivationem, imo cum minore moleſtia proceſſuram eſſe; obſervavique non ſemel, eo-

Qq 2 dem

(a) *Apho. 16. Sect. 6.* (b) *Decad. 2. anni 6, pag. 104.*

dem impulſu Hydrargyri, & alvum ſine exceſſu laxari, & os congrua ſalivæ copia rigari. Magna vero partium ſuperiorum afflictione perſeverante, orta ex morbis, qui calori tribuuntur, poſt ea uſurpata præſidia, ad alia confugiendum eſt. Arguit illa magnam attenuationem metalli, jactationemque inde perniciales vires acquirentis; vel humores indole ſua calidos acreſque, promtoſque ad ſolutionem, motumque. Hiſce procul dubio opponuntur refrigerantia, & denſantia, proinde apta correctioni: quas dotes obtinent emulſiones paratæ ex ſeminibus frigidorum majorum, papaveris albi, gelatinæ, corallii rubra, idque genus alia, immiſcendo mirabile præſidium Dioſcoridis, auri ramentum quam tenuiſſimum, vel pulverem cryſtalli, quem Anſelmus Boethius, Valleriola, aliique præſtantiſſimum deprædicant etiam contra mercurium ſublimatum. Cum autem nihil efficacius ſit ad compeſcendos tenues, commotoſque ſuccos ſoporiferis, hæc quoque in vitæ diſcrimine ſuppetias veniant oportet. Facit ad idem tenuis mediocriter victus ratio cum abſtinentia vini, quo magis incitatum argentum fortius evadit ad nocendum; teſtaturque Botallus (a), quod etiam ab aliis obſervatum eſt, minus afflictari ſalivatione cibo parce utentes, quam liberaliter, & aqua pro potu, quam vino, niſi copioſa aqua diluatur. Quinimo Sydenhamus præbet carnem vituli, & pullorum duntaxat poſtquam ſubſidit tumor gingivarum. Haud me latet victum tenuem multis non approbari, ſed largiorem, itemque potionem vini generoſi ad vires ſuſtinendas, licet os pituita, ulceribus, atque inflammatione prematur, ſic aſſentiente Fracaſtorio

Tempore non alio generoſi pocula Bacchi

An-

(a) *Cap. 9.*

Annuerim ſumenda Tibi, puroque Falernon
Et Chia, & pateris ſpumantia Rethica largis.

Enim vero labentibus viribus non propter copiam excretionis, ſed afflictionem ex vehementia ſymptomatum, autumo, illas fortius ſuſtineri eorum mitigatione, ſedatoque impetu nimio argenti, quam uberiore victu, pleniſque pateris Falerno. Tantum cibi dandum eſt, quantum vires a morbo exercitæ conficere valent, non oneri ſit, modicum Falerni adjiciendo in magna cordis anxietate cum periculo Syncopes. Utrum vinum quadam ſingulari dote opponatur mercurio incertum eſt, certum tamen, ejus vim motumque a calidis incitari; abs quibus ſane præſtat temperare, niſi a forti cauſſa poſtulentur. Porro vereor, ne Fracaſtorius laudans largis pateris purum falernum magis indulſerit Muſæ & carminum concentui, quam veritati; quod pariter Seneca [a] animadvertit de Virgilio, quem ait in Georgicis aſpexiſſe, non quid veriſſime, ſed quid decenter diceretur. Quod de vino ſancitum eſt, multo magis de ejuſdem ſpiritu ratum firmumque habeto; quem aliquando fuiſſe lethalem ſalivanti luculenter teſtatur eventum a Bohnio narratum [b] de quodam nobili viro, qui in medio ſalivationis recte procedentis ſpiritu vini clam aliquoties poto, inopinato magnis cordis anxietatibus, & ſtrangulationis aggreſſibus correptus, ſudoremque frigidum fundens expiravit. Convenienti victus ratione, interniſque remediis inquieti argenti immoderatum impetum obtundere conati, non prætermittemus etiam externa idonea tenuiorem partem indomitamque ad cutem allicere; atque ſi adhibita fuerit inunctio, allitas partes, & inſuper extremas fricando, & lavando decoctione laxantium herbarum, vel ſolius Hormini, efficacis, auctore Dioſcoride,

(a) *Epiſt.* 8. (b) *Cap.* 15. *de ſalivat.*

de, ad aculeos e corpore extrahendos. Multimodis poteſt celebrari revulſio obſtatura moleſtiis Hydrargyri, ſed facta a partibus internis ad externas præſtantior eſt, prorſumque oppoſita motui humorum ab eo concitato interiora verſus: quam non ſolum conari potes dicta frictione, & lotione, ſed urgere veſicatoriis admotis brachiis, tibiiſque, vel uſtione ex candente ferro, obſervante Alexandro Trajano, aliiſque uſum mercurii eſſe ſolere minus infeſtum, quibus, vel fiſtula in ano eſt, vel pluribus in locis ulcerata cutis, per hos aditus attenuato argento, atque in ſpiritum verſo erumpente. Quin etiam hunc exitum adjuvarem, cuti, vel ex morbo, vel arte ulceratæ auri bracteam apponendo, ad cujus amplexum, ut ferrum Magnetis, Hydrargyrum accurrit, hac de re mihi facem præferente quodam Medico Veneto, de quo memorat Bartholomæus Boſchettus (a), qui ſalutem ægrotantis delibuti, & vita periclitantis ſic expedivit. Aſſidens ille laboranti venerea lue, cum vidiſſet poſt quartam inunctionem nondum uberiore ſaliva os madere, deſtitit inungere. Advocatus alter in conſultationem animo fortior juſſit, illinimentum iterari, & ſepties iterato incidit æger in febrem ardentem cum ſummo animi angore, mentiſque alienatione; quibus prior, cautiorque Medicus variis ingeniis obſtitit purgantibus, auroque in minutiſſimum pollinem intus ſumpto; ſed omnibus incaſſum. In hac rerum deſperatione cœpit conſilium admovendi externo corpori auri folia; tantumque mercurii ad ea accurrit, ut omnia argenteum colorem contraxerint: quo pacto imminuta, uti fas eſt opinari, perturbante & opprimente copia, ſubinde ſaliva feliciter copioſeque erupit, ſalus redivit. Ceterum ſæviente præter modum intus metallo, generale & robu-

ſtius

(a) *De ſalivat. artific. cap. 3. art. 3.*

ſtius remedium creditur lac aſininum copioſe potum, donec purget; quemadmodum porrigebatur ab Hippocrate ad evacuandos, ſimulque corrigendos humores acres, rodenteſque. Quod ſi tanta copia lactis aſinini non ſuppeteret, poſſet aliud genus lactis ſubſtitui, dejicienſque reddi addito Sirupo roſato ſolutivo, vel Electuario de ſucco roſarum.

Morbis, quos vidimus aliquando ab animato argento ſuſcitari, ut cautius conſulamus, obſervandum eſt, quo tempore contingunt. Interdum prius quam ſputum emanat, ſuboriuntur varia, nec levia ſymptomata, quæ manans ſputum adimit, vel mitigat: quod propterea blande incitandum eſt frequenti ſcreatu, leni frictione oris, ut feſtinemus ſymptomatum lenitionem, neque aliis adminiculis turbemus futurum opus. Hydrargyro duntaxat reſiſtendum valenter eſt, ubi apparet non regi a natura, vehementer, præterque morem infeſtum eſſe, puta, magna oris eroſione, putrefactione, tumore ſuffocante, ſanguinis copioſa effuſione, aliiſque ſimiliter periculoſis affectibus.

Interdum contingit, ut nullo gravi morbo excitato a præſtito Hydrargyro copioſius, quam par eſt, ſaliva effundatur, ſuperetque multum mediocrem quantitatem, objecto periculo, ne perſeverans ægrotum ad tabem perducat; cui ſane occurrendum eſt. Solet incipere ſalivatio tertio, vel quarto, aliquando quinto a propinatione mercurii die; atque ſicuti fluxiones ab cauſſa morboſa ſua habent tempora, principium, augmentum, ſtatum, & declinationem; item eadem percurrit artificioſa ſalivæ fluxio, non tamen in omnibus ægrotis eadem celeritate, & temporis ſpatio, ſed breviore, vel longiore, ut major, vel minor erit exhibiti medicaminis quantitas, ægrorumque paratus. Si ſcateat æger exoticis humoribus proclivibuſque

ad

ad ſolutionem, ad longius ſpatium extendetur ſalivatio, tardiuſque ſtatum aſſequetur; brevior autem erit, ſi minus abundet æger excrementis, ſucciſque ſolutu facilibus. Cognoſcuntur quatuor dicta tempora facta comparatione inter quantitatem ſputi effluentis primis diebus cum quantitate poſteris manante. Sydenhamus inquit[a], Ptyaliſmi ſtatum eſſe, cum eo creverit, ut æger intra viginti quatuor horas libras quatuor exſpuat. Cum tamen diverſitas corporum, & alia accidentia immutent quantitatem ſputaminum, certum ſatis inditum inde nequit trahi, ſed ex comparatione elapſæ ſalivæ cum labente, & remiſſione ſymptomatum; quæ tribus, vel quatuor diebus poſt majorem effluxus impetum contingere ſolet. Ut autem obſervatum eſt in hiſce regionibus, totum ſalivationis ſpatium plurimum eſt quadraginta circiter dierum, concitatioris plus minus decem. Ergo ſi copioſior, ultraque modum ſaliva effundatur, redigenda eſt ad convenientem menſuram facta revulſione ad alvum per laxantia; ſi longiore tempore fiat effuſio cum periculo tabis, compeſcenda eſt craſſantibus, & nutrientibus, & lacte etiam, ſi tabes immineret.

Satis de indicationibus acceptis ab Hydrargyro, quibus expletis conſulitur etiam morbis inde natis; ſiquidem iſtorum indicationes docent diverſos modos, quibus amovenda eſt cauſſa ab illo impulſa. Tota vero curatio in eo conſiſtit, ut nimium impetum humorum a partibus gravius affectis avocemus, atque inhibeamus, impulſoremque, quo ad poſſumus, extrahamus indicatis auxiliis, aliiſque a cujuſque ſollertia inveniendis. Pauca ſolum dicenda ſpeciatim remanent de linguæ, faucium, oriſque ulceratione, quæ plerumque contingit etiam ſalivatione recte proceden-

(a) *In Epiſt. 2. reſponſoria.*

cedente; ſolam tamen mitigationem petit, ſi vehementer cruciet, non ſanationem, ne retardato materiæ erupturæ exitu deterior affectio ſequatur. Tantum igitur leniendus dolor eſt, cavendumque, ne latius ſerpat eroſio: ad quæ imperranda videntur antecellere vinum album tepidum, decoctum ſeminum cidoniorum, & urgente dolore lac bubulum tepidum, quibus colluendum os frequenter eſt, idemque aurea moneta muniendum feſtinante exitum vexatorem. Quidam etiam Medicus apud Riverium[a] aſſerit, in oris inflammatione ex hydrargyroſi eo progreſſa, ut ſalutem propemodum deſponderet, irrita cetera remedia, unice percommodum comperiſſe juſculum ex ſolo pullo abſque herbis comparatum. Perſeverante tamen oris afflictione gravi, niſi alvus ſponte flueret nil fortaſſis utilius eſſet, quam eam aut clyſteribus ſollicitare, aut intus acceptis ſolventibus; iiſque cum Nicolao Maſſa repugno, qui alvi dejectionem inſalubrem judicant in ſalivatione; ſupraque indicavi, eos felicius ſanatos fuiſse, quibus non immodice alvus commota fuit. Quinimo[b] Pitcarnius hydrargyro ita utitur, ut ſimul ac dolere os cœperit, eo relicto purgationem alternis diebus inſtituat ad ceſſationem uſque doloris, redeatque ad mercurium renovantem dolorem, eademque methodo ad purgationem.

Bohnius,[c] aliique nonnulli in declinatione ſalivationis ſuadent leviora purgantia ad educendos humores ab Hydrárgyro commotos, nec in totum evacuatos; quæ tamen ego in meis ægrotis prætermiſi, neque neceſſaria cenſeo, nec fructuoſa laſſo ægroto poſt toleratam majorem impetum, & graviora incommoda ſalivationis. Quicquid a ſupremo diſſolvente commotum eſt, perque os majori

R 5 et

(a) *In obſervat. communic. 29.* (b) *De ingreſſu luis venereæ.*
(c) *De ſalivat. cap. 15.*

ex parte extruſum, & adhuc extruditur, ex inita via deducere commodum non eſt. Remanentibus autem aliquot veſtigiis morbi ſub finem ſputationis, vel poſt hanc peractam, protinus conjiciendus æger non eſt in novas afflictiones medicationis, more quorundam Chirurgorum, de quibus memorat Dionyſius Pomaret [a], qui vel ex aliquo tumore penitus non diſcuſſo, vel ulcere non coalito perſuaſi, morbum non eſſe perfecte curatum, ægrotos novis cruciatibus vexant, atque in atrophiam, vel tabem generalibus evacuantibus præcipitant; quando ſolis remediis parti affectæ appoſitis negotium confeciſſent. Eamdem animadverſionem ſubjicit dolor in aliqua parte fixus poſt rite obitam ſalivationem permanens; ex quo concludendum non eſt, ſanguinem priſtino viru temeratum remanſiſſe, ſed os ea parte, uti obſervatum fuit, cariem pati, remediis chirurgicis auferendam abſque interiore humorum commotione. Sin autem interior morbi fomes penitus extinctus non appareret in ægro ſalivatione defuncto, refectis prius viribus, curarem, ut reſiduam cauſam dejiciente hydrargyro, vel alia vacuatione pro illius conditione plane eliminarem, vel conveniente poſito intervallo, præparatoque corpore primum experimentum iterarem. Cœteroqui præſentibus indiciis, una cum ſaliva effluxiſſe fomitem morbi, mitiſſime agendum eſt cum ægroto, diu paſſo moleſtiam, jactationemque irrequieti argenti, ut belle Fracaſtorius:

Sed jam age, extremæ victor gratare ſaluti,
Ultima adeſt Tibi cura, eadem & placidiſſima corpus
Abluere, Amaracinſque comas, & bene dentibus Heracleas.

Hanc tamen expiationem omittit Sydenhamus, vetatque poſt illitum *mercuriatum* purgationes, decoctaque ad illius in-

(a) *Obſervat.* 16.

intruſas reliquias extrahendas, vel pravam qualitatem corrigendam; affirmatque, ſe per aliquot menſes ſemel in hebdomada aliquando exhibuiſſe mercurium dulcem, ut provocaret ſalivationem etiam in iis, qui omnino convaluerant, ſubque diu verſabantur: quem tamen nec imitatus ſum in meis ægrotis curandis, nec imitandi cauſſam video in ſanitatem integram adeptis. Porro balneum medicatum, quod Fracaſtorius præparat delibutis, ſalutaris munditiæ gratia conducibile exiſtimo exacta ſalivatione; non tamen eo repetito laſſum laxumque corpus, & balneis inſuetum fatigarem. Quantum vero attinet ad decoctum Guajaci, reprobandum non videtur, ſi propinetur ſine regimine ad ciendum ſudorem ægroto non amplius ſalivanti, in quo metuendum non eſt, ne quod effluere paratum erat, exiccatum ſubſiſtat. Id fortaſſe timeri poteſt ſub finem ſputationis, uti timendum viſum eſt Sydenhamo, ſed ea abſoluta deſinit cauſſa timoris; prætereaque eo decocto præcavetur renovatio morbi gallici, uti animadverſum eſt a Daniele Sennerto (a). Quinimo Antonius Gallus de ligno ſancto non permiſcendo nil eo commodius judicat poſt pugnam cum mercurio, opinatus inde omnia tanquam igne expiari, nullumque ſtigma remanere uſurpati metalli: de quo ſi certiores eſſe poſſemus, quis ſanæ mentis guajaci uſurpationem rejiceret poſt illius uſurpationem? Enim vero cum alia multa, quæ ſine ulla probatione decantantur morbis ſpecifica virtute prædita, in uſum medicum adducta ſint, nimeque lignum ſanctum ex eo numero expungendum videtur: exiſtimoque, fructuoſum futurum eſſe poſt ſputationem, niſi tanquam occultæ dotis antidotum, ſaltem ut exiccans roboranſque ob laxatam ſangui-

Rr 2

(a) *Lib. 6. Pract. part. 4. cap. 2.*

guinis compagem, ipſaſque partes ſolidas debilitatas. Ita invicem, ut aliqui arbitrantur, hæc duo medicamina opponuntur, ut alterum alterius antidotum ſit, hydrargyrum ſua frigiditate, & humiditate guajaci, illinc ſua caliditate, & ſiccitate hydrargyri. Arbos eſt Guajacum proceritate, virentibus ſemper foliis, texturæque firmitate quidam excellentis præſeferens, ſacraque incolis inſulæ hiſpanæ, ubi naſcitur, qui ea utentes ad pellendam vernaculam peſtem, per integrum menſem vix tantum cibi capiunt, quantum ſufficit ſuſtinendæ vitæ, vires interim fulciente ejus ligni decocto, ut eleganter Fracaſtorius (a):

. . . . Sacer illico hauſtus
Ille modo ambroſiæ vires reficitque, foveique
Inque occulta gerit jejunis pabula membris.

Si tamen æger poſt largam humoris effuſionem ex uſu hydrargyri contraxiſſet ſiccitatem tabis minacem, loco decocti ligni ſancti, quod ad nos valde reſiccatum defertur caſſumque occulto alimento indicato a Fracaſtorio, porrigenda juſcula ex avena, & radice Cynæ, aliaque id genus corrigentia morboſam ſiccitatem.

Quandoquidem ſupra conſtitui, non eſſe propinandum decoctum ligni ſancti cum regimine ad evocandum ſudorem poſt abſolutam ſputationem, neceſſarium ſtatuere eſſe video, ut id contra Bohnium, alioſque nonnullos probem, qui duplici ratione ſuadentur de ſudore educendo, videlicet ut morbi reliquias, itemque hydrargyri extrudant; quarum nulla convincor. Fateor, non ſemel obſervatum eſſe, poſt mercurii opus confectum non exiguam portionem intra corpus remanſiſſe. Sic narrat Gabriel Fallopius (b) in aliquibus, qui ante triennium illiti fuerant, ſupervenientibus gummatis in tibiis, nudatoque oſſe ibi

ſe

(a) *Syphil. 3.* (b) *de Morb. gal. cap. 76.*

ſe liquidum argentum vidiſſe. Teſtatur itidem Levinus Lemnius, [a] ex inciſa vena aliquot illius drachmas effluxiſſe; extantque alia exempla de eo in corpore ſuperſtite: quibus tamen non adducor, ut cenſeam movendum eſſe ſudorem poſt ſalivationem ad extrahendum, ſi quid metalli remanſit. Primum enim incertum eſt, utrum aliquid remanſerit, nullis apparentibus certis notis remanſionis, cum omnia circa os priſtinum ſtatum recuperarunt; ſimiliterque incertum eſt, an per ſudorem quod remanſit, diſſipabile ſit. Aſſeverat Liſter [b] ſe ſe perſpexiſſe aliquando triginta annos concluſum in corpore Hydrargyrum ſuperfuiſſe, nil proficientibus ad extractionem tot corporis alterationibus, ex motu, aliiſque fortibus cauſſis multorum annorum excurſu admotis. Et hercle, cum appareat tanta propenſio illius metalli ad tentandas vias oris, cur, ſi qua portio remanſerit impetu tranſacto effluxæ ſalivæ, ita fidenter ſperabimus per ſudorem extractum iri, ut maceratum longa ſalivatione ægrotum, variiſque ſymptomatis afflictum, & nondum refectum ſudatione vexemus? Huc adde, quod obſervatum eſt a Capivacceo, Saxonia, Fallopio, Liſtero, aliiſque, nullum identidem detrimentum importatum fuiſſe corporibus, in quibus diu pars aliqua illius aſſervata eſt. Pariter ſudor parum efficax videtur ad morbi reliquias amoliendas, quæ viribus fortiſſimi attenuantis minime ceſſerunt. Cum igitur ex copioſo ſalivæ effluxu, infeſtorumque accidentium comitatu plerique valde debilitentur, mitiſſime, ut ait Fracaſtorius, cum hiſce agendum eſt, fatigatæque vires farciendæ optimis, & coctu facilibus cibis, animi, corporiſque quiete.

CA-

(a) *De occult. ſcam mirac.* (b) *Exercit. 4. de Lue Ven.*

C A P U T IX.

Utrum præſtet præbere Hydrargyrum ad provocandam ſalivam, an alvum miſtura purgantium.

VEtuſtior uſus eſt Hydrargyri ſaltem in lue venerea ad ducendam ſalivam, quam alvum, ejuſque inventor Jacobus Carpenſis multo illuſtrior celebratiorque eſt, quam qui primus eumdem admiſcuit purgantibus: qua ſola animadverſione declarari videtur major illius efficacitas ad morborum contumaciam edomandam, concitatione ſalivæ copioſæ, quam ventris. Verum enim vero Auguſtinus Belloſtus celebris Chirurgus Joannæ Mariæ Baptiſtæ Duciſſæ Sabaudiæ, qui anno 1725 ſuas edidit lingua gallica utiles lucubrationes de Mercurii uſu, una cum multis aliis, gloriatur ſe ſe inveniſſe illam miſturam, & purgantium tam convenienti efficacique proportione comparatam, ut eoſdem morbos expugnet, quos ſalivatio; non eaſdem afferat perturbationes, angores, & pericula, ſed leniter rem conficiat. Non a præceptoribus, ut ait, a quibus viderit adhiberi grande remedium, vel legerit, ſed experiundo, experimentorumque ſucceſſibus eam didicit temperationem, quæ ferum remedium manſuefecit, noxam abſtulit, non virtutem, & ſalutares effectus ſolum mutata evacuationis via. Principio ſuum arcanum periclitatus eſt Taurini in Juvene Ab., fauſteque vertente periculo, idem eadem in urbe iteravit, deinde in aliis locis, diverſiſque ægrotationibus pari ſemper effectu. Quis neſciat quam difficulter duri, & ſcirrhoſi tumores, ſtrumæque diſſolvantur? Ceſſerunt hæ duritiæ arcano Belloſti. Ceſſit tumor in pectore cujuſdam Matronæ, qui bre-

vi

vi tempore inſigniter creverat, tendebatque ad naturam Carcinomatis. Ceſſit difficultas urinæ ex materia viſcoſa, & arenoſa, ut taceam Iſchiadem, Scorbutum, Podagram incipientem, morbos cutaneos fere omnes, aliosque, quos ait eodem præſidio fugatos feliciter eſſe. Tot tamque proſperi narrati ſucceſſus animati argenti purgatrice permiſti in pluribus, variis, arduiſque affectibus ſubjugandis me invitarunt ad penſitandum, utilius ne exhibeatur, ut ſalivæ incitamentum, an ventris. Et ſane, ſi admiſtum purgantibus eoſdem morbos æqualiter expugnaret, atque ſine eorum permiſtione, extra controverſiam foret, quemadmodum porrigi oporteret, conſtaret aperte, ſemper dejiciens porrigendum eſſe, attenta minore moleſtia, periculoque curationis obitæ per naturalem, ſolitamque dejectionis viam: quæ nec capitis affectiones, nec oris eroſiones, nec longas vigilias incutit, cor non angit, nec alia infeſta metuendaque ſymptomata creat. Cum tamen multo ante Belloſtium a pluribus, ut habemus apud Rondeletium, aliosque, Hydrargyrum ut purgatorium præſtitum fuerit, nec eadem comperta efficacitas in contumaces ægrotationes, impulſa eſt Medicina ad ſalivæ excretionem per idem moliendam quamvis moleſtam. Quantum ad me attinet, citius, uberius, & cum levamine conſtantiore profui meis ægrotis effuſione ſalivæ, quam alvi ſolutione, idemque ab aliis Medentibus accepi, qui pariter obſervarunt ſæpe imminutum, lenitumque eo pacto morbum eſſe, non radicitus evulſum, citraque periculum recidivi. Ante aliquot annos vetita fuit in Xenodochio Patavino propinatio Hydrargyri ad ſalivandum, ſubſtitutæ ſunt ad purificandos colluvie venerea pollutos pilulæ Marchetti ex Aloe, trociſchis Alhandal, & Diagridio ſulphurato, adjecto Mercurio dulci; ſed multo debiliores compertæ ſa-

liva-

livatione. Mercurius ingenitis viribus ad os fertur, tantamque habet cum eo loco familiaritatem, & conjunctionem, ut quemadmodum obſervatum fuit, ſi quis digitum ei admoveat, admotumque certo tempore teneat, & in ore auream monetam, hæc dealbetur. Ejus itaque genuinus agendi modus eſt excretio ſalivæ, ideoque hac ipſa vincuntur morbi, qui purgatione per inferiora non potuerunt. Cujus majoris efficaciæ ratio inde promenda eſt, quod liquidum argentum aſſociatum purgantibus brevi tempore in corpore remanet, nec idoneo ad ſe ſuaſque vires quoquoverſum effundendas. Niſi in minimas partes dividatur, ſuo pondere ductum ſequitur deorſum incitatos a cathartico humores; neque minutatim a noſtro calore dividi poteſt, niſi juſto tempore in corpore moretur. Imaginatus eſt Belloſtius, ſolum partem aliquam mercurii miſtam cum craſſioribus ſuccis a purgante inſtigari ad exeundum per alvum, ſubtiliorem ſuctam ab vaſis lacteis ſpargi in omnes humores eoſdemque corrigere. An ita contingat, mihi non levem dubitationem conflat, quod teſtatur Belloſtius, ſe curationes confeciſſe diſſimilium morborum in diverſis temperaturis hydrargyro dejiciente, eoque aliquando ſex menſes præſtito, atque in ſola uxore Dom. Reſſont Bibliopolæ Taurini excitatum eſſe fluxum ſputorum duntaxat dies octo perſeverantem, citraque vehementem calorem oris. Cum enim mercurius in tot curationibus, unica excepta, ſuum naturalem effectum non præſtiterit os feriendi, probabilius videtur, ſua partium rotunditate, & pondere deorſum cum purgante tractum, expulſumque fuiſſe, quam ejus notabilem partem per ſanguinem late diffuſam, & retentam. Neque vero hanc ſanguini intermiſtam remanſiſſe, probant tot refractarii morbi, quos narrat Belloſtius

eo

eo remedio per inferiora vacuante ſubactos fuiſſe. Siquidem jure dubitari poteſt, utrum curatio peracta fuerit peculiarem vim ſuppeditante hydrargyro, an ſolum generali ratione crebro repetitæ vacuationis, quam Belloſtius alternis diebus iterabat. Vidi affectum venereum inveteratum cum vehementi capitis dolore, decoctione, quam ſtibiatam vocant, & additis foliis Sennæ dejiciente, vigintiquinque circiter dies hauſta depulſum fuiſſe; occurruntque paſſim apud auctores exempla de eodem affectu diſcuſſo decoctione Salſæ parillæ, vel Guajaci, foliis Sennæ, vel Hermodactilis, ſeminibus Carthami, aliiſque purgantibus adjectis. Eadem porro iteratio lentæ dejectionis non ſolum ægrotationi venerea contagione inflictæ, uti compertum eſt, remedio fuit, ſed aliis pluribus aliunde natis. Non tamen inficias eo, fructuoſam, & laudabilem eſſe admiſtionem Hydrargyri cum purgantibus, quod diſſolvendo, impellendoque auget vim purgantis, aliaque præterea commoda parit pro diverſitate morborum. Quinimmo aliquibus in morbis utilius illud adhiberi videtur ad ciendam inferam vacuationem, quam ſalivæ. Sunt qui, uti dixi ſupra, Epilepſiæ, morbi æqualiter fœdi, difficiliſque curatu, reconditam cauſſam ſalivatione ex animato argento, cui nulla pars corporis inacceſſa eſt, extrudere conantur. Alii idem præſidium adhibent in ſcirrhoſos tumores, vel fortes obſtructiones imi ventris, Hydropem, & Scorbutum, in quibus omnibus affectibus, præſertim nihil venerei olentibus mercurium dejicientem prius experirer, quam ad ſalivam ducendam. Nonnulli etiam aggreſſi ſunt curare quartanam provocando ſalivæ fluxionem: quos ſane non imitarer, non tamen dubitarem, ſi foveretur obſtructione lienis, vel alterius viſceris in eadem regione uti purgante mercurio, quem eruditiſſimus Bernardinus Ramazzini ali-

quidpiam febrifugi habere cenſuit; imo non ſolum in quartana, ſed pariter in aliis quibuſdam febribus lentis in pauca quantitate crudum immiſcui levibus purgantibus, utpote aptum attenuare, & ſolvere citra calorem, efficacitate alii nulli remedio conceſſa. Similiter pueris, antequam corpus firmatum ſit, redditumque par tolerandis incommodis ſalivationis accommodatior videtur uſurpatio liquidi argenti ad ventrem purgante inſtigati, quam ad os ſuapte inſtinctu adducti: quo pacto puer triginta menſium curatus fuit a Riverio,[a] exhibendo decoctum ligni Guajaci, & pro purgante gr. ſex *Diagridii*, Calomelanos gr. quinque per menſem quarto quoque die repetitis, augendo in repetitione utriuſque quantitatem. Ad ſedandam item *Dyſenteriam* utile compertum eſt Hydrargyrum admiſtum *Rheobarbaro*, narrante Boyle,[b] a quodam Chirurgo ea miſtura curatos eſſe aliquot centenos militum *Dyſenteria* conflictatos: unde arguit Boyle, vim ineſſe mercurio acrimoniæ humorum mitigandæ. Plures etiam mercurio per Chymicorum mangonium dejiciente reddito, videlicet præcipitato albo, cui Beguinus ſolam vim purgatoriam per inferiora tribuit, pueros ſordibus venereis immundos deterſerunt. Samuel Formius narrat, ſe curaſſe puerum quinque annorum propinatis quotidie ſpatio viginti dierum granis ſex albi præcipitati, quod abſque ullo ptyaliſmo tantummodo deorſum purgabat. Eumdem effectum albi præcipitati comperit [c]Simon Jacozius in duabus Puellis; quarum major vix attigerat quintum ætatis annum, minor tertium. Utraque laborabat multis venereis ulceribus in ore, & pudendis, nec non puſtulis, fœdaque Scabie univerſum corpus occupante.

Puel-

(a) *Centur. 2. Obſervat. 93.* (b) *In tractatu de uſu ſimplicium medic.*
(c) *Obſervat. 6.*

Puella major ſingulis diebus ſumebat grana ſex albi præcipitati, minor quatuor: quæ quantitas aucta fuit in utraque juxta operationem, ita procedentem, ut in utraque bis, aut ter alvus exoneraretur, nunquam vomitu excitato, vel ſalivæ fluxu. Tutior tamen eris a periculo excitandi vomitus, vel ſalivæ fluxus, vel alius gravis ſymptomatis, ſi exemplo Riverii miſceas mercurium cum purgante, quam præſtito albo præcipitato.

Si Tirones a me quærant rationem temperandi hydrargyri cum purgantibus, reſpondeo, mihi nihil peculiare ſuppetere tanquam ſecretum in omnibus ægrotis uſurpandum, quale contigit Belloſtio nanciſci ad domeſtica infortunia reparanda, nulli propterea, præter ſuos, communicatum. Illud ſolum mihi animadvertendum occurrit, pro pertinacibus morbis, in quibus vis mercurii peculiariter expetitur, conſultius eſſe, illum admiſcere lenibus purgantibus, quam fortibus, ut diutius in corpore retentus fortius agat in ſuccum alterandum, eliminandumque, atque ex brevibus intervallis iterari poſſit. Revera Belloſtius, qui tot refert egregias curationes opera illius dejicientis confectas, tametſi non indicat, quodnam admiſcuerit purgans, indicat tamen generatim illud mite fuiſſe, apparetque ex frequenti iteratione facta, quæ fieri non potuiſſet, niſi purgans mite fuiſſet, aut natura ſua, aut minuta quantitate. Sit porro hujuſmodi, ut alvum ſolvat, ſicque immiſtum metallum eodem ducens obſtet, quo minus aſcendat. Vetus eſt uſus ejuſdem remedii cum miſtura purgantium, extatque deſcriptio pilulæ: Barbaroſſæ compoſitarum ex Rheibar. Agaric. drach. ij., Aloes unc. i., Argenti vivi extincti in ſucco roſar. drach. iij., Cinamomi, Ambræ an. ſc. i., Mirrhæ, Maſtichis an. dr. i., & Therebintina omnia excipiente. Hanc miſturam expen-

dens doctiſſimus Rondeletius [a] iccirco commendat, & præfert alteri paratæ ex Hydrargyro, Diagridio, Colocynthide, aliiſque vehementibus purgantibus, ab aliis adhibitæ, propterea quod nimis cito extruditur, celerique expulſione impeditur, quo minus virtus aſſumpti argenti eliciatur. Hoc, ut opinor, ſcopo Belloſtius ſuas Pilulas exhibere ſolebat, vel cœnanti, vel dormitum eunti; cum catharticum diutius intra viſcera permaneat dormientis, quam vigilantis.

Expoſitæ conſiderationi de miſcendo fluente argento, aliam adnecto inquirentem, utrum præſtet illud propinare ſincerum, an perſonatum, crudum, an in fornacibus Chymicorum præparatum, dulcemque, uti ajunt, redditum; de quo video inter auctores non convenire. Plerique dulcem porrigunt, ſive ſolitarium exhibeant ad ducendam ſalivam, ſive aſſociatum purgantibus ad ſollicitandam alvum. Nonnulli tamen omni mangonio rejecto, nativo Hydrargyro, crudoque utuntur, vertuntque infortunia aliquando ægrotis importata in ipſam præparationem opera ignis factam, ſic immutantis naturalem figuram partium, motumque, ut inde poſſit conjungi cum acido humorum, futuro effectore ſupervenientium affectionum. Quos tamen redarguunt eadem infeſta ſimptomata ab hydrargyro *foris* admoto, nec ignem paſſo progenita; quæ parum apte alteri cauſſæ Belloſtius [b] adjudicavit. Affirmat ab eo per frictiones introducto, quamvis crudo, ideo multas moleſtias importari, quod repellat ab exterioribus partibus interiores verſus curſum humorum, ſicque interturbet. Enim vero particulæ mercurii intro ſubeuntes per poros cutis adeo tenues exileſque ſunt, atque ex facili dividuæ, ut nequeant mole ſua inſtar aggeris repellere natura-

(a) *De Mor. Gal.* (b) *Pag. 64.*

turalem motum humorum ad interiora, ſicque interturbare. In ſalivatione ab eo excitata certe humores ad os ulceratum tamquam ad partem inſtigantem accurrunt, ſicque ad interiora moventur per os exituri, non tamen quia eorum motui obſiſtat mole ſua Hydrargyrum per cutem venas ingrediens: quo ſcilicet etiam per os ingreſſo eadem contingunt. Alii vero præparationem animati argenti, converſionemque, ut ajunt, in dulce rejiciunt, quaſi particeps veneni corrodentis, & cauſſam afflictionis ſalivantium. Nihil tamen habent, unde id affirment, multa ipſe habeo, unde illi convincantur. Habeo teſtem locupletem experientiam, qua liquet etiam Hydrargyrum crudum per munctionem, frictionemque intruſum inflammationem oris, eroſionem gingivarum, aliaque moleſta ſymptomata, ſæpe etiam majora infligere; qua, inquam, liquet per eas præparationes, exaltationeſque pluries repetitas ita leniri, ut mitiſſime ſputum eliciat, & ſine moleſtia perturbante ſolita vitæ officia, ſicuti Lemerius, aliique aſſeverant. Hinc munctiones apud Medicos noſtrates fere exoleverunt, frequentatur uſus mercurii dulcis ad inſtigandam ſalivam, nec unquam cum noxa difficile emendabili, ſi ſobrie, accommodateque uſurpetur ad varia temperamenta, conditioneſque morborum, citraque conſtantiam repugnantis operis urgendi. Quomodocunque tamen mirabile argentum adhibeatur, ſive crudum, ſive igne ſubactum, quotieſcunque adhibetur ad ſuperandum fortem morbum ſalivatione, victoria non reportabitur abſque pugnæ labore, modo majore, modo minore, ut variat ægrotantium natura, ſi mota colluvio per os, non per aliam viam exigatur, uti non raro contingit, affirmante Lemerio (a), aliiſ[illegible] que,

(a) *Pag.* 131.

que, ſe vidiſſe plures in priſtinum reſtitutos, exeunte per ſpiramenta cutis una cum remedio viru venereo.

Quamquam mihi cum aliis bene multis adprobatur uſus mercurii dulcis ſalivæ proliciendæ cauſſa, cauſſa tamen purgationis facio cum Belloſtio, exiſtimoque crudum admiſcendum eſſe catharticis, & tale fere ſemper admiſcui. Quid enim opus eſt in hunc finem Chymicorum præparatione? Additur purgantibus ut obſtantium ſuccorum craſſitudinem attenuet, diſſolvat, augeat vim eorum, ſuppleatque, quod aliis purgantibus deeſt: idque præſtat mercurius ſua naturali partium tenuitate, mobilitate, pondere, quæ propterea ab igne immutandæ non ſunt, debilitandæque. Admiſtus catharticis brevi tempore in corpore permanet, totaque ejus efficacia nullo modo retardata requiritur: ex qua timendum non eſt, quod timeri forſan poteſt ex eodem ſolitario exhibito, longiores moras intus trahente. Neque vero opus eſt Chymicorum opificio, quaſi directuro illius vires, atque inſtructuro ad ſecuriorem operationem, hunc citra periculum ad alvum traducente purgante. Si tamen placet adhibere aliquam præparationem, eſto contentus illa ſimplici uſurpata a Petro Pena, qui Hydrargyrum prius decoctum vino, & aceto per alutam trajiciebat.

Hæc ſcripſeram, antequam Venetiis tantopere percrebreſceret fama de Belloſtio, uſuſque mercurii crudi induceretur, quem ibi clariſſimi Medici non ſolum æmuli Belloſtii admiſcent purgantibus, ſed Thomæ Dovarii Angli etiam ſine illis, purum putumque propinant. Strepente igitur hac novitate adhibendi remedii, de quo ſuperiora exaravi, conſentaneum erat, ut de eadem Tirones, quibus ſcribo, inſtruerem, quæque extant experimenta producerem. Celeberrimus Medicus Venetiis Andreas Roſetti,

ferri, qui primus, ut accepi, mercurium crudum, & impermixtum in ea celeberrima urbe periclitatus eſt, rogatus per epiſtolam, ut me de eodem certiorem faceret, humaniſſime reſpondit, & liberaliter a ſe in uſum vocata, & obſervata mihi communicavit, quæ latine reddo. Porrigo, inquit, mane jejuno ſtomacho unciam unam currentis argenti, & nihil injungo ſubinde bibendum. Solet per inteſtina extra ferri, nullo modo in tranſitu moleſtum; in aliquibus tamen non exiguam ejus partem vidi urinæ admixtam. Neſcio, an etiam exeat per cutis meatus; mihi tamen certo conſtat, aliquibus illud ſumentibus horologium aureum argenteo colore infectum eſſe. Excreta per alvum ſunt viſcoſa, mucoſaque; urinæ principio turbatæ cum viſcoſo ſedimento, quæ poſt quindecim, aut ſexdecim dies, modo tardius, modo citius clareſcunt, alvuſque ceſſat a priore excretione, ægroto, quaſi per prodigium admirante, ſe ſe bene habere. Vidi miros effectus pugnans hoc remedio in varias pluresque ægritudines, videlicet in affectiones hypocondriacas antiquas, hæmorroides nimium fluentes, hyſtericos affectus ſuſtentatos menſtruorum ſuppreſſione, dolores iſchiadicos, febres diuturnas accenſas ab obſtructione hepatis, aut lienis, vomitum inveteratum, ſimileſque afflictiones. Eamdem quantitatem mercurii utrique ſexui præbui, variis temperaturis, ætate ultra 2 5 annum: præbui fortibus, & debilibus, extenuatiſque a diuturnitate morbi, & multiplicitate remediorum, ſinceneque [illegible], nihil inde perverſi contigiſſe. Porro ægrotationes gallicas confirmatas, aſſociatas tumoribus gummoſis, febrique pertinaci eo remedio radicitus avellere non potui; potui tamen pilulis confectis ex liquidi argenti ſcrupulis 2., Cinnabaris artificiali Antim. ſcrupulo 1, reſinæ ſa-

lappæ

lappæ granis 10, & Saccharo roſato, quas quotidie ſumi jubeo, augens, vel minuens pro indigentia quantitatem purgantis. Huce adminiſtratis affirmo, me plus quam viginti ægrotos in miſerandam valetudinis conditionem adductos in priſtinum vindicaſſe, qui recuperatam ſalutem teſtantur, deprædicantque. Verum enim vero nec iſtud remedium univerſale eſt, omnes ſanans, quod Medicinæ fortunam ſuperat, ut Tibi ſatis notum eſt. Non deſunt etiam irrita hujus medicamenti tentamina, licet per plures dies, exquiſitaque diligentia præbitum fuerit. In aliquibus pariter ægris coactus fui illud relinquere, ob ſenſum ponderis, quem in ventriculo ſe percipere querebantur. Illud tamen verum eſt, inde nullam noxam importari, ut a me obſervatum fuit. Hactenus vir experientiſſimus, qui pariter altera epiſtola mihi petenti aſſeruit, ſe unciam unam crudi hydrargyri aliis dies triginta continuos exhibuiſſe, aliis etiam quadraginta, nullo interjecto purgante, in aliquibus tamen tres, vel quatuor dies eamdem quantitatem argenti dediſſe, poſtea pilulas ex eodem, adjecto purgante, deinde illud, ut antea, ſolitarium, hac methodo, ſi opus eſſet, continuando curationem. Ergo in Hydrargyro damnato a Plinio, tanquam rerum omnium peſtis foret, maxime elucet naturæ providentia adverſus ferociores, & contumaciores Mortalium ægrotationes: cui ſi multum debemus, non minus certe debemus induſtriis viris, qui primi illius uſum in noſtram provinciam invexerunt, ejuſque vatium efficaciamque in multiplex genus morborum. Poſt tot Chymiæ labores, & conatus circa id metallum, nihil deerat ad amplam perfectamque ejuſdem adhibitionem, niſi ut ſincerum ſuaque tantum naturali dote inſignitum porrigeretur. Hæc tamen acceſſio facta feliciter eſt; conſtat-

que

que experientia, unciam crudi impermixtique cum magna utilitate identidem ſumptam eſſe, aliquando quidem cum fruſtratione ſpei, nunquam tamen, quod hactenus ſciverim, nocenter. Et ſane, narrante Belloſtio [(a)], ſe cuidam Duci inter cruciatus iliaci doloris duas libras mercurii propinaſſe, ſex dies intra viſcera innocenter permanſiſſe, ſatis erat rationabile, nullam offenſionem ab uncia timendam eſſe, qua quantitate in præſens a multis præbetur.

Rumor quidem emanavit, aliquos Venetiis ab aſſumpto crudo Hydrargyro graviter offenſos fuiſſe, agitarique de illius uſu interdicendo; de quo hinc inde certa inditia perquirens nulla inveni, imo non paucos ejuſdem commendatores ex accepto beneficio inveni, atque inter reliquos ducem Illyricum temperamenti calidi ſiccique, qui mihi aſſeruit, ſe eo remedio longas vigilias, quibus affligebatur, abegiſſe, ſomnum recuperaſſe. Itaque tot prælucentibus experimentis ab ingenuis viris relatis de inſigni utilitate inde reportata, nullo prælucente de noxa inflicta, hæc nova ratio uſurpandi mercurii medicam ſupellectilem percommode apud peritos adaugere poteſt. Belloſtius mehercle, licet aſſeveret ad percipienda hydrargyri commoda oportere exhiberi, quale providens natura elargita fuit, aut levi cathartico conjunctum, nuſquam tamen mentionem fecit, ſe dediſſe ſeparatum. Quinimo, quia Belloſtius narrans de illius metalli libris duabus intra corpus ſex dies retentis, nec indicans ullam excretionem earum opera promotam, cum primum audivi decantari multiplices curationes unius unciæ repetione peractas, hæſi, ſuſtinuique aſſenſionem, donec plane comperérim, de quo dubitabam. Neque porro exiſtimem per occultatam miſtionem, qua Belloſtius deprædicat tot,

(a) *Pag. 51. edit. italica.*

tamque varias ægrotationes expugnatas fuiſſe, obtineri poſſe quicquid ſine illa poteſt, obtentumque revera fuit. Egit nobiſcum munifice natura largitione animati argenti tot admirandis effectibus feracis, quorum alios ſola vis ingenita, purumque naturale munus præſtet, alios addito artificii adjumento. Quamobrem ut in pluribus morbis præſtabiliorem judico adminiſtrationem Hydrargyri facta additione purgantis; item in multis ſolitarii, iiſque, qui petunt lentam expiationem, nec viribus infeſtam, craſſorum attenuationem, obſtructorum apertionem, actionemque ratione inexplicabilem, ſoloque ſenſu per habita experimenta deprehenſam; qualis a pluribus aliis manat, quamvis minus fœcundis, quorum agendi modum ignoramus, effecta perſpicimus.

DISSERTATIO
DE OFFENSIONIBUS MEDICI OPEROSI.

CAPUT PRIMUM.

De internis occaſionibus errandi in Medicina.

POſtquam expoſui Tironum gratia, quæ pertinent ad rectam adminiſtrationem grandium auxiliorum, mecum ipſe reputans, quam propenſa incitataque ſit rebus in omnibus ad agendum juvenilis ætas, me non minus eidem profuturum judicavi, inſtituendo examen de liberali frequentique uſu contrariorum comparato cum rariore, & parciore, qui Franciſco Valleſio locupletiſſimo auctori ſalubrior, optabiliorque viſus eſt frequentiore, & liberaliore. O graviſſimam ſententiam omnium Medentium meditatione, & ſuffragiis digniſſimam! pro qua tanquam pro aris, & focis neminem eſſe crediderim, ſi ſerio attendit, quin pugnandum eſſe cenſeat. Utroque ſane modo peccari poteſt copia, & parſimonia, longiuſque abeſt ab errore qui extrema declinat, ſi, ut inquit Horatius:

Virtus eſt medium vitiorum, & utrinque reductum.

eiſdemque cancellis Medicinæ præſtantia continetur. Enimvero, niſi tenendi medii præſto ſint certa veſtigia, eo flectere oportet, unde minor incidit noxa; minorque cre-

ditur incidere ex Medico omittente, quam committente, quieſcente, quam agente. Et omnium conſenſu tanto quis felicius Medicinam facit, omnium artium judicio Fuchſii difficillimam, quanto magis prudentia præſtat ex ſententia Juvenalis Deorum omnium compendio: *Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia:* cujus primæ partes ſunt, devitare incertas vias, occaſioneſque ab recta ratione, & actione recedendi; quas incitati celereſque ad agendum difficillime declinant, tardiores non facile; adeo tot ambigua, involutaque in arte noſtra occurrunt. In tanta vero difficultate ſui muneris actione explendi, certamque viam inſiſtendi an non prudentis erit ab actionum frequentia temperare multiplicibus erroribus expoſita? quos providere, & præcavere non ſolum perarduum eſt, ſed identidem ſupra humanum captum, & vires, effecitque, ut invaluerit, & emanaverit in vulgum opinio, Medicum fortunatum eſſe oportere. Fortuna tamen ſecurius præſidium eſt medentibus ſollers prudentia, qua prædíti omnia artis offendicula accurate circumſpicientes cautum induent animum conſtantemque adverſus vulgarem proclivitatem ad opus; qua plures inſtrumenta ſalutis vertunt in perniciem, ejuſque reparandæ curam in negotium opprimendæ. Ageſis ergo, conſideremus impedimenta tutioris medicationis interna, externaque, quæ omnia interponi doleo, ſuſceptamque provinciam tot ſalebris aſperari; ſed ea diligenter exponenda ſunt evitandi gratia, initio facto ab internis, quorum alia communia ſunt cum omnibus diſciplinis, alia particularia Medicinæ, de quibus diſſeram, poſtquam communia breviter attigero. Ergo liquido conſtat, in qualibet arte eſſe non poſſe certum inſtrumentum operis moliendi, cujus non eſt certa cognitio, ſimiliterque in Medicina morbum certo curari non

poſſe

poſſe, ambiguam duntaxat ſui notitiam exhibentem. At quam paucæ ſunt ægrotationes, earumque mutationes cum cauſſis, ſymptomatiſque, quorum cognitio indubitata, remotaque ab omni periculo erroris effulgeat! Medicus, inquit Hippocrates, [a] ſiquidem ſuffecerit ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad ſanandum. At vero quam pauca, quantum ſatis eſt, cognoſcuntur? Secum ipſe cogitet Medicus humanæ mentis imbecillitatem, rerum ſe ſe neceſſario conſequentium ſcopuloſam inveſtigationem, & imperſcrutabilem fortuitarum concurſum, nec difficulter intelliget, quam pauca perſpicua cognitione complecti poſſit, quam pauca ſine formidine lapſus moliri. De mentis humanæ infirmitate ad verum comprehendendum tot dicta inculcataque ſunt ab Academicis, & Pirronicis, ut hiſce præſtito aſſenſu, qui vel integris ſenſibus fidem detrahunt, neceſſe foret medicinæ renuntiare ſenſuum miniſterio, & auctoritati innixæ. Non diffiteor, mentis noſtræ vires languidas eſſe, atque in perquiſitione veri nutare, & identidem labi, itemque ſenſus noſtros interdum falli impares ſuperandis impedimentis objectis ex ipſa rerum natura; ſed pernego, nos in tanta rerum ignoratione verſari, quanta tot Philoſophi, ut cum Seneca loquar, ſubtiliter delirantes, aut crediderunt, aut ſe credere ſimularunt. Nimium confiſus eſt ſenſibus Epicurus, tribuitque; nimium ademit Arceſilas, & diffiſus eſt; & cum uterque peccaverit, illius error tolerabilior eſt, qui emendationi locum reliquit, alterius plane impatibilis, qui ſtudio reddendi hominem cautiorem oculatioremque excæcavit. Aliquo quidem ſenſu aliquando decipimur, ſed alio corrigimur, quemadmodum accidit in repræſentatione remi fracti in aqua, quem tactu fractum non

(a) *De Arte.*

non eſſe deprehendimus, oculique deceptionem detegimus: eademque opera ſenſuum alias repræſentationes, quæ videntur falſum obtendere, ab errore vindicamus. Mutuam opem ſibi ſenſus præſtant, alterque nobis præſto eſt ad teſtimonium veri, ſi altero decipimur. Admodum tamen paucæ ſunt eorum doloſæ, & perſonatæ repræſentationes, multoque plures ſinceræ, certæ, nilque falſi præſeferentes; de quibus nemo dubitavit præter Academicos, hoſque tantum in ſchola diſſerentes, non in foro communem vitam degentes. Sic nemo unquam dubitavit de colore cæruleo Cœli, viridi herbarum, albo nivis, idque genus aliis, de quibus convenit inter homines ſanis ſenſibus, & mente præditos, qualiſcumque ſit natura coloris, ſive ſit in rebus ipſis perfecta, ſive tantum inchoata, & lumine modificato perficienda. Affirmavit quidem Anaxagora, auctore Tullio [a], nivem nigram eſſe, non tamen ex errore oculorum, ſed mentis laborantis ſophiſmate. Ecce quale, & quam ridiculum. Opinabatur, nivem ex aqua, quam ſciebat eſſe nigram, compactam eſſe, eumdemque colorem ſua imaginatione nivi affigebat. Correxiſſent oculi errorem mentis, ſi permiſiſſet Anaxagora, ut ſuo munere fungerentur, amoto impedimento ſuæ imaginationis illis antepoſitæ. Licet igitur oculi varient pro diverſitate hominum, & nervi optici, ſpirituumque motionis, tamen Daniel Huetius [b] ea varietate parum conſiderate adducitur, ut illis tollat verum judicium. Fruamur liberaliter muneribus naturæ, eaque prædicemus; neque propter errorem aliquem facile emendabilem ſenſibus obtrectemus; quorum plurimas perceptiones illuſtres, nec in controverſiam vocatas habemus, veri ſcaturigines, vitæque moderatrices. Noli, Hueti, humanæ mentis infirmitatem tan-

(a) *Acad. Quæſt.* 4. (b) *De debil. ſp. hum.*

tanquam inefficacis ad verum judicium inde inculcare, quod ignorat naturam ſuam, & quemadmodum ſua opera perficiat. Ut oculus, loquitur Tullius [a], ſic animus ſe ſe non videns alia cernit. Ceteri quoque ſenſus ſuas recte actiones edunt, licet ignorent, quemadmodum edant; ad quas ſcilicet non cognitione, ſed natura docta ſine doctore, ut ait Hippocrates, inſtructæ ſunt. Mens ſimiliter noſtra ſuas, qualeſcunque ſint, functiones elicit non ex cognitione modi agendi, & notione ſuæ naturæ, ſed inſtinctu, inſtructuque naturali: quo ſolo multis in rebus æque recte ratiocinantur illiterati, doctique; quemadmodum æque bona viſione fruuntur, ſi ſani ſunt oculi, Opticæ gnari, rudeſque. Quid plura de hiſce ratiunculis Huetii? Integrum eſt Academicis, citraque periculum notæ ſubeundæ de re qualibet quodlibet ſentire, & dicere, imo ſibi contradicere; uti apparet in oratione Socratis, qua Plato eum jam morte mulctatum apud judices uſum facit. Sic incipit: *Magna me ſpes tenet, Judices, bene mihi evenire, quod mittor ad mortem.* Sic vero deſinit: *ſed tempus eſt jam hinc abire me, ut moriar, vos ut vitam agatis. Utrum autem ſit melius, Dii immortales ſciunt: hominem quidem ſcire arbitror neminem.* Ait igitur poſtremo ſe neſcire, quod ante, uti animadvertit Tullius [b], dixit ſe ſcire, conſtatque ex ejus oratione. Sic Socrates lapſus eſt ſibi contradicens, ſic labi parati ſunt ceteri Academici, quibus ſcilicet pudori eſſe nequit ex facili convinci poſſe, & redargui; quando omnis eorum niſus eo tendit, ut mentis debilitatem, egeſtatemque oſtentent. Si enim ſui placiti ſolidas certaſque rationes afferrent, ſecum ipſi pugnarent, ſcirentque ſe neſcire, quod Arceſilas ſciri non poſſe affirmavit. Utilis eſt, & laudabilis diſſerendi ſubtilitas ad veri inquiſitionem, niſi

(a) *Lib. 1. Tuſcul.* (b) *Ibid.*

niſi modum excedat, vimque inferat naturæ, uti infertur ab Academicis ſenſuum judicio, ipſique veritati, ut ait Lucretius, inde proficiſcenti infeſtis, vitæque rationis turbatoribus. Hoc primum, inquit Seneca [a], Philoſophia promittit, ſenſum communem, humanitatem, congregationem; quam Academica ſubtilitas amoveret, ſi ludo egrederetur, forum intraret. Quid nos infra cetera animalia dejicimus? quæ certos habent ſenſus, quibus ſuam vitam regunt, tuenturque; imo aliqua quaſdam noſtras actiones ſic æmulantur, ut præter vitæ tuitionem etiam a nobis delitias impetrent, nobiſque in delitiis ſint. Fidos & nos ſenſus poſſidemus, errorque in cognoſcendo vero non ab eorum falſo judicio manat, ſed ab receptis rerum veſtigiis vario modo in cerebro diſpoſitis, & inde facto progreſſu ad ea, quæ ſub ſenſum non cadunt. Agilitas igitur noſtræ mentis, libera motio circa multiplices viſas imagines, itemque poteſtas ſe ſe facile avocandi a craſſioribus ſenſibus efficit quidem, ut multo plura intelligamus brutis animantibus, ſed plura etiam cum errore; optabiliorque foret minor fœcunditas mentis, ſed tutior a fallaciis, a ſe ipſa ſtructis, quibus tam frequenter irretitur. Sunt etiam quædam ſenſibilium differentiæ minus manifeſtæ ad percipiendum; ex quibus ſi alia inferre volumus, & longius inde decedimus, in vanas imaginationes incidimus, & vigilantes ſæpe ſomniamus. Item animo alte inſidens præoccupata opinio ſenſibus externis aliquando imponit, noſque optantes errorem e recta via detrudit; ſicuti luculenter apparet ex multis experimentis inter ſe ſe contrariis, quæ tamen a ſenſu judicata evulgantur. Negat hic ſe vidiſſe, quod alter affirmat; neque diſſidium componi poteſt, niſi vel fide alterutri denegata, vel alteru-

(a) *Epiſt.* 5.

terutrius imaginatione exteriori ſenſui prælata, tanquam deceptrice. Quot inſuper futilia, falſa, & perniciosa non induxerunt varii pro varietate hominum mentis conceptus, orti ab ejuſdem celeri motu, nulliſque legibus aſtricto, quem rationem appellamus? Tot profecto pepererunt, ut Cotta apud Tullium[a], rationem adeo in pravos uſus facile flexibilem pro peſſimo munere Deorum habuerit, imo plures graviſſimi Viri non dubitaverint affirmare, omnium inſipientiſſimum animal hominem eſſe. Unica eſt, & individua ſingularum rerum natura, unamque tantummodo ſubjicere poteſt veritatem, veramque cognitionem. Unde igitur multiplices, diſcrepanteſque ſententiæ una eademque de re fluxerunt? Ab ſapientia, an inſipientia? Una certe earum tantummodo circa veritatem verſari poteſt, reliquæ extra feruntur, imo aliquando nulla verum attingit, ut ſentit Vellejus apud Tullium[b], qui enarratis opinationibus Philoſophorum de natura Deorum, iiſque numeroſis, hanc clauſulam imponit: *Expoſui fere non philoſophorum judicia, ſed delirantium ſomnia.* Obſcuriſſima eſt quæſtio de natura Deorum a Priſcis inſtituta, & Plato[c], quid ſit omnino Deus, inquiri oportere non cenſet; ſed etiam de rebus minoris ponderis, & obſcuritatis plures diſcordeſque quæſtiones, & ſententiæ in præſentia ſtrepunt; quæ, meo arbitratu, non commodo, ſed impedimento ſunt, quo minus expedite verum inveniamus; fere tanquam evenit viatori, cum in trivium, aut quadrivium pervenerit, qui ex multiplicitate viarum, & oppoſitione nutat, & hæret, ignarus quam eligat, quæque ad ſcopum perducat. Neque vero opiner, in veritatis indagatione tot vias tentatas fuiſſe, totque excitatas diſcrepantes opiniones, ſi ſolus illius amor ſpeculantium animos cœpiſſet,

V v

[a] *Lib. 3. de Nat. Deo.* [b] *Lib. 1. de Nat. Deo.* [c] *In Legibus.*

ſet, non libido oſtentandi ingenii, alios convincendi, ſupraque eminendi, & novas ſectas condendi. Sancta igitur veri cupiditas ignobilioribus cupiditatibus permiſta, & incitata novum injecit mentibus noſtris impedimentum, & veritatem tanta cogitationum varietate, aut profundius retruſit, aut fucavit, non genuinum illius colorem in conſpectum dedit. Ex confeſſo raræ ſunt, & difficillimæ legitimæ demonſtrationes, & admodum pauca per veram ſcientiam comprehenſa. Cujus igitur utilitatis ſpe tanta urget ſollicitudo de novis imaginationibus emittendis? quæ nec ſatis declarari poſſunt, nec ſolide probari, ceduntque potius in detrimentum ſcientiarum, quam incrementum, & diſcentium incommodum. An id eveniat in aliis facultatibus, alii viderint; id ſane mihi compertum exploratumque eſt in Medicina, quæ tot recentium opinationum in dies gliſcente ubertate, non evaſit felicior ad invenienda remedia, neque inſtructior ad uſurpanda; doluitque jam pridem Leonardus Jacchinus, plura generoſa remedia Priſcis proſpere uſitata, & cum magno artis decore, deſueviſſe. Unde, quæſo, eorum uſus exaruit? Non alia ſane de cauſſa, uti fas eſt opinari, niſi propter ignoratas opportunitates rectæ adminiſtrationis, & inde incuſſum metum amittendæ quæſtuoſæ exiſtimationis, ſi male vertunt adhibita. Quorſum igitur tot labores de ſpeculandis inauditis nil profuturis ad finem artis conſequendum? Poſt Galenum magnum Medicinæ amplificatorem duobus illa inſignibus remediis aucta eſt, Hydrargyro, & cortice Peruviano, illo efficaci ad extraneum, & aliquos vernaculos difficillimos morbos ſubigendos, iſto ad ſedandas febres cum frigore, & horrore invadentes, quæ duo tamen nobis attulit non diuturnus labor exantlatus in novitatum meditatione, ſed

cor-

corticem peruvianum indicavit exemplum populi Americani ; eademque regio occidentis tranſmiſſa in Europam fœda lue ſimilis rebellis ſcabiei obtulit occaſionem fugacis argenti ad ſalivam ciendam in ea experiundi ; compertoque proſpero ſucceſſu in novo morbo , haud difficile fuit , ejus uſurpationem dilatare , & veteribus accommodare . Quod autem emolumentum pro feliciore praxi , & levamine ægrotantium reportatum eſt , aut reportandum eſſe ſperare licet ex nuperis excogitatis , plurimum animoſius , quam doctius exaratis ? quæ multiplicitate , varietate , atque inter ſe diſcrepatione Tirones fatigant , perturbantque , exhibentque negotium etiam arte provectis . Liceat mihi quod in corpore experimur ad animum traducere , inter quæ tanta intercedit conſenſio atque communio . Ut ventriculus ex multo vario diſcordique cibo debilitatur , morboſaſque cauſſas congerit ; item credo menti noſtræ tot , tam diverſas , diſcordeſque opiniones oneri eſſe , atque occaſioni errorum propter ejus diſtractionem in tantam varietatem imaginationum . Ageſis profer , ſi potes , aliquam utilitatem ad clarius intelligendas , & felicius curandas febres allatam ex tam differentibus ſententiis de earum natura evulgatis . Eam alii collocant cum Antiquis in calore præter naturam , alii in accelerata ſanguinis circuitione , quidam in retardata , plures in aucta ſanguinis fermentatione , vel perverſa & perturbata diverſarum ſanguinis partium mixtione , nonnulli in depravato ignis motu vitalis . Nulli ex hiſce placitis acquieſcens Alphonſus Borellus , & novitatis ſitiens ab ſanguine abduxit cauſſam primariam febrium , poſuitque in ſucco nervoſo , de quo non pauci merito dubitant , utrum ſit naturæ opus , an ſolius imaginationis . Poſt iſta an credis exhauſtam eſ-

ſe cupiditatem, & poteſtatem novandi? Non ſane; ſed Hecquetus, & Rega, aliique, ut quam longiſſime recederent ab aliorum inventis, nihilque in humoribus immutandum pro febris efficientia ſpeculati, eam ad ſolida ſpaſmo affecta tranſtulerunt. Si tamen excogitatum iſtuc admiraris, & tanquam novum revereris, ſcias Eraſiſtratum, uti notat Daniel Clercus (a), ſenſiſſe cauſſas morborum, non in humoribus, non in ſpiritibus, ſed tantum in partibus ſolidis quærendam eſſe. Prodierunt etiam in ſcenam, qui conati ſunt inſtaurare ſectam ſpiritalem, auctore Atheneo, uti narrat idem Clercus, conſtitutam, pleroſque morbos non in humorum, & partium, ſed ſpirituum vitium rejicientem. Sic Richardus Morton aſſerit, morbos omnes univerſales ſive primarios, ſive ſecundarios immediate a ſpiritibus male affectis oriri, atque mediate etiam morbos partium. Miror autem Recentiores, quos tanta libido mutandarum opinionum inceſſit, & obſoletas renovandi, ſuam operam non contuliſſe ad extollendam, confirmandamque Methodicorum ſectam, qua nulla magis conſentit cum Phyſica Epicuri hodie adeo celebrata. Themiſon enim ejus ſectæ conditor duo tantum principalia genera morborum admittit, alterum in relaxatione meatuum, alterum in conſtrictione: & Galenus agens de differentiis morborum animadvertit, conſtitutis elementis impaſſibilibus, qualia ſunt atomi ſimplices, & incompoſitæ, quibus Medici recentiores utuntur ad rem ſuam explicandam, nullas eſſe morborum differentias niſi in compoſitione, videlicet in ampliatione meatuum, & coarctatione. Enim vero, quod attinet ad numeroſas, & diſſentientes de febrium eſſentia opinationes Daniel Taury (b), qui de earum natura gallico ſermone

ſcri-

(a) *Hiſt. Medic. part. 2. l. 1. cap. 11.* (b) *In nova prax. morborum acut. cap. 15.*

ſcripſit, illis percurſis non dubitavit affirmare, omnes in errore verſari, nihilque generatim decerni poſſe de natura, & cauſſa febrium; tantum diſcriminis inter earum ſpecies intercedit. Quocirca aliorum opinionibus relictis de febrium eſſentia generatim traditis, ſingulas expendendas aſſumit, aliquid probabilius inventurus proprium unicuique. Quiſquis igitur ſitit recentia, & inaudita, quicquid de febribus novi editum eſt, undecunque conquirat, & apprime teneat. An ne hoc inſtructu præditus citius tutius & jucundius febricitantem morbo levabit, quam priſcorum doctrina contentus, & ea ſola imbutus ſententia, febris eſſentiam in calore extraneo poſitam eſſe? Quinimmo jure ac merito verendum eſt, ne tot diverſis, & pugnantibus rerum novarum ideis mente onerata, & involuta imparatior ſit ad neceſſaria perdiſcenda, & obſervanda a laboribus antiquitatis profecta. Univerſa quippe felicitas curandarum febrium manat primum ex cognita febris ſpecie, & cauſſa, atque exploratis inditiis diverſorum temporum, quæ illa percurrit, & mutationum, quas obit; manat ex perſpecto ſymptomatum momento, & propenſione naturæ ad vias, per quas nititur ſe ſe moleſtis, & ſuperfluis exonerare; manat ex cognitione eorum, quæ neceſſario, vel fortuito ſuperveniunt: ex quibus providentes futura, recte temperamus præſentia, & nanciſcimur opportunitatem remediorum, victuſque rationis. Porro hæc omnia nobis liberaliter tradidit antiquitatis diligentia, adornavitque viam ad ſecuram fauſtamque praxim: qua Majores noſtri primas in civitatibus regniſque tenebant, regibus principibuſque imperabant, erantque cum magna laude ægrotis, ſibique æqualiter utiles: atque utinam poſt dominatum novarum opinionum, & relicta Priſcorum veſtigia

gia remanſiſſet eadem ratiocinandi, medendique ſollertia: adeo exiſtimatione Medicina non cecidiſſet. Quocirca & de febribus, aliiſque morbis commodum foret, tot novitates proditas non fuiſſe, aut ſaltem negligi ab iis, qui animum ad Medicinam appulerunt, non fallendi temporis cauſſa, ſed opitulandi ægrotis; ſiquidem pleræque arbitrariæ ſunt, non ſolidæ ratiocinationis conſecutiones, neque aptæ dirigendæ menti ad veri inventionem. Si ex repetito monitu Galeni rejiciendæ ſunt e Medicina logicæ quæſtiones, utpote ad praxim minime appoſitæ, quanto magis rejiciendæ erunt tot cogitationes novæ propemodum fabuloſæ? Sapientius eſt quædam neſcire, quam ſcire, ut ait Melchior Canus [a], animadvertens in eos præceptores, qui diſcentium mentes importunis, & inutilibus quæſtionibus fruſtra fatigant, agitantque. Valet quidem hæc animadverſio in omnium facultatum profeſſores, ſed maxime Medicinæ tantummodo ad ſpeculandum minime conditæ, tractandumque ſolius imaginationis luxuriantis negotium, ſed graviſſimum humanæ vitæ in diſcrimen adductæ. Hinc arcendæ ſunt conſiderationes plane infructuoſæ, itemque a ſcientia alienæ, cujus votum, & opus eſt, inquit Hippocrates [b], aliquid eorum invenire, quæ nondum inventa ſunt, quod ipſum notum, quam ignotum eſſe præſtet. Ad hanc legem ſi ſua elaboraſſent Recentiores, quam bene de arte, de ægrotantibus, de ſucceſſoribus meriti fuiſſent; quos nempe copia ſcriptorum non fatigaſſent, ſed recreaſſent delectu, & vetera illuſtrando, exornandoque, impedimenta citæ conſecutionis artis abſtuliſſent, non geminaſſent. Queſtus eſt olim Hippocrates de vitæ brevitate, artiſque longitudine, ſed in præſens hæc natura longior ſua, illa brevior a pluribus de

No-

(a) *Lib. 9. Cap. 7.* (b) *De Arte.*

Noſtris intemperanti inutilium novitatum conquiſitione efficitur. Annon vitæ ſpatium contrahunt, producunt artis, qui tempus inſumendum ad neceſſaria, erogant in ſuperflua, & inania? Eſt enim vitæ contractio temporis jactura neceſſariis impendendi, ſi vitam cum Seneca [a] actionum utilitate, non tempore metimur. Quis item non videat quantum exporrecta ſit artis longitudo per tot additamenta imaginationis, poteſtatis ad fingendum nullis terminis circumſcriptæ? Ut autem hæc offendicula rerum novarum cupidine nobis ipſi injicimus; earumque inventores aliis etiam obtrudunt; ſic noſtra ſub poteſtate eſt evitare: alia tamen ſuperſunt ex rebus ipſis orta, difficillime, vel nullo pacto declinabilia, quæ ingredior exponere.

Quanquam omnis error in cognoſcendo vero originem ducit ab imperfectione noſtræ mentis, non ideo mens eodem modo ſe habet ad omnia meditanda, nec in omnibus meditatis eadem obſtacula incurrit. Hinc aliæ diſciplinæ brevius, & facilius acquiruntur, aliæ longiore tempore, & labore; utque ſingulæ pluribus, aut paucioribus difficultatibus obſtruuntur, item plures, vel pauciores errandi occaſiones obtendunt. Sic Medicina, Hippocratis judicio, omnium artium præclariſſima æqualem habet præſtantiæ difficultatem adeptionis, & quamvis poſſideat certa principia, & ſtabilia præcepta, nec multiplices ejus partes æqualiter ſint ſcopuloſæ dubiæque, aliquæ tamen in magna ambiguitate verſantur. Phyſiologia omnium pars prima, non plus habet difficultatis, quam Phyſica univerſalis, imo minus, ſi attendimus, quæ in hac traduntur de principiis rerum, de qualitatibus, de continuo, ejuſque diviſione, de infinito, aliiſque id genus. Illud

(a) *Epiſt. 93.*

Illud vero perarduum, quod habet in explicandis actionibus facultatum animæ, commune cum Phyſica particulari eſt: neque tamen inde Medicus minus proſpere ſuo fungitur munere, ſi ſciat quibus inſtrumentis ſanæ facultates ſerventur, læſæ in priſtinum vindicentur. Plus negotii faceſſit Pathalogia, pars altera, ſecunda & ſpecialis Medicinæ agitans de morbis, eorumque cauſſis, ſymptomatiſque, quorum multa denſa caligine obteguntur, fruſtranturque laborem, & ſollertiam ſpeculantium. Quis inter Antiquos, Recentioreſque adeo perſpicaci lucidoque ingenio fuit, ut tenebras diſſipare potuerit, quibus circumſunduntur cauſſæ affectuum, qui ſoporoſi vocantur? Multiplices ſunt iſti, Apoplexia, Lethargus, Carus, Coma Vigil, Catalepſis, & omnium unica aſſignari ſolet cauſſa, obſtructio cerebri; ſed in ſingulis morbis accidentium diverſitas eſt tanta, ut omnes ad unum idemque principium relati magis obſcurentur. Accuſata quidem eſt ad eam diverſitatem planam faciendam obſtructio facta in diverſis cerebri partibus, atque a diſſimilibus humoribus; remanent tamen multa confuſa, & involuta, neque ex rei natura explicabilia, ſed ſolo imaginantium arbitrio. Alia multa occurrunt in hac Medicinæ parte adeo retruſa, & implicata, ut præſtet ea tacite præterire, quam indagare velle, & evolvere, fateri difficultatem explicationis, quam figmentis velare, induſtriamque noſtram convertere ad ea, quæ probabiliorem diſſerendi rationem ſubjiciunt. Provoco ad Galenum acutiſſimo, & feraciſſimo ingenio ornatum, & plurium ſcientiarum luce perfuſo, totque voluminum auctorem, qui de cauſſa acceſſionis febrilis quotidie redeuntis, vel tertio, aut quarto quoque die, nihil prorſus dixit prudens inſuperabilis difficultatis. Hanc tam arduam

non

non judicavit animoſior poſteritas, pluraque conata eſt ad evolvendum quod latuit Galenum, ſed infra votum conatu, nihilque, niſi fallor, proferente anteponendum Galeni ſilentio, finemque imponente inquiſitioni, & mentis inquieti. Hinc monemur, in hiſce arcanis nequicquam tempus teri, ſi praxis cordi eſt, ſæpe moderabilis vel ignoratis ſecretioribus quibuſdam cauſſis, quales ſunt ſtati circuitus quotidianæ, tertianæ, quartanæ; quorum ignoratio obſtaculo non fuit, quo minus earum febrium curandarum methodus conſtitueretur. Ex hiſce igitur, ſimilibuſque obſcuritatibus non metior potiſſimum Medicinæ faciendæ operoſam rationem, ſed inde metior, unde redditur dubia cognitio morborum, incertuſque uſus medicaminum, tum ratione, tum experientia inventorum: nimirum in ea parte Medicinæ periculoſior difficultas eſt, quæ Semejotica vocatur, agitque de ſignis, ſed adeo imperfecte, ut teſte Celſo (a), jure magni nominis Democritus ne finitæ quidem vitæ certas eſſe notas judicaverit: quibus proinde mirum non eſt, vulgares medicos interdum falſos eſſe, oblatamque occaſionem Aſclepiadi funeri obvio inclamandi, eum vivere, qui efferebatur. Et hercle Galeno Semejotica media viſa eſt inter exactam notitiam abſolutamque ignorantiam, ſuo etiam experimento perſuaſus, qui dolorem colicum ab vitrea pituita, quo torquebatur, credidit inflictum eſſe a lapide in alterutro ureterum impacto, donec errorem excretio conſpecta vitreæ pituitæ detexerit, & admonuerit, hanc fuiſſe doloris effectricem, non calculum; quamvis exhiberet ſenſum terebræ perforantis eo præcipue ſpatio, per quod a renibus ad veſicam ureteres extenduntur; unde Patiens deceptus eſt. Poſt tanti

 viri

(a) *Lib. 2. cap. 6.*

viri lapſum, quo præceptore tot ſæculis floruit Medicina, quis ſe ſe tutum ab erroribus credat, nec de operibus incundis dubitet? Annon quoque hallucinati ſunt Medici in curatione imperatoris omnium maximi, cum de cavenda deceptione ſummum in modum ſatagerent? Quantum frigidum opponatur calido, ſilente ratione, ſenſus eſtimat, nec dubitari poteſt de diſcordia inter has qualitates ſenſu patefacta, tam evidenti & inſigni, ut ex notis ab auctoribus traditis, uſuque collectis de qualitate humoris in corpore dominantis, nihil videatur facilius diſtingui poſſe, quam morbus calidus a frigido. Hinc tamen luculentius apparet, quam fallax ſit indiciorum conſpectus, qui Medicis curantibus Octavium Cæſarem Auguſtum laborantem jecore diſtillationibus affecto non aperuit, id vitium a cauſſa calida contractum eſſe. Itaque uſi ſunt calidis medicamentis, donec magnitudo morbi, & principis vita periclitantis mutationem calidi in frigidum remedium Antonio Muſæ ſuaſerit. Reſpondit eventus, declaravitque felix frigidorum uſus, calidorum infelix ex caliditate præcedentibus notis non patefacta, morbum eſſe. In proclivi fuit Medicis noſſe jecur affectum eſſe, ſed non cauſſam affectionis; quam ſola mutatio curationis, & animadverſio lædentium & juvantium, lege contrarietatis inter morbum, & remedium, declaravit. Hæc eadem difficultas cauſſæ deprehendendæ morbis pluribus interponitur, quodve errorum ſcaturigo eſſe poſſit inter medendum, præclare ob oculos ponit indicata medicatio Octavii Auguſti. Si enim tanto imperatori jugiter aſſidens advigilanſque Medicus haud leviter decipi potuit, quanto facilius labetur, qui tractans obſcuram ægrotationem, ſemel, aut bis in die ægrotum convenit, nec ea diligentia, & animi contentione

qua-

qualem exigebat ſumma Cæſaris dignitas, & ſperabile præmium dignum Cæſare? In deſcribendis morbis fere ſingulorum plures enumerantur differentiæ ductæ ab diverſis proprietatibus eſſentiæ, a diſſimilibus cauſſis, conſenſuque variarum partium, aliiſque adjunctis, quæ pro aſſignata diverſitate diverſam item curationem requirunt. At quo indice petitam curationis rationem exequemur, ſi ſigna ad eas differentias internoſcendas in multis morbis parum diſtincte tradita ſunt, in multis nulla, ut tot differentiarum, & cauſſarum conſideratio ſit ſola doctrinæ oſtentatio, inutilis ad medendum? Apoplexiæ, exempli gratia, tres Proſper Martianus (a) differentias ex Hippocrate recenſet ratione cauſſæ, omnes tamen in eſſentia convenientes, videlicet in ſtatione ſanguinis, venarumque interceptione collo, pectorique diſtributarum, quam conſtituit Apoplexiæ eſſentiam, & probat ex effectibus interceptionis maxime in illis partibus apparentibus, ideſt difficultate, & anguſtia reſpirationis, communibus Apoplexiæ ſymptomatis. Enim vero illa ipſa ſymptomata pluries obſervata ſunt etiam citra coagulationem ſanguinis in vaſis colli pectoriſque, ſed ſolum genita Apoplexia ab humore cerebri comprimente, aut meatus obſtruente, teſtimonio diſſectorum poſt mortem cadaverum. Una igitur eſt facies Attoniti, ſive ex ſanguine in vaſis coagulato in morbum lapſus ſit, ſive ex alio humore cerebrum opprimente; una tamen curationis ratio non eſt. Sanguis intra vaſa ſubſiſtens, & concretus petit apertius venæ ſectionem ab Hippocrate imperatam! Contra valde dubium eſt, an in Apoplexia genita ab humore cerebrum obſtruente utilis eſſe poſſit ſanguinis effuſio; ſiquidem ſumma curationis poſita eſt in reſolutione

(a) *Lib. 2. Mar.* ...

tione materiæ cerebrum occupantis, quæ adjuvari quidem medicamentis poteſt, ſed primario a natura efficienda eſt ſuum robur in ſanguine habente; quo permanente docta ſine doctore modum victoriæ invenire poteſt. Vvilliſius [a] quoque plures tradit cauſſas Apoplexiæ ſubito adorientis, exiſtimatque, aliquando a cerebri obſtructione una cum contactu, quaſi afflatu materiæ malignæ ſpiritus profligante progigni, aliquando a ſolutione continui majore, aut propter ſanguinem effuſum, aut copioſum ſeroſum humorem inundantem. Veruntamen omnibus hiſce cauſſis admiſſis, quibus ſignis ſingulæ deprehendentur ad inſtituendam medicationem? Credit Vvilliſius, non poſſe Apoplexiam repente factam ab ſola obſtructione cerebri infligi, ſed requiri contactum materiæ malignæ ſpiritus diſſipante. Verum hanc materiam qua ſignorum luce detegemus? An ex repentina morbi aggreſſione, ut ſentit Vvilliſius? Sed fruſtra id ſentit, convinciturque ex repentinis ictibus ejuſdem affectus incuſſis ab effuſo repente ſanguine in cerebri gyros, & anfractus, vel alterius humoris in eadem loca illapſu, & præſertim ſeroſi, abs quo credit Carolus Piſo [b] omnem Apoplexiam produci deſinentem in Paralyſim; quæ identidem ſubitaria invadit, uti conſtat ex narratis a Petro Foreſto, aliiſque. Itaque ſubitus caſus Apoplectici non arguit neceſſario venenoſam materiam eveſtigio ſpiritus extinguentem, qui a tot aliis cauſſis produci poteſt, aliæque deſiderantur notæ ad eam deprehendendam. Porro in tanta ſignorum ambiguitate, & evidentium defectu vide, quam procliviter graviterque peccari poſſit, & peccetur in curatione Attonitorum, ſolita peragi non ſemel effuſo ſanguine, nulla facta inquiſitione, habitaque

(a) *Cap. 8. de Apoplexia.* (b) *De Colluvie ſeroſ. pag. 871*

que cognitione peculiaris cauſſæ effectricis. Si ſit in cauſſa morbi, uti eſſe frequenter credit Vvilliſius, plerumque Helmontius, aura virulenta poſcens antidota, nonne profector venæ parat, acceleratque exitium? Uberes igitur ſunt Medici ad aſſignandas multiplices cauſſas morborum, variaſque differentias, ſed identidem inopes ad recenſenda, enucleandaque ſingularum inditia, hiſque tutandam medelam. Non diffiteor, plurium morborum proditas eſſe a majoribus claras planaſque notas, quæ ſi in ægrotantibus apparerent, quales deſcriptæ fuerunt ab auctoribus, curationem non dubie dirigerent. Tamen cum pro varietate ægrotantium ipſa varient accidentia, modo intenſiora, modo remiſſiora, modo plura, modo pauciora, interdum etiam cum inſolitis copulata, ſæpiſſime locum dubitandi relinquunt, non raro fallunt; Quid quod Helmontius animadvertit, in præſens non reſpondere morbos ad nomina Avorum? adeo magnam ceperunt mutationem ex cauſſis eorum effectricibus mutatis, videlicet ab aeris diverſo ſtatu, diverſis moribus, diſſimilique vivendi ratione.

CAPUT II.

Expenduntur ſigna dominantis in corpore humoris morboſi tradita ab Sanctorio tanquam demonſtrativa.

SAnctorius ſua Statica de arte noſtra egregie meritus, cogitans de condenda methodo vitandorum errorum omnium, qui ſolent in medicationibus committi, animum appulit ad colligenda ſigna, quibus ſtudioſi certiores fierent de ideis morborum, cauſſarumque varietate, atque con-

confiſus eſt [a], ſe ſuo labore muniviſſe ſemitam adeo planam certamque, ut hac pergentes citra omnem errorem pervenire poſſent ad veram notitiam idearum, formarumque morboſarum. Commendo docti, induſtriique viri conatum, utilem excitandis diſcentium ingeniis ad diligentiorem indagationem, notitiamque ſignorum; non tamen approbo præſumptam fiduciam de ſuis animadverſionibus, tanquam efficaciſſimis ad impetrandam indubitatam cognitionem morborum, cauſſarumque, explanandamque ſine periculo offenſionis quamcumque ſalebram ſcrutandæ veritatis. Plus autem optaſſe, quam obtinuiſſe Sanctorium oſtendam, expendendo notas, quas proponit, cauſſarum morboſarum. Tres primum aſſignat fontes, unde hauriamus inditia dominantis in corpore humoris, effectoriſque morbi, ſaporem, colorem, ipſumque morbi motum, ſeu periodum humoris. Quod attinet ad ſapores, hos non aliunde cognoſcere poſſumus, quam ex palato ægrotantium, vel noſtro, ſi quis vellet effuſum ſanguinem, vel alia non ſordida excreta deguſtare. Porro licet ægrotantes non raro percipiant ingratos ſapores, & frequentius amarum, ſalſum, aut acidum, ſæpe tamen nullum moleſtum percipiunt, ſæpe quoque affirmant, ſe moleſtum perſentire, ſed neſcire percepti qualitatem explicare, ut inde nullum trahi poſſit inditium ſuperfluentis humoris. Cum vero percipitur diſtincte qualitas ſaporis, & indicatur, eſt ne firmum argumentum humoris late diffuſi, prævalentiſque? An non congeri poteſt in ventriculo pituita ſapore acido, vel ſalſo palatum afficiens, eodem tempore copia biliosi humoris per vaſa fluctuante? An non toto corpore humore pituitoſo redundante acervari poteſt in ventriculo [illegible] bilio-

(a) *Lib. 15. de Morb. ideis perquirendis.*

bilioſus, & ori amarorem aſpergere ? Accepimus ab Hippocrate Cleonactidem laborantem febre erratica continua vomuiſſe blioſa circa vigeſimum quartum diem : & tamen inde Galenus non collegit exuperantiam humoris blioſi, ſed ex aliis ſignis pituitoſi, nempe animadvertens febricitantem neque abhorrere a cibo, neque ſitire, neque inſomnem eſſe. Quocunque me verto in conſiderandis ſaporibus, offendicula invenio, & dubitandi momenta. Idem enim ſapor, ipſo Sanctorio docente, a pluribus humoribus expromitur, diverſaſque cauſſas habet, cujuſmodi eſt ponticus, pituitæ vitreæ, feciſque melancholicæ communis, quem ait modo introduci a frigido cogelante, & reſolvente humidum, modo a calore urente, & reſolvente. Quod autem duorum commune eſt, neutrius proprium eſt, certumque inditium. Notet, ſi placet, ponticus ſapor ſiccitatem ; materiam tamen, quæ dicitur ſicca, non notat, quæque aliarum qualitatum comitatum habet peculiarem conſiderationem exigentem. Quod ſi ſapor in aliquibus morbis exhiberet illuſtrem notam cauſſæ morboſæ, in pluribus certe non exhiberet, quorum effector humor in latibulis corporis latet, neque in palatum repit. Enim vero Medici bene multi non indigent huſce inditiis ab ſapore depromtis, qui paſſim accuſant in morbis acrimoniam, ſalſitudinem, aciditatem ſanguinis, aliaſque illarum permiſtione obortas qualitates, licet nullum earum veſtigium os ægrotantis habeat. Satis eſt ignaro vulgo eas qualitates obtrudere, tanquam invitamenta ad decoctiones pulvereſque, ut ajunt, dulcificantes ſumendos ; qualiſcunque fuerit vera cauſſa morbi nec quæſita, nec inventa.

Expoſita de ambiguitatibus occurrentibus in exploratione ſaporum pertinent quidem ad ſimplices, ſinceroſque,

que, atque ad permiſtos, ſed iſti videntur aptiores ad confundenda inditia affluentium ſuccorum, quam clare exprimenda. Quemadmodum autem in aliis rebus guſtu exploratis, ut animadvertit doctiſſimus Fernelius (a), raro admodum ſimplex, & ſolitarius profertur ſapor propter partium diverſitatem, quibus compinguntur; raro item humores noſtri corporis variis miſtionibus obnoxii ſolitarium ſaporem fidum ſui interpretem ad os tranſmittunt. Quid plura? Hæc generatim attigi de inefficacitate ſaporum ad denuntiandam redundantiam morboſi ſucci, nec operæ pretium eſſe reor ire per ſingulos ab Sanctorio recenſitos; qui tamen duos etiam prætermiſit, acrem, & pinguem, ut alios aliquando guſtui occurrentes.

Quandoquidem, ni fallor, oſtendi, multo minus fidendum eſſe ſaporum conſiderationi, quam opinatus eſt Sanctorius, eumdem eventum timeo de examine colorum. Fatetur ille, ex colore faciei, aliarumque partium non poſſe ſignificari humorem alias partes inſidentem; ſed duntaxat proxime ſubter cutem fuſum, cujuſmodi eſt in Anaſarca humor pituitoſus. Enim vero, cum in arte facienda ſæpe indigeamus veſtigiis humoris viſum effugientis, corpuſque profundum occupantis, non tantum ejus, qui ſub aſpectum cadit, cutem, proximaſque partes inficiens, liquido conſtat, plures cauſſas morboſas inditio coloris, ſi quid poſſet ad eas declarandas, deſtitui. Nunc conſideremus colorum varietatem in ipſis excretis, primoque in rejectis per vomitum, aut deturbatis per alvum. Si videro evomi flavum humorem, aut dejici, inde ne legitime ducam, vaſa bilioſo humore affluere? Tamen vidimus ſupra a Cleonactide rejecta fuiſſe vomitu

(a) *Lib. 4. Meth. cap. 3.*

tu biliosa, reliquo corpore ex sententia Galeni pituitoſis onerato. Aſpicimus etiam in Cholera morbo copiam bilis varie coloratæ, alioſque pariter humores per superiora inferioraque amandari, interdum cauſſa non diffuſa per venam, uti placet Fernelio, sed in prima regione ſubſiſtente, videlicet cumulata bile circum pancreas, vel inteſtina, circumque ſtomachum; qua, meo opinatu, irritante membranas viſcerum, eo quoque diverſi humores alliciuntur, corruptique vi pravi fermenti varios induunt colores. Apparet igitur, non ſatis caute fidem adjungi colori rejectorum per vomitum, dejectorumque per alvum, nec inde decerni tuto poſſe de conditione humoris venarum, imo eorum, in quibus cernitur; ſancitque Sydenhamus adeo lubricam, evanidamque colorum ſpeculationem eſſe, ut nihil certi ex illis, de corporum, in quibus apparent, natura deprehendi queat. Quicquid coloris eſt, totum in ſuperficiem corporis colorati extenditur, nihil intimum attingit, variaſque patitur viciſſitudines ex diverſo luminis appulſu, poſituque intuentis. Hinc patet, quid etiam de colore urinæ æſtimandum ſit: quinimo Sanctorius fatetur, quod tot alii propugnant, judicium urinarum ſtabili fundamento carere, ſive ex illius colore, ſive ex habitu, contentiſque deſumatur, neque ex urinæ ſpeculatione poſſe innoteſcere dominantem infeſtumque humorem. Sin autem Sanctorius ex colore urinæ deſpondet cognitionem præpollentis humoris, quæſo, ex cujus excreti colore eamdem ſibi ſpondere poterit? Profluens illa abs toto ſanguine ſecreta ejus potiſſimum conditionem teſtari creditur, cujus propterea color, ſi eam fallaciter indicat, qualis excreti color certior erit ad eamdem deſignandam? Quis porro neſciat multiplices eſſe qualitates inſtigantes humores ad nocen-

Y y dum,

dum, effectiveſque plurium morborum, quæ nullo colore pictæ aſpectui offeruntur? Plures itero aciem intendunt in colorem emiſſi ſanguinis, tanquam indicem ejuſdem qualitatis ægrotanti, & aſſidentibus declarandæ ad commendationem extractionis. Ceterum, uti Franciſcus Bayle, Bohnius, aliique multi animadvertunt, tot cauſſæ internæ, externæque concurrunt ad immutandum colorem effluentis ſanguinis, & poſtea coagulati, ut ſollertiores nullum certum inde judicium qualitatis excellentis faciant, ab aliis factum negligant. Provoco ad Helmontium (a) non ſolum irriſorem intuentium effuſi ſanguinis colorem, ſed quicquid in eo concreto aſpicitur, capta occaſione ab explorato cruore ducentorum ruſticorum bene valentium eodem mane extracto: in quo pro diverſitate temperaturæ ſingulorum ruſticorum aderant omnes notæ aſpectabiles, ſolitæ cerni in ſanguine febricitantium, & conſiderari a Medicis ad colligendam ejuſdem vitioſitatem. Hujus experimenti opportunitatem nactus eſt auctor ex more villicorum in Belgio, qui altero Pentecoſtes die curant, ut ſibi ſanguis educatur liberalius indulgendi cauſſa potui cereviſiæ. Hiſce adjicio, quod nuperrime obſervavi de colore nigro linguæ cum ſiccitate, qui in febricitantibus ſolet haberi malum omen, inditiumque, aut urentis caloris, aut pravi ſucci. In viro quadraginta ſex plus minus annorum laborante febri continua, quotidie manifeſte increſcente, & decreſcente abſque ullo ſenſu frigoris, ſecundo die apparuit medium linguæ aſperæ, & ſiccæ; attamen nihil mali portendit, neque morbum magnæ poſtulantem, cujus curationem unico clyſtere peregi, videlicet poſt quartum diem penitus extincti.

Ter-

(a) *De Feb.*

Tertium ſontem ſignorum, quæ Sanctorius propria vocat cujuslibet humoris, ponit in periodo, motuque humoris, ſive morbi, opinaturque hiſce duobus ſuppleri inditia ægrotationis, niſi ex coloribus, ſaporibuſque ſuppeditentur. Veruntamen ſi circuitus morbi valet infectum ſuccum patefacere, certe valet potiſſimum in febribus, non in aliis pleriſque affectibus, in quibus tametſi pugnat Sanctorius reperiri periodos, hæ ſunt ſæpe inconſtantes incertæque, neque dubia confirmare poſſunt, clariſque luce obſcura perfundere. In febribus autem, loquendo de continuis, tertiana continua eſt valde frequens, nec iſta fortaſſis minus frequens continua inordinata, inordinatione nullam certam præbens ſignificationem peccantis humoris. Porro tertiana continua non unum eundemque ſemper aſpectum habet, nec eorumdem ſymptomatum comitatum, nec ejuſdem humoris noxii probationem: eandemque varietatem videmus etiam in tertiana intermittente, quæ licet adjudicetur bili, tamen habet miſturam aliorum humorum. Unde alia ſincera conſtituitur, alia non ſincera, itaque vario modo, varioque intervallo recedit ab ſincera pro diverſa commiſtione, & alteratione humorum nobis comprehenſibili ex circuitu febrili. Tertianæ circuitus non quidem ſemper eadem hora incipit, eadem deſinit, ſed ſemper tertio quoque die, aut renovatur, aut exaſperatur; itemque quotidiana quotidie, & quartana quarto quoque die, hora tamen non ſemper eadem, ſuas inferunt aggreſſiones. Quid inde? Anne hoc cognito circuitu internam han[illegible] cognitionem formæ febrilis? Denotat, ut vulgatum eſt apud pleroſque Priſcos, ambitus quotidianæ pituitam, tertianæ bilem, quartanæ melancholiam. Hippocrates (a) tamen ſummus præceptor definite

(a) *De Nat. hum.*

ſtatuens plurimas febres a bile fieri, & nomina ipſarum eſſe, continentem, quotidianam, tertianam, quartanam, abſtulit inditia ſingularium humorum ab earum periodo ſumenda. Hanc tamen peculiarem Senis opinionem miſſam facio, & vulgatam recipio de illis tribus diverſis humoribus diſſimilium febrium effectoribus. Unde tamen tanta eſt ſymptomatum diverſitas febris in eadem ſpecie collocatæ? Unde tam diſpar exitus? ut in altero ægrotante brevis ſit, facilliſque ſuperatu, in altero longior, difficiliorque; in altero calor, ſitis, dolor capitis, aliaque ſymptomata intenſiora ſint, in altero remiſſiora; alterum plura, alterum pauciora exerceant. Hæc ſane tam inſignis variatio maxime oritur ab cauſſa proxima, videlicet humore febris effectore, qui ſi unus & idem eſt in ſigulis febribus ejuſdem ſpeciei, in ſingulis adeo diſſimilium effectuum ferax eſſe nequit. Ferax eſt: igitur diverſos, diverſitate inexplicabili a periodo febrili, quæ in ejuſdem ſpeciei febre ratione dierum, quos deſignat, & complectitur, eadem eſt. Multiplices ſtatuuntur differentiæ bilis, pituitæ, & melancholiæ, variantque non una de cauſſa, uti docet ipſe Sanctorius, eidemque varietati etiam indicata febrilis diverſitas vertenda potiſſimum eſt. Quis autem eas differentias humorum a periodo ſe doceri poſſe cum ratione ſperet? Imo quis non deſperet? Plura cupis de hujus indicii tenuitate? Conſidera quam longo intervallo inter ſe ſe diſtent febres habentes idem curriculum tertianum cum intermiſſione; quarum pleræque, uti ſatis notum eſt, benignæ ſunt, vacuæque periculo; aliquæ tamen malignæ exitioſæque, quarum periculum primus teſte Heredia (a), Lodovicus Mercatus detexit, certe non indicatum a cir-

cu-

(a) *Quæſt. 1. de Feb. intermit. pernici.*

cuitu tertiano, imo potius velatum. Uno inſuper ictu idem Heredia diruit fundamentum cognoſcendi ex periodo præpollentem humorem; qui (a) probat, a quolibet humore quemlibet febrilem circuitum produci poſſe, quotidianum, tertianum, & quartanum. Satis de ſtata periodo febrili; videamus de motu: ex quo ſi quid duci poteſt ad notionem dominantis humoris, id maxime ex ejus celeritate, & tarditate. Eſto igitur; arguatur ex celeri motu febris tenuitas humoris, ex tardo craſſitudo: Numquid hiſce deprehenſis qualitatibus ceteræ nocentis humoris internoſcentur, utiles, ſi cognoſcantur, moderandæ curationi? Quot aliæ copulantur cum tenuitate, vel craſſitudine ex motu veloci, vel lento minime conjectabiles? quibus tamen febres pari celeritate, vel tarditate eumdem numerum dierum metientes, non unum ſortiuntur diſcrimen, non unum eumdemque interiorem habent fomitem, imo tam diſſimilem, ut aliæ ſalutariter, aliæ lethaliter terminentur. Quid longius hæc contra Sanctorium perſequar? Optarem vehementer, ut certa ſigna naneiſci poſſem, & omni dubitatione liberari in cognoſcendo humore ex triplici capite ab Sanctorio producto; ſed ipſemet, dum totus eſt in adornanda via perveniendi ad indubiam notitiam cauſſæ morboſæ, in multiplices difficileſque incidit anfractus, ſalebraſque ſparſas dumetis. Poſtquam enim eos tres fontes inditiorum deſignavit, quæ propria appellat dignoſcendi dominantis humoris, hiſce penitus non confiſus fatetur, revera non poſſe ſemper per ſapores, colores, morbique periodum, vel motum, venire in apertum humores penitiſſimas noſtri corporis partes inſidentes: ideoque ſe ſe convertit ad inquirendam aliam methodum per

(a) *De Feb. Putr. Quæſt. 8.*

per concurſum ſignorum communium, eodem tuto perducentem; quam ducit ex antecedentibus, neceſſariis, & conſequentibus, ſexque inde locos ſignorum recenſet. Primus continet omnes res non naturales diſponentes viſcera; ſecundus omnes viſcerum diſpoſitiones generantes infeſtos humores; tertius circa morbum verſatur; quartus circa ſymptomata; quintum pars affecta; poſtremum juvantia, & lædentia conſtituunt. Ergo agitet quiſpiam res non naturales, primam inditiorum ſcaturiginem, ut inde ſciat, utrum peccet humor calidus, an frigidus. Multæ ſunt cauſſæ calefacientes, quas quia Sanctorius cum Galeno ad tres redigit poſitas in numero rerum non naturalium, videlicet ad motum, ad vicinitatem corporis calidi, atque ad alimentum, hoc numero contenti ſimus. Cauſſæ vero refrigerantes ex eodem auctore in numero rerum non naturalium, ſunt rei frigidæ adhæſus, alimentum, quies, motuſque immodicus; quas omnes oportet opifex coram ægrotante ante oculos habeat & perpendat, prætereaque quid ſingulæ cauſſæ refrigerantes, aut calefacientes per ſe efficere poſſint ingenita virtute, aut ex accidenti acquiſita; per quam idem naturaliter aptum ad calefaciendum, vel refrigerandum, id non præſtat, ſed oppoſitum ſuæ naturæ, quaſi eam exuiſſet. Omnis motus corporis agitando ſpiritus, humoreſque primario calefacit; idemque poſtea refrigerabit, ſive occaſio erit refrigerationis certis poſitis conditionibus, ſi eo deveniat, ut notabilem tenuium, calidorumque ſuccorum copiam exhauriat: eumdemque effectum parere poſſunt aliæ calefacientes cauſſæ ſupra modum evectæ cum direptione ſpirituum, nec ſubſequente reparatione. Ut igitur cognoſcam ex motu genitos eſſe calidos ſuccos nec refrigera-
tos

eos per diſſipationem eorum tenuioris partis, opus eſt, ut veſtigem uſquequo proceſſerit motus, aliaque conſiderem, atque in primis conditionem corporis moti. Alia enim corpora ab eiſdem cauſſis aliter afficiuntur, alia aliter, ut eſt ſingulorum diverſa conditio innata, vel acceſſita; docetque experientia quotidiana, alia corpora leviore motu incaleſcere, & ſudare; alia citra moleſtum calorem, & ſudorem valide exerceri. In alias cauſſas mentem ſparge in diverſa corpora vim ſuam exerentes, eamdemque effectuum varietatem ab una eademque profectam comperies, & veritatem effati, ad modum recipientis recipi, quæcumque recipiuntur. Sic videmus aliqua uno ictu venereo proſterni; aliqua uno adjuvari, & repetitis non valde offendi; aliqua ex eadem repetitione in tabem incidere; aliqua in febrem vehementem; ut evenit Adoleſcenti in Melibea ab Hippocrate deſcripto. Quapropter, adeo variantibus effectibus ejuſdem cauſſæ pro varietate occaſionum, ſcienter Sanctorius concurſionem ſignorum abs tot fontibus manantium requirit ad obtinendam certam cognitionem infeſti humoris. Verum enim vero, cum quilibet fons in tot rivos diffundatur per ſalebroſas obliquaſque vias decurrentes, horum curſum inſequi, metaſque aſſequi ſperabile non eſt. Vix promptiſſimum ingenium, & inſtructiſſimum multo longiore tempore, quam quod ſolet erogari in ægrotantem inviſendum, poteſt exacte perpendere numeroſa ſigna cauſſarum ab Sanctorio propoſita, & inde elicere quæſiti notitiam; tantum abeſt, perpendere poſſe breviſſimo tempore viſitandi. O magnam Sanctorii fiduciam de viribus humani ingenii, & opificis accuratione! Galeni veſtigia premens ſeptem enumerat differentias bilis, quatuor pituitæ, tres Melancholiæ,

præ-

præter quas monet, eſſe conſiderandam multitudinem ſanguinis, ſtatuſque, ut impetretur certa cognitio fortitis morboſi. Hæc tamen omnia, ut ut in umbra, & otio, & procul ab ægroto meditata forent, hoc opus, hic labor permagnus eſt Medico in arenam profecto, & pugnanti cum morbo ſingulatim in ægroto diſpicere, recteque æſtimare, citra errorem aut ſenſus, aut mentis, aut utriuſque. An fugax intuitus & conſideratio Viſitantis plures in die laborantes ſingula brevi comprehendet? Non fatigabor expendendo difficultatem obeundi examinis ex placito Sanctorii tot differentium humorum, ſignorumque: illa ſatis declarabitur ex ſola conſideratione differentiarum bilis. Ergo ex Sanctorio, ut ex rebus non naturalibus eruatur cognitio genitæ bilis, neceſſum eſt ponderare cauſſas omnes calefacientes prægreſſas, aliaſque aptas calori obtundendo, & inde metiri caloris gradum, qui majore, vel minore intenſione diverſam quoque bilis conditionem generat. Moderatus, ſed major naturali pallidam bilem, uti credit, producit; immoderatus flavam, adaucta immoderatio vitellinam: ſed facile percipis, perarduum eſſe hos gradus internoſcere; & difficultas augetur ex aliis indiciis judicandis, elicitis ex conditione corporis, morbo, loco affecto, ſymptomatiſque. Quippe inter ſigna expoſita ad efficiendum concurſum ab Sanctorio demonſtrativum appellatum, ſi unum omittitur, vel in uno perfunctorie luſtrato erratur, demonſtratio procul dubio non tenet, conficienda ex totius concurſus perſpecta veritate. Quid autem proclivius eſt menti humanæ imbecillæ, & faſtidioſæ laboris, quam in tanta multitudine ſignorum agitanda explorandaque unum prætermittere, vel minus ſollerter excutere? Fac tamen aſſidentem Clinicum ſollertem eſſe, accuratum, neque fugacem

gecem laboris, nullamque prætermittere notam; nihilo tamen ſecius naturali infirmitati in proclivi non eſt, de ſingulis tam certo evidenterque judicare, & multo minus de omnibus, ut inde probatio ex omni dubitatione emergat. Cum multa ex ſignis ab ipſo ægroto interrogato depromenda ſint, ſciet ne ille morbo conflictatus omnia, quæ neceſſaria ſunt, ſignificare, & quemadmodum oportet? Non raro ægrotantes, imo etiam aſſidentes domeſtici ignari, quæ ſint momenta cauſſarum, leviores commemorant, graviores tacent, quas aliquando Medicus ipſe ſuſpicari nequit, eſſe prægreſſas, atque interrogando elicere. Ex iis porro, quæ apparent, alia magnitudine conſpicua ſunt, fortiaque ad ſenſum feriendum, alia exiguitate languide feriunt, & parum intentum animum ſubterfugiunt; ſed tanto facilius in errorem inducunt, quanto facilius negliguntur. Sæpe minima, ut videntur, inditia, æquale momentum habent ad ſignificandum, atque magna, ſed iſta in conſpectu tota ſunt, illa non obvia, & parata, ſed ſenſuum, & mentis contentione diſcriminanda. Utrorumque perceptio reddit Medentem cautiorem, atque paratiorem ad actionem, non tamen undequaque tutum ab errore, tot iſtius occaſiones circumſtant, in quas, qui minus dubitant, frequentius incidunt, nec innoxie. Non convenit advigilanti humanæ valetudinis cuſtodiæ, & reparationi perplexitas academica, ſed neque vulgaris fiducia, & proclivitas ad agendum perniciosſior laborantibus, quam hæſitatio, cunctatioque. Quot ardore pugnandi victoriæ occaſionem hoſtibus obtulerunt, quam Fabii cunctatio ademiſſet? Quæ identidem tantæ utilitatis eſt in medicationibus, ut Sydenhamus (a) tempus tanquam Coryphæum

Z z Me-

(a) *Oper. Medic. pag. 49.*

Medicorum admiretur, eventu nobiliſſimæ matronæ ſtatim poſt partum hyſtericis aggreſſionibus, defectuque lochiorum afflictæ. Poſt tentata remedia ad provocanda retenta, ingraveſcente hyſterico affectu, nihil moliri ſtatuit, tempus, & quietem in auxilium vocare: quæ duo colligit ex conſecutis benigne adfutura fuiſſe, niſi tandem Maritus impulſu mulierculartum adſtantium ſanguinem ex pede hauriri permiſiſſet, & non multo poſt cum ſanguine vitam. Nil tamen miror, in hoc ægrotantis ſtatu detractum fuiſſe ſanguinem impulſu mulierculartum, quando plures Medici in ſimilibus anguſtiis idem ſuaſiſſent, mulierculartum potius, quam naturæ voci auſcultantes, ut earum querelas effugerent, ſi contra quam optaretur, eveniſſet.

Scio in præſens apud permultos utentes principiis Chymicorum ad explicandos diverſos humores in nobis genitos, exoleviſſe doctrinam galenicam, & ſtudium tot differentiarum bilis, aliorumque humorum. Nunquam tamen apud Medicum rationalem de ſuo munere ſollicitum exoleſcere debet ſtudium inveſtigandi varietatem nocentium ſuccorum, unde generentur, quemadmodum ſignificentur. Quæ tamen inveſtigatio, ſive referatur ad varias differentias bilis, aliorumque humorum aſpectabilium, ſive ad diſſimiles miſtiones principiorum Chymicorum ſanguinem componentium, eorumque uti vocant, exaltationem, aut depreſſionem, iiſdem ſemper dumetis involvitur. Mutatur materia difficultatum, non difficultas, mutantur voces, mens agitur in diverſa; non tamen faciliora, & certiora. Indicavit plurima Sanctorius agitanda ex priſcis monumentis paritura cognitionem infeſti, dominantiſque humoris; neque improbo totam indicatam copiam cognoſcendorum; tantum doleo, eidem ex deſtina-

ſtinatis circumſtantiis humanas vires impares eſſe, nec inde conflari poſſe ſcientiam, uti arbitratur, ſed duntaxat opinionem. Aliter contigit, atque opinatus eſt, qui obnixe conatus amovere omne periculum erroris a medico ſpeculatore in actionem exituro, difficultatem amovendi oſtendit, non ſuperavit.

Noviſſimum promptuarium ſignorum ab Sanctorio productum, & quotidiano ſermone celebratum in juvantibus, lædentibuſque poſitum eſt, idque magis ſenſui, minus deceptioni expoſitum videtur, quam alia multa indicia; eoque pariter nomine acceptius eſt, quod laboriploſa ſpeculatione, uti creditur, non indiget. Utrum vero ita expeditum ſit, efficaxque ad denuntiandum, quod in morbis negotium facceſſit, dirigendamque curationem intra veri cancellos, perquirendum eſt. Principio animadverto, nec in omnibus morbis, nec quocunque tempore morbi in uſum venire poſſe juvantium, & nocentium obſervationem, videlicet nec in novis morbis, nec eorum initiis, in quibus adhuc nihil tentatum eſt. Poſtquam autem compertum eſt, aliqua prodeſſe, vel obeſſe, ita clare, firmiterque inde colligere nequimus, quæ deinceps facienda ſint, ut abſque ambiguitate, & omni periculo erroris curationem proſequi liceat. *Medicina*, inquit Senex (a), *& nunc, & ſtatim non idem facit, & ad eandem contraria facit, & hæc etiam contraria ſibi ipſis*: id quod probat, declaratque exemplo medicamenti alvum ſubducentis. Si quæris, unde proveniat tanta varietas actionum ejuſdem medicaminis, mentem potiſſimum converte ad mutationem occaſionis, ut ait Hippocrates, præcipiti velocitate delabentis, lapſum concitante alteratione æque velociter facta in corpore medi-

(a) *De Loc. in hom.*

caminis vim, & actionem recipiente, ac modificante. Ut enim ſani celeres mutationes ſubimus, & omne momentum, ut inquit Seneca (a), mors eſt prioris habitus, item ægroti, & nobiſcum ipſe morbus mutatur, modo tamen clarius, modo obſcurius, neque procliviter ad captum Medentis. Nemo hodie eſt, qui pridie fuit, licet ſæpiſſime mutatio non appareat aliis, imo ipſi patienti mutatio occultetur. Quocirca ex continua noſtrorum corporum alteratione, ſive bene valemus, ſive ægrotamus, præſertim uſuvenit, ut idem medicamentum vel modico interjecto temporis ſpatio non ſemper idem præſtare queat, poſſit etiam contrarium pro facta mutatione corporis ejus actionem recipientis. Hiſce animadverſis confide, ſi potes, inditiis ſuppeditatis ab nocentibus, & juvantibus; quæ profecto non plus habent firmitatis, & conſtantiæ, quam habent noſtra corpora tot de cauſſis ex facili mutabilia. Decerne, ſi potes, cras abſque dubio profuturum eſſe, de quo hodie, vel pridie favorabile experimentum habuiſti. Decerne immemor tantæ mutabilitatis ex fauſta periclitatione ante plures dies, vel paucos, ante plures horas, vel paucas habita futuram proſperitatem ejuſdem iteratæ. Quam ſæpe falleris! Morbi occupantis partes ſolidas tam cita mutatio non contingit, ſed tanto citior producti ab ſolis humoribus, cui propterea curando apparet, quam parum faveat protritum illud Medicorum. *Quæ ſemel juvant, repetita ſanant*. An ſanabunt repetita, quod idem non permanet, idem non ſubit actionem, nec eodem comitatu accidentium? Spes repetitione ſanandi firma foret eodem perſeverante affectu, & concurſu accidentium, quorum tamen viciſſitudines etiam concepta ſpes patitur, mutatque, ut nequeat ex actione præterita reme-

(a) *Epiſt.* 56.

remedii ſponderi utilitas futuræ . Ecce hac de re teſtimonium Hippocratis ſapienter admonentis , nunquam a Medico promittendam eſſe uſurpatione experti remedii curationem ægrotationis , quippe ex facili mutabilis; eodemque nomine hortatur (a) , ut frequenter , naviterque ægrotum viſitemus ; exequendæque adhortationis rationem non aliam produxit , quam inſtabilitatem humorum , abs quibus plurimi morbi generantur , foventurque ; eadem inſtabilitate requirente , ut identidem conſilium mutetur . Quo tamen ductu prudenter , & novitati accommodate mutabitur conſilium , niſi frequenter , accurateque ægrotantem conveniat , cui mutationis onus incumbit ? Conſilium de re mobili , & jactata , ut cum Seneca (b) loquar , ſub die naſci debet , & hoc quoque tardum eſt nimis , ſub manu , quod ajunt , ſub manu naſcatur oportet . Ob eamdem liquidorum inconſtantiam , & inde naſcentium effectionum non licet ex ſignis omnibus vel ſollerter perpenſis elicere ſtabilem in plures dies veritatem , curationemque deſtinare cariturum periculo erroris . Neque vero hæc offendicula inſtabilium humorum latuerunt Sanctorium , proinde Tirones admonentem , ut quotidie animadvertant eorum mutationes : ſiquidem bilis , quæ pridie flava erat , hodie evadere poteſt in æruginoſam , cras deinde permiſceri pituita , atque in porraceam degenerare . Poſt admonitionem docet , quemadmodum innoteſcere poſſint mutationes humorum , ſed arduam , ſalebroſam , ſparſamque viis ambagioſis provinciam ingreſſus eſt auguri relinquendam , non a Phyſico luſtrandam . Plures cum Galeno conſtituit bilis , melancholiæ , pituitæque , ut etiam ſupra dictum eſt , differentias , totidemque ichores cujuslibet humoris , & omnes hoſce

(a) *De decenti ornatu.* (b) *Epiſt.* 71.

hoſce humores una cum ſanguine plurimis variationi-
bus obnoxios eſſe, comparandis per commiſtionem
diverſorum, actionemque multiplicium cauſſarum al-
terantium; quas niſus eſt ad certum numerum redige-
re, eumque 80084. Inditia porro tot mutationum in
humoribus refert ad varias differentias ſaporum, & co-
lorum, eoſque dividit in ſalſum, dulcem, acidum, pon-
ticum, ſive auſterum: colores potiſſimum in album,
flavum, vitellinum, porraceum, nigrumque; quibus pro
certo tenet, internoſci poſſe omnes commiſtiones hu-
morum, ſive ex duobus fiant, ſive tribus, ſive pluri-
bus; ſive fiant extrinſecus, ſive intrinſecus. Verumta-
men, cum adeo obſcurum controverſumque ſit, qui-
bus elementis varii ſapores, coloreſque efformentur;
cum penitus ignotum ſit, qua quantitate diſſimiles ſuc-
ci miſcendi ſint ad varietatem ſaporum, & colorum
creandam; cumque ſoli Sanctorio pateat ingens certuſ-
que numerus poſſibilium miſtionum ex differentibus hu-
moribus, traditæ ſpeculationes diſtractæ in tot res du-
bias, obſcuraſque explorandas egregie faciunt ad men-
tem implicandam inanibus conjecturis, non expedien-
dam; augendamque cita, & prompta notione retinen-
di, & corrigendi, vel ablegandi humoris. Cælius Au-
relianus definitiones petitas ab eſſentia rei difficili ad in-
telligendum, aliaque tenebricoſa, & recondita declina-
bat, ſola evidentia in morbis conſectabatur: quem ta-
men Medico rationali imitandum non propono, tantum-
modo memoro, ut inde admoneatur, in Medicina pru-
denter abſtineri a laborioſis meditationibus æqualiter ſu-
ce vacuis, atque utilitate: cujuſmodi ſunt plura ſigna
meditata ab Sanctorio ad percipiendos vitioſos humores,
eorumque numeroſas miſtiones. Mens noſtra imbecilla,

reſu-

refugienſque a labore, ubi tot inditia, eaque non obvia, & parata penſitare debet, & ſine certa ſpe inveſtigatæ veritatis inveniendæ, vix fieri poteſt, quin aliqua prætermittat, alia languide ponderet, alia cum aliis confundat. Quid quod ex variis miſturis humorum, cauſiſque fortuitis jugiter incurſantibus ſæpe ſingulares qualitates excitantur morborum effectrices, nulliſque notis ſignificatæ, quas cognoſcere, ut ait Galenus (a), ſoli Æſculapio conceſſum eſt? Ut inde liquido conſtet; quam arduum ſit ſemper recto tramite incedere, nunquam aberrare, quæcunque adhibeatur induſtria, & ſollertia.

Non ſolum indicata humorum mutabilitas reddit dubiam conſequentiam ductam ex adjuvantibus, & offendentibus pro conficienda curatione, ſed incertum judicium, unde vel detrimentum inflictum ſit, vel collatum beneficium. Alia enim ex accidenti proſunt, aut nocent, forſitan ex natura ſua aliter actura; peculiaria tamen accidentia illis vim opitulandi, illis officiendi impertita ſunt. Sæpe etiam opus medicamentis adjudicatur, quod ſolius naturæ fuit ſalutariter tempore utentis, unde ſuccrevit adagium: Beata Vetula quæ in fine morbi venit, quæ ſcilicet remedio nullius pretii, & operæ, & de trivio accepto creditur morbum expugnaſſe ſponte ceſſaturum. Non ſemel etiam obſervavi poſt acceptum in alium finem remedium, naturam molitam eſſe vacuationem, eaque levatum ægrotum, nec iſti, ſed remedio reportatum levamen aſcriptum fuiſſe. Itaque poſt præbitum remedium, ſi boni ſucceſſus conſpiciantur, de hiſce more Empiricorum ſolo ſenſu judicandum non eſt, ſed ratione perquirenda germana cauſſa, qua non inven-

(a) *Lib. 3. Meth. cap. 3.*

inventa, neque effectus index eſſe poteſt agendorum. Neque vero de cauſſa certiores reddi poſſumus ex eo, quod tantum ſenſibus obtruditur, & omnibus manifeſtum eſt, ſed intelligentia ſecernendo fortuita a neceſſariis, externa adjumenta ab internis; prætereaque conſiderando, quod ſpatium inter propinationem remedii, & conſecutum levamen interceſſerit, utrum id ſit inſigne, attuleritque ceſſationem omnium ſymptomatum, an tantum aliquorum; utrum contigerit nil ſponte agente natura, neque ad agendum parata, an cum ejuſdem actione: quibus neglectis animadverſionibus, aliiſque ſimilibus ex juvantibus, lædentibuſque infirme ducitur indicatio curandi. Quanti vero molíminis ſit id examen obire, rectumque judicium ferre, audi ex Hippocrate, qui poſtquam enunciavit, experimentum periculoſum eſſe, proponit judicii difficultatem, ideſt difficile eſſe, poſtquam aliquid experti ſumus in ægroto, ſi quid inde evenerit, recte de cauſſa eventus æſtimare. Quanto autem hæc difficilior cognitu (loquor cum Valleſio doctiſſimo interpretante difficultatem judicii ab Hippocrate indicatam) videtur peritis, tanto facilior imperitis apparet. Mirum eſt, inquit ille, quam facile, & incunctanter vulgares Medici de cauſſa valetudinis rogati reſpondeant, hinc hoc, hinc illud initium cepit. Certe, uti ſubdit, facilius affirmant, quæ neſciunt, quam quæ ſciunt. Permitto igitur cum fiducia utaris decantato axiomate, ex juvantibus, & lædentibus indicationes deſumi; permitto juvantia repetas dummodo auxilii cauſſa Tibi explorata compertaque ſit: de qua ſane ex imperitia, & cum turba judicando, ex facili certus eſſe Tibi videberis, difficulter ſi emerſus e turba cum peritis deliberes. Hinc conſentiente vulgo cum falſis Medentium judiciis

tot

tot errores in Medicinam irrepſerunt, inductaque eſt conſuetudo popularis medendi, & quædam remedia fere in omnibus morbis adminiſtrandi, tam amplo aſſenſu comprobata, ut ſi quis doctior aliquando ea prætermittere velit, ita morbi natura exigente, incurrat multitudinis querelas, accuſeturque, vel de retardata ſalute, vel de permiſſa morte. Quare animis ita occupatis evenit, ut in præſens magnæ ſit conſtantiæ, & probitatis ex conſcientia mederi, famæ remediorum ab inſciis celebratæ obſiſtere, nihil ſupervacui, aut nocentis committere. Philoſophia, inquit Cicero, (a) paucis judicibus contenta eſt, multitudinem conſulto fugiens: quam conditionem ſi ſortita foret Medicina, & minime vulgari judicio expoſita; longe minus negotii faceſſeret ipſis Medentibus ægrotiſque, illis ademptum eſſet incitamentum imponendi, iſtis inde manans detrimentum.

Satis indicavi, quam operoſum ſit, qualitatem dominantis noxiique humoris ex multiplici ſignorum fonte ab Sanctorio deſignato ſcrutari; quamque parum feliciter iſle laboraverit, ad perſcrutatorem ab omni lapſu afferendum. Nunc accipe difficultates veſtigandæ quantitatis, quibus perterritus Galenus (b) hæc habet: *Siquidem, ut ſæpius diximus, nulla eſt in arte medica nec res, nec medela, quæ ſpecie dicibilis non ſit, ſed quod nec dici, nec ſcribi poteſt, nec omnino præcipi, id quantitas in quoque eſt.* Atque hinc majorem partem oriuntur anguſtiæ, & dubitationes in adminiſtratione remediorum, quorum determinata recte ſpecie, oppido arduum eſt figere veſtigium ad determinandam quantitatem. Hanc facile ſecamus in parvam, mediocrem, magnam, & ſummam extremamque, qualem concipiens Hippocrates in ſumme bono habitu

(a) *Lib. 2. Tuſcul. Quæſt.* (b) *Lib. 3. Meth. cap. 3.*

exercitatorum juſſit feſtinanter minuendam eſſe; ſed tanto laborioſius eſt eas menſuras in noſtris corporibus diſpicere, & inde æqualem quantitatem auxiliorum deſtinare, nec infra, vel ſupra ferri. Sanctorius, qui, ut vidimus, omnem lapidem movit, ut promeret notas dominantis humoris, etiam conatus eſt aſſignare pertinentes ad quantitatem, eaſque in paucas contrahens dubiis obſcuriſque Lectorem minus oneravit, fatigavitque; eademque proinde utar brevitate in earum examine. Principio pugnat Sanctorius, ut demonſtret, quomodo ex concurſu inditiorum aperiente qualitatem redundantis humoris, queat ſimiliter quantitas redundantiæ colligi, exemplo ſumpto a bile, cujus quantitatem ait patefieri, ſi præceſſerint omnes, vel plurimæ cauſſæ calefacientes; ſi patiens ortus eſt ex parentibus bilioſis; ſi morbi motus velox fuerit, & tertio quoque die recurrens cum vigiliis, ſiti intenſa, ciborum inappetentia, excrementis flavis, praſſinis, vel æruginoſis; ſi colore citrino oculi cum reliquo corpore inficiantur; demum ſi membranæ læſæ fuerint, gravateque æger inediam ferat. Nolo hæc ſigna ſingillatim excutere, & quamvis plura ex hiſce intenſiorem potius bilis pravam qualitatem, quam quantitatem denotare valeant, concedo ex eorum acervo manifeſte ſignificari humorem bilioſum, eumque copioſum: ceterum non aſſentior copiam, quæ late extenditur, nec intra certos limites continetur, ita definiri poſſe, ut ejuſdem ſtata quantitas conſtet. Porro difficultas inveniendæ quantitatis, quæ, ſententia Galeni, nec dici, nec ſcribi, nec præcipi poteſt, in eo non conſiſtit, ut ſuperet humanam mentem cognitio majoris, vel minoris quantitatis, nulla ſingulari menſura aſſignata. Ut videro multa præceſſiſſe bilem generantia, flavere alvi excrementa, & veſicæ, os amareſce-

reſcere, aliaque hujuſmodi veſtigia, non dubitabo affirmare, multum bilis adeſſe. Petenti tamen, ut eam copiam ad ſingulare pondus redigam, & certo limite ejus extenſionem circumſcribam, hærebo, ſatisfacere non potero, nec indicare, parilem quantitatem auferendam eſſe.

Aliam methodum, qua credit Sanctorius pernoſci multitudinem humorum, trahit ex affectionibus poſterioribus, nimirum ex corporis gravitate cum contuſione, laſſitudine tenſiva, tumore, duritie, ruptura vaſorum, & rigore ſine caloris conſecutione: quibus perſuaſum habet, nimiam ſuccorum copiam denuntiari. Id verum ſit. Ergo ne Galenus immerito quantitati inſuperabilem difficultatem ſubjiciendi ſui notitiam affixit, eamque ſupra captum humanum collocavit? At Sanctorius aſſerit quidem, illas notas ſignificare nimietatem ſuccorum, ceterum non definivit, quot portionibus nimietas naturalem quantitatem excedat; in quo conſiſtit difficultas invincibilis a Galeno credita. Addo, quodlibet ex dictis ſignis poſſe a diverſis cauſſis proficiſci, uti non inficiatur Sanctorius, nec omnia convenire poſſe. Cauſſarum vero diſtinctio, a quibus ſingula fluere poſſunt, ita aperta non eſt, faciliſque ad comprehendendum, ut certam rationem ſufficiat omnes ſcopulos evitandi. Sic laſſitudo tenſiva habita pro argumento uberioris ſanguinis, poteſt originem ducere a flatu, & ſiccitate, & materia ex labore in partes prolapſa, ibique ſuperſtite. Itaque ea laſſitudo conſtitui nequit certum indicium ubertatis ſanguineæ, niſi aliis convenientibus notis, in quibus diſcernendis nemo in ſe recipiet, omnem fallaciam ex facili declinari poſſe, manaturam, tum ex Medico cogitante, tum ex ipſis ægrotis, quorum plures neſciunt, aut negligunt explicare, quid vere percipiunt, ut inde duci poſſit cla-

rum judicium de tenſione, aliiſque ſenſu perceptis. Hæc ipſa tamen vel ſincere prodita variam, & ambiguam habent interpretationem. Sic gravitas corporis in febribus, ex qua plures capiunt occaſionem detrahendi ſanguinis tanquam oneroſi, Proſpero Martiano argumento eſt purgandi, tanquam ſignum bilis in venas, articuloſque incumbentis. Quid dicam de duritie corporis, de tumore, ruptura vaſorum, rigore ſine conſequente calore? Si ſingula enumerata ab ſola redundantia humoris produci poſſent, hiſce præſentibus confecta foret illius ſolida probatio; ſed varietas cauſſarum, unde queunt oriri, non levem ingerit dubitationem. Sit corpus durum. Cur inde inferam potius multitudinem, quam ſiccitatem? Rumpantur vaſa. Cur rupturam potius tribuam copiæ, quam acrimoniæ? Si tumet corpus, tumorem efficere poteſt plenitudo vaſorum, poteſt etiam ſine plenitudine vaſorum humor effuſus in corporis habitum præter naturæ leges, occupanſque loca non ſua, vel adaucta moles carnium. Si riget corpus, neque rigori febris ſuccedit, ab Sanctorio Galeni opinionem ſecuto verba facientis de Epicratis uxore, accuſatur multitudo crudorum ſuccorum. Ceterum etiam ſine hac copia rigere poteſt corpus a pravo cibo, vel alia mordaci materia ſtomachum pervellente, vel alteram partem. Vidit Fernelius ingentem rigorem ex intervallis ſupra vicies quotidie excitatum abſque febre ſuperveniente, a bile ſincera, eaque praſſina in membranis circa jecoris cava coercita. Non igitur ita in promtu eſt, uti ſperavit Sanctorius, ex productis ſignis arripere indubitatum argumentum affluentiæ vel generatim conſideratæ. Siquidem ſemper plura expendenda occurrunt menti noſtræ negotium exhibentia ſua naturali infirmitate, & tædio laboris in errorem propenſæ.

penſæ. Multo magis confiſus eſt Sanctorius, quam Galenus ſignis, pluraque conatus ad ea colligenda, explanandaque; tamen Medicinam facturis tam clarum lumen non prætulit, ut ſcientiæ perſpicuitatem æquet, ſatis indigentiæ faciat, & Medicinæ partem, quæ maxime conjectrix eſt, & dubitationibus jactata, in portu ab ſcopulis, & tempeſtatibus ſecuram collocet. Paſſim tradita inditia morborum, cauſſarumque demonſtrativa vocat, nec dubitat, quin eorum ductu pede inoffenſo ſalebræ praxeos ſuperentur; ſed ipſe paſſim offendit in ſuis ſpeculationibus, aſſumens pro demonſtratione puram putamque conjecturam, & rationem vix probabilem. Verum enim vero cum in re quacunque, & præcipue in Semiologia ægerrime impetrentur legitimæ demonſtrationes, vixque ſperabiles ſint, retro habendum non eſt opus Sanctorii, multa continens ingenioſa, & probabilia ad quoſdam frequentiores, gravioreſque errores præcavendos. Iter facienti noctu per vias anguſtas obliquaſque vel exiguum lumen optatiſſimum eſt. Et ſane ſemel, iterum, & ſæpius fateri oportet, Medicinam quoquoverſus indeclinabilibus ſcopulis patere, non ſolum ex difficultate intima morborum cognoſcendi, & inde monſtratas occaſiones remediorum, ſed ex iſtarum, ut ait Hippocrates, præcipiti fuga; ex quibus tamen, ejuſdem auctoris ſententia, Medicina conſtat. O calamitoſam occaſionis mobilitatem, & inconſtantiam! quæ velocitate labendi ſæpe noſtrum effugit intuitum, ſæpe incertum relinquit, nec uſum ſui permittit, prius elapſa, quam ſatis explorata. Quis igitur in tanto occaſionis diſpiciendæ, arripiendæque negotio ſe ſe ita tectum, munitumque putet, ut ſine metu offenſionis munus ſuum obire poſſe confidat? Aptiſſima ad varios ſalubreſque effectus medicamenta

ta intempeſtive præbita ſuam indolem dediſcunt, quodque efficere nata ſunt, aut non præſtant, aut imperfecte, aut, Hippocrate monitore, contrarium. Si Hydropicum celeriter ſeces, uti mandat idem auctor [a], antequam viſcera labefactentur, juvabis; ſi tardius, uti mos eſt hiſce temporibus, citius rapies ad interitum. Mira, & varia eſt in omnibus rebus humanis occaſionis efficacitas, eorumque, quæ fato, fortunæ, & caſui adjudicari ſolent, dominam eſſe occaſionem exiſtimo: quam veteres Romani tanquam Deam coluerunt, & Sophocles apud Svidam in quocunque negotio hominum maximam magiſtram appellat. Hujus efficientiam obnixe perpende, eaque apprime cognita deſines ſuſpicere, & admirari, quæ ita vulgi mentes percellunt, ut a ſublimioribus cauſſis orta exiſtiment. Veruntamen identidem inutilis magiſtra eſt, ſi nempe poſt irrevocabilem rerum exitum duntaxat deprehenditur; & licet mentem ad futura erudiat, nihil confert ad prætenta, ſolumque relinquit pœnitentiam aut commiſſorum, aut omiſſorum. Hæc ipſa, quæcunque ſit Medicinæ vis adverſus ægrotationes, univerſam fovet, & gubernat, ejuſque Proviſores tollit humo, & abs turba ſecernit. Quippe quanto cognitu difficilior eſt, remotiorque a vulgi captu; tanto præſtantiora parit, & magis extollit auctorem operis, adeo interdum ut divinis honoribus, ſicuti Hippocratem, affecerit.

Medenti laborem exhibet non ſolum ſpinoſa opportunitatis cognitio, atque pernix fuga, ſed illud quoque, quod vel ea probe cognita, & arrepta præſto non eſt inſtrumentum, quo voti compos certo fiat, & actionem mente conceptam executioni mandet periculo erroris exem-

pta.

(a) *Lib. 6 Epid.*

piæ. Demus enim, ver. gr. præclare apparere adeſſe copiam purgandi humoris, nilque purgationem impedire, remanet adhuc conſultandum de qualitate, & quantitate pharmaci, quod inito conſilio reſpondeat, neque modum egrediatur. Ut enim definita quantitas ſuperflui excernendi comprehendi nequit; ſimiliter in ambiguo poſitum eſt, quam quantitatem purgans excepturum ſit, optatamne, an ſupra, an infra votum. Ambiguitatem injicit etiam laborantis ineffabilis diverſitas, & aliorum accidentium coitio ſubducta noſtræ intelligentiæ; ideoque imperata purgatio ſemper nos ſollicitos habet metu, ne vel ſupra indigentiam, vel infra contingat, gnaros multiplici experimento, quantum variet per idem pharmacum, & in eadem quantitate propinatum excretio, modo uberior, modo paucior expectatione, ſemperque fortuita, ſi plane illi reſpondeat. Quod ſecum ipſe reputans Galenus aſſerit, non aliunde magis artem conjecturalem reddi, quam ex quantitate cujuſque remedii; eodemque reſpectu reliquis evacuantibus (a) præponit venæ ſectionem; qua utens ex ſuo arbitrio metiri poteſt quantitatem ejiciendi ſanguinis, contra quam accidit in aliis evacuantibus, quibus ingeſtis ſecutura vacuatio extra noſtram poteſtatem eſt, regimenque. An ideo Phlebotomia undecunque expedita eſt? Regi poteſt, fateor, ſanguinis effuſio, caditque ſub noſtrum arbitrium, octo, vel decem unciis, plures, vel pauciores effundere, clauſa vena ad arbitrium deſtinatæ quantitatis extractæ. Sciri tamen non poteſt, an par copia redundet, ſi duntaxat vacuationem redundantis moliri mens eſt, an par copia ſufficiat derivationi, vel propoſitæ revulſioni; redditque hujus notitiæ vacuitas incertum remedium,

(a) *De Arte Cur. per Sang. miſſ. cap. 12.*

dium, quantum ſpectat ad quantitatem, ad quam accedere licet, pervenire non licet, niſi caſu, & fortuna.

CAPUT III.

De cauſis externis errandi in Medicina.

QUamvis plura expoſitis ſupereſſent addenda de cauſſis internis errandi in Medicina facienda, objectis ex difficultate cognoſcendorum, non exhibente certam rationem agendi, atque ex infidis inſtrumentis actionum, addere ſuperſedeo, ne longius producam perceptam moleſtiam artis meæ ulcera tractando, & inſanabilia detegendo. Pauca tamen ſubjicio de cauſſis extrinſecus advenientibus, & profectis ab ipſo artifice, artiſque exercendæ conſuetudine: quæ licet pluribus de Noſtris forte minus accepta futura ſint, tamen prætermittenda non cenſui amantior publici boni, & veritatis, quam ſollicitus de eorum offenſionibus declinandis. Videant, quam parati ſint lapſus intermodendum, & quibus de cauſſis, eoſque caveant, & erga munus ſuum in commune ſpectans bene affecti ſint.

Medicus aſſidens graviter ægrotanti, in quo error commiſſus exitialis eſſe poteſt, tranquilla mente ſit oportet, nec in plura negotia ſparſa, non ab corporis motu ſpiritibus exhauſta, non animi, quo, uti ait Seneca [a], permiſcetur, turbatione agitata. Nempe breviſſimo tempore, interque dubia, & obſcura deliberare debet de capite laborantis; neque prudenter deliberare poteſt, niſi ſenſuum ſincero miniſterio uti valeat; repræſentante fideliter quicquid circa faciem ægroti, totumque corpus, cubitum, ſermonem, & reli-

(a) *Epiſt.* 114.

& reliquis apparet. Is quippe nexus eſt, hæcque communio inter ſenſum externum, internumque, ut neuter ſine utriuſque conſpirante virtute, & actione rite ſuo munere fungi paratus ſit. Revera enim non duo ſenſu ſunt, & origine diſtincti, ſed unus idemque ab cerebro medius nervis univerſo corpori diſtributus, diverſa quidem in diverſis partibus efficiens, ſed unica poteſtate ab eodem fonte recepta; qui quacunque parte læſionem patiatur, totus eamdem ſentit, neque ſuum penſum integre explere poteſt. Porro neque mens a ſenſuum noxa tuta eſt, idemque patiens impedimentum nequit inter anguſtias Jacentis idoneum conſilium inire, niſi opera ſenſuum transferentium veſtigia ſenſibilium inviolata ſit, & omnis expers deceptionis. Raro autem accidit, ut Medicus ad opus accedat cum imperturbata ſenſuum contentione, tum mentis, animique apprime, uti dictum eſt cum Seneca, commiſſorum, tranquilla attentione, ſed utrumque identidem gerit, aut in domeſtica negotia diſtractum, aut de ſua exiſtimatione, ſuaque opinione tuenda plus ſatis ſollicitum, aut conſuetudini populari deditum, aut pronum ad obſequendum domeſticis ad hoc, vel illud remedium propenſis, aut aliter affectum, & præoccupatum. Comprime has affectiones quiſquis Medicinam facturus es pro dignitate, & documento Hippocratis, qui providens obviam, facilemque artis, cujus ipſe maximus Magiſter eſt, depravationem, requiſivit in Opifice mores generoſos, excellentemque naturam, non alium habituram ſcopum, quam veri cognitionem, & opem ægrotorum, non metuentem vulgi falſo perſuaſi querelas, non famæ, lucrique detrimentum, neque ad placitum Collegarum, vel contra judicantem pro varia in ipſos affectione. Si de rebus dubiis conſulenti, ut ait Cæſar apud Salluſtium, ab omni

animi perturbatione vacui eſſe debent, qui fiet ut de re medica oppido ancipiti ſapienter decernatur, alienis a propoſito cupiditatibus animo laborante? *Ubi intenderis ingenium*, idem Cæſar inquit, *valet; ſi libido poſſidet, ea dominatur, animus nihil valet*. Quare ſi animus primario ad indigentiam ægrotantium intenditur, uti debet, regendus eſt ad præcepta Philoſophiæ moralis, qua deſtitutus, judicio Galeni (a) Hippocratis imitator eſſe nequit, ſalutaris, & optabilis artis ſuæ miniſter. Non ſolum autem mentis, animique æſtus poteſtatem conſulendi turbat; ſed ipſius corporis jactatio, ſine cujus conſortio, auxilioque ratio ſuas vires exerere nequit, & quidquam moliri. De rebus gravibus conſilium capturi trivia fugimus, ſeceſſum quærimus ad quietem animi, corporiſque tuendam; cujus vehementior motus agitat, diſſipatque ſpiritus noſtrarum operationum inſtrumenta, ex jactura, & agitatione infirme ſuum munus executura; ut ab Seneca (b) admoniti ſumus aſſerente, exercitationum labore ſpiritum exhauriri, inhabilemque intentioni, & ſtudiis actionibus reddi. Apparet igitur, quam imparata mente, animoque ſint, qui quotidie tota urbe percurſantes ad ægrotos multiplices perveniunt defatigati, æſtuanteſque vix ſatis mente ſe rejecto corpore. Hoc quippe laſſato, & labore perculſo, mentis quoque robur minuitur ad complicata ſymptomata ponderanda, ſingula ad ſua principia revocanda, ad ſtatuendum de morbi eſſentia, miniſtrandiſque remediis. Quæ omnia brevi tempore agitanda, & tractanda magna indigent mentis intentione, nequaquam ſperabili ſocii, & adjutoris corporis languentibus viribus. Alterutrum itaque neceſſum eſt, aut hoſce Medicos præditos eſſe mente Stoicorum a virtute adverſus incommoda corporis, jacta-

(a) *Lib. ſi quis ſit Medicus*. (b) *In Epiſtolis*.

ctationeſque firmata ; aut eſſe ſortitos animos corpori non congruentes ; aut ſolummodo uti populari conſuetudine, & communibus in omni curatione remediis, non propriis, & ſingulis ægrotationibus idoneis : quorum ſeduli veſtigatores lucro inhiare nequeunt, nec eſſe ſolliciti de pluribus ægrotis quotidie viſitandis, & ad omnes æqualiter parati : *Sed qui*, inquit Celſus (a), *ſectat quæſtus, libenter amplectitur ex præceptis, quæ ſedulitatem non exigunt* : qualia ſunt univerſalia, nec accommodata ægrotis temperatura diſſimilibus, ætate, vitæ inſtitutione, morbo, cauſis, aliiſque accidentibus. Propria, & ſingularis medicatio requirit laborioſam mentis contentionem, præſentium intuitum repetitum, conſtantemque præteritorum memoriam ; quæ tamen cito elabitur, ſi retinenda plura ſunt, & diverſorum laborantium ; hacque de cauſſa frequenter evenit, ut medentes ægrotis ſuam oblivionem, velint, nolint, patefaciant, non raro immemores eorum, quæ pridie viderant, aut audiverant, aut deliberaverant. Itaque ceteris ſilentio præteritis offendiculis, ſola ægrotorum inviſendorum copia motu incommoda corpori, mentique diſtractione in plura, repugnat, quo minus provida, accurataque conſultatio de ſingulis habeatur. Deus bone! Aliis momenti negotiis regendis præfici ſolent, qui vacui ſunt, nec aliis curis diſtenti, quo attentius, & perfectius ſibi commiſſum opus peragant : cum ex ipſo naturæ lumine innoteſcat, pluribus intentum ſenſum ad ſingula minorem eſſe. Sola ſalutis procuratio penes eos ſecurior creditur, qui multorum ægrotantium quotidianam curam gerunt ; nec in hiſce timetur mentis diſſipatio per applicationem ad plura, qualiſcunque iſta ſit ; quaſi mentis vigor, uti aliorum ſenſuum in plura diffuſæ non minueretur.

(a) *Lib. 3. cap. 4.*

tur. Tritum eſt adagium: Cave ab homine unius negotii, quippe nimis attento: oppoſitaque ratione non minus cavendum eſt ab homine multorum, ſi ſingulorum diligens confectio requiritur. Quod ſi medentis fatigatum corpus, laſſumque, & animus perturbatus non multum obſtarent ſapienti deliberationi, an parum obſtaret brevitas temporis, quod ſolet inſumi in affectionis conſiderationem, mutationum ejuſdem, aliorumque accidentium, quæ in horas, non modo in dies contingunt? Quoties verſantes in quæſtione tantum probabili, poſtquam eamdem rem diu multumque mente revolvimus, mutamus ſententiam, rejicimuſque, quod verum, aut ſimile veri viſum erat, noſtroque dignum aſſenſu? Nobis autem ſedentibus ad pulvinar ægroti, dubiis, non evidentibus intimi morbi ſignis repræſentatis, qui fiet, ut eorum celer intuitus, parque conſideratio occulta detegant, ambiguitatem tollant, & ſatis ſint ad rectam ſententiam ferendam, neque mutationi obnoxiam? Eo devenit uſus, ut fere pudeat coram ægrotante parumper cunctari, rem dubiam eſſe fateri, ſumere tempus ad meditandum, nihil ſubito adminiſtrare; qua præcipiti feſtinatione nihil exitialius eſſe cum Sydenhamo [a] exiſtimo. Baconum quoque de Verulamio appello, qui tanquam maximum vitium in ſtudiis reprehendit dubitandi impatientiam, & decidendi celeritatem; cum ſcilicet in otio, & umbra ſedentes objecta veri momenta nobiſcum agitamus, nec noſtras meditationes ad opus dirigimus, ſed ſolius ſcientiæ conſecutionem. Quanto igitur gravius delinquet, qui de ægrotante in vehemens diſcrimen conjecto non tantum impatienti celeritate meditationis deliberat, ſed deliberata executioni mandat, incertus, quo ſint caſura?

Non

(a) *Pag.* 193.

Non inficior, incidere quoſdam repentinos, graviſſimoſque affectus ſubitam opem efflagitantes; in quibus tamen tantum temporis non concedentibus, quantum opus eſt ad excutiendam opportunitatem auxilii, mallem nihil grande experiri, quam temere experiri; mallem eſſe interitus ſpectator, quam impulſor, feſtinatorque. Verum enim vero minus ægre ferenda foret deſtinatio remedii ſubita, nec ſatis meditata, ſi tantum in præcipiti morbo fieret: quod autem acrius redarguendum eſt, eadem pernicitate a pluribus etiam in affectu dilationem patiente deſtinatur remedium, imo ſæpe non alia de cauſſa, quam ad oſtentandum celere ingenium, & paratam copiam. Deceſſit in urbe celeberrima ante annos non multos Medicus multiplicitate curandorum laborantium clarus, qui diſcipulis ſuis, ut ab eiſdem accepi, id inculcabat, ut acceſſiti ad ægros ſemper aliquod medicamen proponerent, ſicque ſe medicos eſſe probarent, & quidem, ſi Diis placet, inſignes. O perniciofum documentum, ubertimum errorum fontem, & ſcaturiginem! O impatibilem artis corruptionem! Ut nihil Mortalibus deeſſet ad cumulum miſeriarum, mos obtinuit, ut pene nihil negligentius, aut fucatius agatur, quam negotium reparandæ ſalutis. Siquis æger dives forti, atque exitiali morbo premitur, non uni Medico confiditur, plures ſeliguntur, advocanturque. Accedunt, neque fortaſſis fruſtra, ſi juſtum peterent conſulandi tempus, ſi omnibus ægritudinis notis naviter exploratis, non alium finem ſibi conſtituerent, quam utilitatem auxiliumque afflicti, dubiæque vitæ. Enim vero non pauci properi ſententiæ ferendæ, jactatique, aut cupiditate ſingularis laudis, aut perculſi metu, ne fruſtra advocati videantur, nihil addendo, vel detrahendo, aut occupati ſtudio non diſſen-

tien-

tiendi ab Collegis ſpe compenſationis, itemque a celebritate vulgari alicujus uſitati remedii, ſibi impedimento ſunt, quo minus apte de morbo dijudicent, agendaque præcipiant. Quam porro ſalutares, & benefici ſunt ægrotis, qui poſtquam ad dicendum in collegiis conſederunt, totum animum intendunt ad plauſum captandum novitate opinionum, vel concinnitate, & copia ſermonis expedite fluentis! Quo ſtudio ad generalia, ſæpiuſque repetita compulſi abripiuntur a conſideratione, & collatione apparentium in ægroto: quæ unice, non inani facundiæ prodeſſe poſſunt ad errores, uti animadvertit Hippocrates [a], propenſa. *Fallax*, inquit, *eſt*, *& ad errorem proclivis affirmatio*, *quæ fit cum garrulitate*: & prompte breviloquentiam præcipit [b]. Fructuoſum tamen ipſis eſt, ſi minus ægrotanti multiloquium, trahendo imperitorum aſſenſum, admirationemque, & inde famæ, opumque incrementum. Id enim ſemper Medentium factum fuit, admonitione Plinii [c], ut qui dicendo præpollet, ſtatim fiat dominus vitæ neciſque, ideoque crumenæ. Solet conjungi velocitas loquendi cum velocitate judicandi, & utraque cum proclivitate ad errorem tanta, ut Seneca proponat Lucilio neceſſitatem tardi ſermonis tanquam maximum documentorum: *Hæc eſt ſumma ſummarum*, *tardiloquum eſſe jubeo* [d]. Quod præceptum ſi ſalutare cunctis eſt, tanto magis Medentibus de rebus obſcuris, & ancipitibus diſſerentibus, ſed tanti momenti, quanti vita æſtimatur: quæ propterea attentam cognitionem exigunt, non velox, & longum eloquium raro ab initio ad finem uſque ſibi conſentaneum. Cicero affirmat [e] in Curione nihil fuiſſe ex iis, quæ Ora-

to-

(a) *In Præcept.* (b) *De decent. ornatu.* (c) *Lib. 29. cap. 1.*
(d) *Epiſt. 40.* (e) *De Oratore ad Brutum.*

torem efficiant, præter bonitatem verborum, & expeditam profluentemque quodammodo celeritatem, neque tamen caruiſſe Oratoris laude. Eadem fortuna imo majore, & ab eadem affluentia ſermonis nata plures Medici fruuntur, qui nihil ſingularis, nihil excellentis ex arte poſſidentes, populari fama verticem attigiſſe creduntur, longeque a turba receſſiſſe. Nominis vero celebritati, ſuæque facundiæ confiſi ſæpe minus de rebus ipſis ſolliciti ſunt, ſæpe minus conſiderate deliberant, uti non ſemel obſervavi, deliberataque exemplo ſunt, & præſidio aliis fama minoribus ad errandum ſine obtrectatore. Cornelius Tacitus [a] ſecum ipſe verſans præterita, & præſentia comperit, eam eſſe rerum humanarum conditionem, ut omnes fucis, ludibriis, inanitatibus pateant, intermiſtæque ſint: quibus tamen præ ceteris autumo medicas onerari, & inde Medicinam, quæ, teſtimonio Hippocratis [b], omnium artium præclariſſima eſt, ut idem queritur, infra omnes dejectam eſſe. Quamquam autem in arte facienda ea declinari poſſunt offendicula, quæ artis propria non ſunt, ſed artificis, tamen tot nos circumſtant in deteriorem partem prona, ut ſtare in veſtigio, atque a lapſu cavere maxime operoſum ſit, niſi præſtantem illam indolem ab Hippocrate deſignatam, generoſo cultu, probiſque moribus adornatam nacti fuerimus. Non tamen ex ſola conſuetudine populari, aliiſque indicatis internis obſtaculis inſtant errandi occaſiones, ſed interdum ex ipſis ægrotis, qui nonnunquam quanto impenſius opem petunt, tanto minus ingenue cum nobiliſſimæ artis Profeſſoribus agentes id committunt, quod aptum eſt eorum animos, menteſque alienare ab accurata morbi meditatione, auxiliique, niſi ſa-

(a) *Lib.* 3. (b) *In Lege.*

ſit ſapientia præſto ſit, retineatque attentionem; ſine qua ceteris compreſſis cupiditatibus, mens in ſolam honeſtatem defigi nequit, & reliqua deſpicere. Bonum gratis eſſe oportere, inquit Seneca, ſed gratuitam bonitatem congruo præmio adempto, ſola ſapientia comparare poteſt. O divinum Hippocratis ingenium! quod omnes expoſitas offenſiones complexum, eiſdem obviam iturum Sapientiam, & Medicinam comites individuas fecit, monuitque (a), omnia ineſſe debere Medicinæ, quæ inſunt Sapientiæ, atque in primis argenti contemptum. Ut enim ejus cupiditas honeſtis moribus infeſtiſſima, animorumque dominatrix

. . . . Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

tot fucos, tot ſuperflua, imo etiam pernicioſa in medicam artem invexit; ita contemptus ea omnia amovere, & arcere poteſt, pravos uſus corrigere, utiles proboſque inducere. Non diffiteor, alias etiam cupiditates utilitati, & honeſtati medicæ praxeos officere, ſed edomita, quæ inhiat opibus augendis, reliquæ proclivius ſubiguntur, uti viſum eſt Hippocrati, qui primo loco inter dotes Sapientiæ, & Medicinæ argenti deſpicatum collocavit: quam, ſi rerum humanarum conditio animis medentium inſidere pateretur, quam brevi tempore Medicina priſtinum dignitatis faſtigium, unde deturbata eſt repeteret, & facultas Philoſophorum evaderet, qualis fuit apud Pythagoram, Empedoclem, & Democritum, antequam a Sapientiæ ſtudio ſepararetur.

CA-

(a) *De Decenti ornatu.*

CAPUT IV.

Oſtenditur, quam in lubrico verſetur frequentatio venæ ſectionis in febribus.

QUemadmodum medici officii eſt, morbum diligenter intimeque explorare, non ſolius cognitionis gratia, ſed inveniendi remedii, item in eumdem utilem finem oſtendi, quam infidæ ſint, paratæque ad fallaciam plurimæ morborum notæ; quotve aliis de cauſſis interponantur difficultates, medicæ provinciæ inoffenſo pede obeundæ. Ex quibus ſane dejiciendus animus non eſt, ſed erigendus, non alienanda mens ab arte, ſed fortius intendenda in ſuperanda, quantum licet, offendicula, omnium; quæ apparent in morbis, ſollertiſſima circumſpectione, & conſultiſſima operis deſtinatione. Argumenta dubitandi de proſperitate actionum medicarum ſatis aperte declarantur ex ſola conſideratione, eas prodire ab arte conjectatoria, eamque, qua parte conjectrix eſt, fulciri opinione, non ſcientia, quæ, uti definit Hippocrates(a), ſcire facit, altera ignorare. Tamen plura ex illis ſingillatim indicare volui, indicabo, & plana faciam, quo luculentius appareat, & ob oculos Tironum ponatur, manifeſtas certaſque remediorum occaſiones rariores eſſe, quam ut vulgo exiſtimetur, incertumque pariter eſſe auxilium ab illis ſperandum: unde ſcatet conſecutio utiliſſima adverſus multiplices paratos lapſus, tutiorem eſſe rariorem remediorum adminiſtrationem frequentiore, ſi generatim utraque ſpectetur, ſejunctaque abs quibuſdam circumſtantiis, quæ aliquando ſingularia comitantur, de-

Ccc du-

(a) *In Lege.*

ducuntque generalia, ut a Medicis efferri ſolent, ad exceptiones. Addidit animos ad hanc diſputationem Valleſius, qui commentans ſententiam Hippocratis[a]: *Ex adhibitione contraria adhibere, & quieſcere*: pronunciat, hac brevi dictione duas medicæ praxeos partes contineri, adhibitionem contrariorum, & quietem, ſed hanc præſtantiorem eſſe actione, magiſque periculoſum eſſe incidere in Medicum, qui neſciat contraria uſurpare, quam quieſcere neſciat. Quapropter, ſi ex duabus partibus praxeos, tanti viri animadverſione, præſtabilior eſt quies actione; non alia ſane de cauſſa illa præſtat, niſi quia caret actionis periculo, & offenſione: quod obiter a Valleſio indicatum, & ferax uberrimi fructus pro viribus declarare, & probare obnitar, perpenſa obſcuritate indicantium, incertaque opera inſtrumentorum adhibitorum indicantibus ſatisfaciendi gratia. Cum tamen non æque graviter in uſu diverſorum remediorum delinqui poſſit, nec omnia ſint in uſu pariter frequenti, uſitatiora duntaxat perſequar, importune uſurpata gravius nocitura, cujuſmodi ſunt venæ inciſio, & purgatio.

Ars rationalis medendi, quam cum Hippocrate, Galeno, aliiſque doctiſſimis viris profitemur, methodo innititur, proceditque ex cognita morborum natura, ſuppeditante indicationes auxiliorum adeo in Scholis decantatas. Hæ profectæ ex natura morbi apprime comprehenſa, citraque dubitationem Medentem quoque tuto dirigunt, perducuntque ad ſcopum; modo ſuppetat congruens efficaxque indicatorum exequendorum materia. Cum vero derivantur ex probabili tantum ægrotationis notitia, nec omni libera dubitatione, uti frequentius accidit, duntaxat dubiam rationem voto potiendi ſufficiunt. Scientia certi eſt, & indubitati, opinio incerti, controverſique,

tot.

(a) *Lib. Epid. 6.*

totque proinde diſſenſionum fons , & origo , quæ fervent in ſcholis Philoſophorum , Medicorumque , ſed inter Medicos cum majore detrimento , propterea a Plinio miſeræ vocatæ , ut pote cedentes in perniciem ægroti , non tantummodo in victoriam , aut jacturam litigantium , qualis eſt exitus concertantium Philoſophorum . Quocirca in tanta rei medicæ difficultate , & opinionum diſcrepantia de natura morbi , cauſſa , accidentibus , de facultate medicaminum , de opportunitate præbendorum , non temere judicem , eorum frequentatorem ſæpius ab ſcopo recedere , quam appropinquare , ſæpius nocere , quam prodeſſe , aut ſaltem ſæpius in id periculum incidere ; quo perſpecto Hippocrates (a) nos admonuit , ut duo circa morbos exerceamus , ut juvemus , aut minime noceamus . Quorſum hæc præcepit Senex , ſi alio fine prudens artifex ad ægrum non accedit , quam ſuppetias laturus , deperditamque ſanitatem inſtauraturus ? Novit Sapientia Senis , quot Medentem circumſtent decipulæ , atque uſuvenire ex facili , ut porrigens manum ad ſuſtinendum ruentem impellat ; eumque monitum voluit de cavenda noxa proclivi , & obvia in ipſo conatu auxiliandi .

Omnium conſenſu tres ſunt conſtitutæ curationis conditiones , ſecuritas , celeritas , jucunditaſque , inter quas abſque dubio ſecuritas optabilior eſt ; ejuſdemque nomine intelligo curationem peractam adminiculis certum beneficium citra periculum allaturis . Etenim ea , de quibus ambiguum eſt , utrum majus incommodum , quam commodum importatura ſint , intuta vocantur , & ſunt , iiſdemque inita curatio lubrica , & anceps . Enimvero quam paucæ occaſiones offeruntur , in quibus apparet clara , certa , & fructuoſa remediorum adminiſtratio ? Frequentiſſi-

(a) *Lib. 1. Morb. popu. ſect. 2.*

mus eſt uſus phlebotomi, ut hinc propoſitum aggrediar, nulluſque dies præterit incruentus, omnis madet plurimum ægrotantium ſanguine. Ut autem innoxie, & cum indubitata utilitate madeat, noſcat oportet artifex evidenter inde ſecuturum fructum, nullumque detrimentum, vel ſaltem multo levius fructu. Veruntamen quomodo evidenter providebit fructum remedii, de quo tot extant controverſiæ, quodve ab gravibus auctoribus exploſum fuit, redeuntque in dies qui explodunt? Quonam confugiet ad hanc evidentiam venandam? Ad rationem ne, an experientiam? Si ad rationem, opus eſt, ut per ipſam conſtet, inter effuſionem ſanguinis, morbumque, cujus gratia funditur, reperiri apertam contrarietatem; ex qua ſola poteſt demonſtrari certa utilitas effundendi. Age igitur, Medice operoſe, & phlebotomiæ frequentator, profer morbum, in quo dilucide hæc contrarietas innoteſcat. Profer febres continuas, acutas, putridaſque, ut vocant Majores, aliíſque frequentiores, in quibus iterato venam ſeris, & oſtende manifeſtam repugnantiam morbum inter, & remedium; quam oſtenſurus, oportet, ut præcise teneas naturam febris, ductique ſanguinis effectum. Utrumque vero dubium vehementer eſt. De febris eſſentia nemo eſt, quin dubitet, & fateatur reconditam eſſe; & fateri neceſſum eſt animadvertenti tot tamque varias, diſcrepanteſque de eadem ſententias Recentiorum ſupra indicatas: ex cujus propterea obſcuritate nequit patefieri certa contrarietas cum ſanguinis detractione. Sin autem cum Priſcis judices, febrem in augmento caloris præter naturam conſiſtere; etiamnum hærebis, nec poteris demonſtrare evidentem oppoſitionem inter eam, atque remedium. Calidum frigido aperte opponitur, ſed venæ ſectio tantummodo ex accidenti refrigerans, non per productionem

con-

contrariæ qualitatis, qualis reperitur in rebus natura frigidis, etiam idonea eſt pro variis circumſtantiis calefacere. Sic Proſper Martianus[(a)] ex ſanguinis effuſione in febricitantibus metuit augmentum caloris, bile ceteris humoribus prævalente, ſuique timoris cauſſam inde ducit, quod obſervatum fuit, ex immodica ſanguinis emiſſione febres accendi, & plurimum urentes, faces præbente commota bile, ut etiam ſupra adnotatum fuit agendo de effectibus phlebotomiæ: de qua propterea certiores reddi minime poſſumus, niſi multa, & oppido difficilia cognitu explorata habeamus. Quoniam igitur ex eſſentia febris in calore poſita non elucet certa contrarietas cum vena inciſa, expendamus, an eluceat inter eam, proximamque febris cauſſam. Cum venæ punctio ſit ſanguinis evacuatio, ſolum directo opponi poteſt, & mederi ejuſdem redundantiæ, ſi hæc cauſſa proxima conſtituitur: quæ tamen a Galeno celebri ſuaſore phlebotomiæ in putridis, conſtituta non fuit; qui Synochi putris cum ſanguinis affluentia curationem ex profeſſo[(b)] tradens, jubet ſanguinem educi, non tamen quantum ſuperabundat, ſed minus abundantia, ut aliquid amplius remaneat pro ſpatio a febri percurrendo. Nec enim ſanguinis extractio tota febris medela eſt, ut poſt extractionem ſtatim extinguatur, ſed perſeverans alia poſcit remedia, iiſque ſuſtinendis vires pares, ideo totius redundantis quantitatis ablatione minime debilitandas. Totum profecto redundans eximendum foret, ſi poſt exemptum abſque aliis remediis deſineret febris; uti deſinere deberet, ſi ſuperflua copia foret proxima cauſſa: perſeverans tamen aliis adminiculis ſubjuganda eſt, videlicet ſuperſtitem cauſſam expugnando, vel adjuvando naturam ad expugnandam. Cum

(a) *Lib. 2. de Mor. Mul. Hip.* (b) *Lib. 11. Meth. cap. 14.*

Cum igitur detractio ſanguinis ſoli copiæ recta adverſetur, niſi ab ea febris proxime accenditur, uti non accendi conſtat, ſequitur, venæ ſectionem etiam conſideratione cauſſæ proximæ non habere requiſitam contrarietatem cum febre. Unde igitur oſtenderetur contrarietas inter febrem, & ſanguinis effuſionem, quæ ratione non poteſt oſtendi? An experientia, effectuque? At hæc ipſa repugnant, non favent. Quot enim febres numerantur poſt ſanguinem eductum ſubito, vel paulo poſt imminutæ extinctæque? Certe admodum paucæ; pleraſque, ſi putridæ, continuæque ſint, palam eſt perſeverare, ſua tempora, quæ Plato fatalia vocat, percurrere incrementi, & vigoris, ſemel, bis, atque etiam pluries elicito ſanguine: quo tantum eventu conſiderato, remanet dubium, utrum ſcalpellum juvet, an noceat. Nihil habes, ut ſentio, Medice operoſe, quod hiſce rationibus opponas; ſolumque pugnare potes, ut in febre putrida conjuncta cum quantitate ſanguinis modum egreſſa, proſit venæ inciſio, videlicet ad tollenda impedimenta curationis, & copiam minuendam tanquam cauſſam intermediam, fomitemque futurum vehementioris augmenti. Eſto igitur: ſit phlebotomia pars curationis in concurſu febris, & uberioris ſanguinis. Nec enim illius uſum rejicio, ſed parciorem volo, concedoque poſtpoſita academica inquiſitione, & partium ſtudio, plenitudinem venarum cum febre putrida eſſe indubium præclarumque argumentum adimendæ ſcalpro affluentiæ. At quandiu durat hæc copia in acute febricitante? Hanc cito amolitur ipſa febris, vigiliæ, aliæque afflictiones; amolitur læſa nutricatio, tenuiſque victus impar reparandæ copioſæ continuæque diſſipationi. Quam cito igitur tolletur copia, ſimulque occaſio remedii minuentis, ejuſdemque,

ut

ut multi ſolent, repetendi? Non tamen affirmare auſim, nunquam in febre offerri opportunitatem iterandæ ſanguinis eductionis, tametſi arbitror, pleriſque melius proviſum iri toties non iterata. Illud pariter adnotandum eſt, in febricitantibus acute notas plenitudinis vaſorum incertas eſſe ob intenſum calorem late corpus occupantem cum tenſione, & tumore vaſorum; quæ duo, monitu Horatii Augenii [(a)], ſanciuntur quidem indubitatum argumentum affluentiæ ſanguineæ, dummodo tamen corpus univerſum vehementer non æſtuet; quo æſtuante, uti contingere in acutis ſolet, ea duo ſigna ſuam ſignificandi certam efficaciam amittunt. Hoc autem conceſſo, in aliquibus febricitantibus non obſcure dubieque apparere ſuperfluam ſanguinis ubertatem, poſcentem venæ apertionem, iſti quam pauci ſunt facta comparatione cum aliis, in quibus nihil ſolidi repræſentatur ad copiam colligendam? Quamobrem ſector venæ in febribus putridis ob plenitudinem relatam ad vaſa, ſi nanciſci poteſt firmam illius notitiam, hanc certe raro poteſt, nec toties, quoties hoc nomine ſanguis effunditur. Citra vero plenitudinem vaſorum, quæcunque arripitur cauſſa venæ cruentandæ, minoris claritatis eſt, atque firmitatis, quam ex ea plenitudine deprompta. Nonnullas & ego agendo de indicante phlebotomiæ in medium produxi rationes hauriendi ſanguinis abſque quantitate vaſa nimium replente, eamque præcipue, quod in febribus vehementer fervidis multæ attolluntur ignitæ, ut cum Priſcis loquar, fuligines; quibus erumpentibus ex vena grandi recluſa liberior perſpiratio, aliaque commoda ſperantur; ſperantur, inquam, eventura tamen eſſe, pro certo tenere non licet. Cum enim præ ceteris partibus ſanguinis tenuior calidiorque, biliosa

(a) *Lib. 2. cap. 10. de ſang. miſ.*

lioſa vocata, aptior fit ad accenſionem, nequit fieri, quin in vehementi febre plurimum bilis conflagret, uti liquet ex doctrina Hippocratis, & amplo Proſperi Martiani conſenſu; item nequit fieri, quin remedia ſint ſuſpecta, idonea præparare ſanguinem ad inducendam naturam bilis, cujuſmodi ab Hippocrate, aliiſque Antiquis credita fuit venæ ſectura, proinde tempore æſtivo bile feraci ab eiſdem non uſurpata, ut ſanguinis mutationem in eum humorem caverent. Vigente calore æſtivo ſanguis valde tenuis eſt, & quam proximus naturæ bilis, qui magis attenuatus per venæ inciſionem timuerunt Antiqui, ne promtius uberiuſque in bilem converteretur; eoque metu per æſtatem ab ſcalpro temperarunt. Neque porro videtur ſanguis minus præparandus eſſe ad conditionem bilis a fervore febrili, quam æſtivo, neque minus timenda ejus mutatio in bilem febris tempore, quam æſtatis, accedente præſertim alia cauſſa ad eumdem effectum appoſita, qualis apertio venæ exiſtimatur. Hac rerum convenientia perſpecta, Hippocrates utrumque calorem æſtivum, & febrilem, ſive conjunctim, ſive ſeparatim habet pro obſtaculo ſanguinis eliciendi, uti variis ejus textibus collatis Proſper Martianus (a) comprobavit. Niſi tamen Hippocratis veſtigia preſſe ſequi placet, quod non pugno, incide venam in febre valde æſtuoſa ad viam fervidæ exhalationi, ſicuti dictum eſt, aperiendam. Numquid igitur in Te recipies fore, quod animo concepiſti? Vereri hercle debes, ne ſanguis per emiſſionem magis attenuatus, & bilioſus redditus calidiores uberioreſque fundat halitus, quam quibus foramen venæ aditum patefecit. Fortaſſis res aliter cadet, nec in eventum, quod timendum eſſe innui; ſed dubium eſt; neque præſto ſunt indu-

(a) *Comm. Prom. Sect. 3.*

indubitata ſigna ad prænoſcendum. Veruntamen ratio ducta ex attenuatione ſanguinis, & præparatione ad contrahendas bilis qualitates facta per venæ punctionem, huic obſtat multo apertius, ſi repetatur in progreſſu febris, quam tantummodo facta in principio univerſali. Plures enim dies perſeverante febre, & creſcente ad ſtatum uſque, plus ſanguinis convertitur in bilem, poſtea ſeparandam, perque alias vias, non per apertam venam exigendam. Utrum igitur conſulte, cauteque ſuos habeant ægrotos, qui pluries in ferventibus febribus ictum ſcalpelli renovant Cultores veritatis, non vulgaris conſuetudinis dijudicent.

Ab expoſita ſententia Majorum, vetante uſum phlebotomi inter ardores æſtivos, quippe bilis proventum urgentem, venit in mentem, ut excutiam vulgarem opinionem apud Noſtrates de largius fundendo ſanguine, oborta febri, poſtquam corpus laborioſo validoque motu incaluit. Imaginemur igitur aliquem ſe ſe plures dies vehementer exercuiſſe, & ſubinde in febrem fortem ſine interna inflammatione incidiſſe. An huic febricitanti ſit mittendus ſanguis, non diſputo; tantum contendo, uberiorem mittendum non eſſe propter calorem a motu conceptum; meæque opinioni patrocinatur vetuſta praxis, quæ potius venæ ſciſſuram diſſuadet, quam hortatur, ea cauſſa febris prægreſſa. Si enim fervor dierum æſtivorum, ut promovens generationem bilis, opponitur effuſioni ſanguinis ad eamdem conducibili, cur non opponetur calor ab motu accenſus, ſimiliter idoneus corrumpere ſanguinem in bilioſum ſuccum? Si corporis igitur valida exercitatio, vel alia quæcunque cauſſa ejuſdem efficaciæ febrem anteceſſerit, vel parcius adimendus ſanguis eſt, vel non adimendus, præſertim aliis convenientibus notis congeſtæ bilis. Ita me geſſi, curans Bartholomæum Zanchetam mercatorem pata-

virum annorum plus minus quadraginta, temperamenti ſanguinei, poſt laborioſum corporis motum duos menſes obitum, correptum tertiana ſimplici impura, menſe Septembris anni 1732, quo iſta exarabam. Evaſit illa poſt tertiam acceſſionem duplex, & continua cum ingenti ſiti, infeſtiſſimo palato, dolore capitis; & aliquando levi delirio; non tamen manifeſta declinatione carebat. Orabant domeſtici, & amici, ut ſanguinem educi juberem, cauſando illius æſtum a præterita laborioſa corporis exercitatione; quæ tamen mihi erat argumento non educendi, una cum aliis indiciis. Itaque cum æger mihi conſtanter confideret, nec alterius medici conſilio vellet uti, nihil aliud impetraverunt, niſi ut apponerentur cucurbitulæ tergo ſcarificatæ in toto morbi curriculo plures dies dimenſo, venas grandes intactas reliqui; niſus hoc ſpatio clyſteribus, & laxantibus intus aſſumptis ad evacuationem bilis, hujus copiam variis in locis mihi teſtante, & motu tertiano febris, validoque corporis præmiſſo, & triſti ſenſu amaroris, os ſummum in modum affligente. Exitus reſpondit conſilio; & poſt plures excretiones bilioſas partim ſpontaneas, partim petitas, febris continuationem amiſit, ſimptomata intenſionem. Reſidua vero tertiani circuitus veſtigia cortice peruviano diſſipata fuerunt. Satis de hac opinione, quæ Patavii apud multos invaluit. Revertor ad propoſitum. Dum agendo de indicante phlebotomiæ, non incongruam rationem exhibent diſtringendi ſcalpri, ſi cernuntur initio inditia corruptionis ſanguinis, ut aliqua portione detracta, minor ſuperſit corruptioni. Quam utilitatem ſi opineris veriſimiliter reportandam eſſe, approbo opinionem; & ſub hac conditione eam propoſui; ſi pro indubitato credas, non commendo tam firmum aſſenſum. Forſitan enim ſoluto per extractionem

ſan-

ſanguinis partium componentium contextu, mutatoque contactu, promtius latiuſque ſerpet putredo, ſive corruptio; imo, quia corruptio nihil eſt aliud, niſi diſſolutio naturalis conjunctionis inter partes, ſi venæ punctio eas laxet, ad cauſſæ corrumpentis actionem eaſdem præparat. Alias, Amice aſſiduæ actioni intentus, excogita rationes reſerandæ venæ. Dic, ſi placet, cum multis Recentioribus, eam reſerandam eſſe ad obtundendam, deprimendamque fermentationis vehementiam; ſed animadverte, venæ ſectionem nullam habere contrarietatem cum cauſſa fermentante, neque hanc cum delectu evacuare; & idcirco nihil inde beneficii obtineri poſſe, niſi ex accidenti, ſed timendum pariter eſſe, ne attenuato ſanguine magis emergat fermentum febrile, & fortius agat. Aſtrue quoque, ſi placet, plenitudinem ad vires ab Antiquis celebratam; ſed memento ipſis fatentibus, plenam eſſe ambiguitatis, & difficultatis ejus notitiam, proinde ex ea argui non poſſe certam uſurpationem phlebotomi. Donemus tamen eam præclare cognoſci, quod ipſe Galenus negat [a], aſſerens per ſcientiam eſſe incomprehenſibilem; anne ex ejus cognita præſentia conſtaret, venam eſſe reſignandam? Nihil minus. Quandoquidem, ut ait ipſe Galenus [b], plenitudo ad virtutem relata, nec ſic obſtruit venarum ora, ut refrigerationem prohibeat, nec tunicas vaſorum diſtendit, nec ruborem, aut tumorem invehit, multoque minus, vel corporis, vel cutis tranſpirationem moratur. Hac igitur, ut dixi, incomperta plenitudine in febribus, quid ex dictis colliges, ſolidam exhibens probationem ſanguineæ vacuationis moliendæ? Aliter ego, atque Antiqui, explico plenitudinem ex comparatione virium, aſſeroque, communem ſanguinis quantitatem ex morbo fieri poſſe incommo-

 mo-

(a) *In Lib. de Plenit.* (b) *Lib. 9. Meth. cap. 5.*

modam, graventque. Cur igitur, inquies, hæc phlebotomo tollenda non erit? Tolle, ſi vis; tamen ſi recolas ſuperiora, ex facili deprehendes, valde dubiam eſſe in febribus ablationis utilitatem, imo inde alia incommoda incidere poſſe, ſuperatura beneficium ſperabile a detractione ejus partis ſanguinis, quæ creditur per febrem eſſe reddita ſuperflua, & oneroſa; certum tamen non eſt. Enimvero Joannes Baptiſta Verna, qui celebrandam ſuſcepit, & ſupra cetera remedia extollendam phlebotomiam, item excogitavit cauſſam febrium ejuſdem celebrationi oppido favorabilem, contendens *liquida quantitate ſemper, & mole, etiamſi vitio laborent, febrem immediate proximius, & primario parere*. Qua cauſſa conſtituta ſequitur, venæ inciſionem primarium eſſe febrium remedium; qua ſcilicet nullum citius, & commodius ſuccorum redundantiam minuit. Sic Verna magnum comparat patrocinium venam in febribus etiam iterato ferientibus, omnemque adimit ſollicitudinem de illius indicante perveſtigando ex ſola præſentia febris luculenter declarato; quam ait, proxime a quantitate, & mole produci. Porro ita Verna (a) explicat, quemadmodum ab copia producatur febris, inquiens eam non produci, niſi ſanguis aliqua ratione multus vaſorum tunicas, fibraſque convexam partem reſpicientes, alveumque formantes premat, ac diſtendat, & in iis ceſpitet, titubet, patiaturque circuitus ſui turbationem, & impedimentum. Quippe compreſſione ex repletione facta, fibra, ſpirituſque ejus hoſpites conturbantur, unde febris. Utrum autem hoc irritamentum inflictum a plenitudine tunicis, & fibris vaſorum in parte deſcripta, ſit ſemper cauſſa febris primaria, & proxima, Tu Verna, judex eſto, qui aſſeris in eadem parte libri, in aliquibus febri-

(a) *De Phlebot. cap. 7. part. 1.*

febribus curam dirigendam non eſſe ad plethoram, ſed ad cauſſam primariam valentiorem, quæque magis urget, quemadmodum obtingit in ephemera ex frigore, vel ab cruditatibus, corruptis cibis, a vermibus, ab fermento hoſtili corruptelæ ciborum irritatis, irritantibuſque. Te affirmante, in aliquibus febribus fomitem primarium, & proximum non eſſe copiam, nec ad eam convertendam manum Medici, quomodo id convenire poteſt cum tua concluſione[(a)] antea ſtabilita, ſemper cauſſam primariam, proximamque febris eſſe multum, qua multum, tametſi vitio laborat? Ergo quoniam conſtat ex tuis documentis, plenitudinem non ſemper eſſe primarium incitamentum febris, nunc penſitemus, an ſit frequentiſſimum. Tres enumeras univerſalis plenitudinis differentias, propriam, minus propriam, & impropriam. Propria, quam etiam Eraſiſtrateam libenter appellas, & ais conflari ex copia ſanguinis ſupra vaſorum capacitatem debitam, conſuetam que abſque eorumdem culpa, propter alimentum ſupramenſuram ſuccenturiatum; propria, inquam, plenitudo ſolum generari poteſt in temperaturis qualitatum mediocritate ornatis, robuſtis, idoneiſque convertere copioſum ultra modum cibum in bonum ſanguinem, non pravum ſuccum, qui copioſus cachochymiam generat, non veram plenitudinem; quam comparabant Athletæ, de quibus loquitur Hippocrates, multo cibo, exercitatione multa, frictione, & inunctione; in quibus & erat ubertas optimi ſucci; & proba omnium partium temperies: unde Senex habitus Athletarum ſumme bonos vocat. Cum autem corpora ita probe temperata, ut valeant redundans alimentum ſine corruptione conficere, & boni ſanguinis natura donare, perpauca ſint, etiam redundantia unde-genita

(a) *De Phlebot. part. 1. cap. 9.*

nita raro erit in cauſſa febrium. Altera plethora, quam apparentem vocas, eſt ſanguinis plenitudo febrili, vel ſimili effervefcentia, ut ais, turgeſcens, quæ vaſa diſtendit, frequenti, celeri, magnoque pulſu rapide movetur. Verbo me expedio ab hac plenitudine, quæ ſpeciem habet plethoræ, nec proprie talis eſt; ſiquidem ſanguis calore febrili rareſcit, intumeſcitque; & idcirco febris effectus eſt, non effectrix, produciturque irritamento febrili ſanguinem agitante, turbante, & in tumorem attollente. Remanet, ut tertiam plenitudinem expendam, quam impropriam nuncupas, aſſeriſque adeſſe *ſolidi culpa*, vaſorum ſcilicet quacunque de cauſſa contractorum, & capacitatem conſtringentium: qua reſtricta ſanguis ſuperfluus, multuſque habetur. Doles hanc male declinari a Medentibus, aut neſciri, cum tamen plerumque contingat. Alibi vero doces,[a] ab ſanguinis maſſa, quamvis depravata, & vitioſa cum quibuſdam partibus acetoſis, & acutis, quæ in fibras adigantur, eaſque conſtringant, aliquam quidem læſionem fieri, non tamen febrem, niſi cruoris, ſuccorumque moles circa eaſdem fibras, & in vaſis colligatur, & plethora confletur. Abs quo tamen vate, & hariolo id ſciviſti, Verna, ſcilicet non poſſe accendi febrem ab exoticis humoribus ſanguini admiſtis, eumque inquinantibus, niſi inde plenitudo comparetur arctatis vaſis? Videmus vinum, quod ſimilitudinem tantam habet cum ſanguine, ut a Plinio ſanguis terræ vocetur, adigi in vitioſam fermentationem, & corrumpi aliqua de cauſſa exaltata fece, vel aliquo exotico liquido intruſo, vel portione minus ſana vini. Cur igitur ipſe ſanguis non poterit concipere febrilem fermentationem, ſive motum, & turbationem partium, ſi diſplicet nomen fermentationis, ab in-ter-

(a) *De Phlebot. cap. 9. par. 1.*

termiſſis purgamentis, abſque interventu conſtrictionis vaſorum, & hanc ſequentis plenitudinis? Si tibi negem, ſanguinem colligi circa fibras, & in vaſis, neque in iis cæſpitare, ut ais, a motu ſuo, circuituque præpediri, ut neceſſarium eſſe pugnas, qua ratione hæc probabis? Namque acceleratus pulſus in febribus liberiorem, & velociorem teſtatur circuitionem, ut loquar cum Recentioribus, non impeditam ſaltem in vaſis majoribus. Sin autem irritamentum, & ſanguinis collectio intra vaſa ſolum febrem proxime antecedit, non comitatur, hac oborta ceſſat argumentum ob plenitudinem ducendi ſanguinis. Hujus porro acervationem in vaſis febrientium, niſi fallor, aliunde probare nequis, quam ex tumore vaſorum in febribus elato; qui tamen ipſius caloris effectus eſt, non cauſſa; eumdemque parit quilibet alius calor, iræ, laboris, & ſimilium nulla præſente febri. Vaſa multum diſtendi apta ſunt abſque moleſtia, abſque impedimento Circuitionis, & productione febris; multique ob id, licet quotidie laborioſa corporis exercitatione incaleſcant, calorque vaſa tumefaciat, longam tamen ætatem abſque febri degunt. At quoque dolebas partam plenitudinem ſolidi culpa, vaſorumque quacunque de cauſſa conſtrictorum a Medentibus, aut male declinari, aut neſciri: quam tamen etiam Antiquis video ignotam non fuiſſe, animadvertente Valleſio,(a) ex certis occaſionibus corpore craſſiore reddito, item vaſorum tunicas craſſiores evadere, & inde earum cavitatem contrahi, quo tempore redundantibus ex multo cibo ſuccis majori amplitudine opus erat; qua deficiente creſcit repletio vaſorum, non creſcente copia contenti.

Hæc habui, quæ pro data occaſione dicerem de cauſſa con-

(a) *Sect.* 1. *Aphor.* 3.

continente febrium ab Verna excogitata, relataque ad plenitudinem, ut Tirones perſpicerent, nihil inde certi erui poſſe ad commendandam uſurpationem phlebotomiæ in febribus, multoque minus ejus frequentiam ex ſola generali ratione aſſumptæ ex arbitrio plenitudinis. Itaque ambiguum identidem eſt, utrum venæ proſector adjutarus ſit, an læſurus febrientem, & multo magis, ſi frequentet ſectionem: certum tamen eſt in hac ambiguitate, ſecuram non eſſe curationem, pene toties errori expoſitam, quoties vena cruentatur. An non igitur præſtat in plurium accidentium ignorata copulatione rarius fortunæ, ignotique caſus favorem tentare, quam frequentare dubium experimentum? Si conferatur ſperabile levamen ab vena etiam opportune reſignata cum noxa inde timenda, ſi reſignetur intempeſtive, in proclivi eſt colligere, detrimentum eſſe majus ſperabili levamine. Venæ apertio, uti ſuperiora probant, proxime, & per ſe non opponitur cauſſæ febrilis, quæ communiter exiſtimatur materia extranea repugnanſque naturali miſtioni ſanguini interjecta, ſui ſeparationem, excretionemque petens; quam detractio ſanguinis non præſtat, nec aliud commodum præſtare poteſt citra plenitudinem valorum, niſi ex accidenti. Alia proinde in curatione febrium requiruntur remedia promotura operam naturæ ſecernentis, excernentiſque humorem turbatorem naturalis, & inteſtini motus ſanguinis, & permiſtionis. Hanc autem ipſam naturam, quam Hippocrates prædicat morborum medicatricem, & primas partes in curatione gerentem, effuſio ſanguinis apta eſt imminuere, & labefactare. Ille ille, qui per venas fluctuat paucus humor Mortalium vitam regit, & ſuſtentat, inſtigatorque eſt rerum omnium, quas ab orbe condito humana induſtria molita fuit, inque poſterum

mo-

molietur. Miramur cæleſtia, ſupraque nos poſita, nec ſine ratione ex noſtri captus infirmitate miramur. Videntur autem non minus admiranda prodigia pauci ſanguinis, abs quo homo tot rerum inventor, machinatorque vim totam, & efficaciam mutuatur. Quid quod ſimilis liquor infuſus diverſis inſtrumentis ceterorum animalium tot edit operationes, multiplicitate, varietate, & ſagacitate ſtupendas, & ineffabiles? Vide, quam multa ad manſuetudinem, lenitatemque componat, quam multa incitet ad audaciam, furoremque. Aliis ingerit docile, parenſque humanis juſſibus ingenium; aliis obtorſum, & intractabile; pluribus miram ſollertiam, manifeſtam ex variis induſtriiſque modis, quibus vitam ſuam tuentur, ſuiſque indulgent affectionibus; quos admiratus Plinius [a], non aliunde ortos putat, quam ex ſpectaculo naturæ ſibi paria componentis. Univerſa tamen eorum opera ex ſimili liquido diſſimilem fabricam impellente ſuſpice, eoque unico impulſu tot, tamque varia prodire. Quicquid Hippocrates, Zeno Stoicus, Plato, aliique Philoſophi de caloris efficientia tam ample dixerunt, in ſanguine adumbratum cerne, ignis vitalis foco, & promptuario. Nil mirum igitur Antiquitatem tanti ſanguinem feciſſe, ut cæſarum victimarum ſparſum crediderit, ut loquar cum Plinio, lautiſſimam Deorum placationem. Quamobrem, ſi providendum quam maxime eſt, ne fruſtra, & perperam vitæ fulcimentum minuatur, quæ ſupereſt in ancipiti conſilio tutior ratio providendi, quam venis parcendo? Exhibito morbo, in quo dubitas, ſitne ſcalpello profuturus, an contra, pone Te malle errare non miſſo ſanguine, quam miſſo. Quod tandem peccatum committes? Quod detrimentum importabis? Levius ſane, quam commiſſum,

(a) *Lib. 8. Cap. 12.*

miſſum, importatumque per intempeſtivam miſſionem; quod ſcilicet natura non mutilata per effuſionem corrigere poteſt, vel ſpontanea manifeſta vacuatione, vel occulta, vel fortius ferendo morbum ſuum curſum conficientem. Docta eſt ſine Doctore, ſuæque conſervationi attenta ſciet invenire vias inopinatas ignoratasque, ſi opus, cujus principalis effectrix eſt, ipſi fidenter permittetur. Ex oppoſito citra occaſionem detractus ſanguis non unam noxam infligere aptus eſt, & præcipue virium infirmitatem non facile reparabilem. Solus cibus ſarciens ſpiritum, & ſanguinem eas reparare poteſt, iſque debita quantitate ſumtus, coctus, & diſtributus. Repugnat autem citæ nutritioni vires febricitanti reſtituturæ, victus tenuitas a morbo poſtulata, atque imbecillitas ventriculi partem aliquam accepti cibi corrumpentis. Multiplices ſunt viæ, per quas natura poteſt exturbare ſuperfluum, unica, per quam poteſt ſarcire deperditum; utque cetera ſolent facilius dirui, quam refici, eamdem difficultatem virium refectio patitur: quamquam Verna (a) effuſiſſimus in celebrationem phlebotomiæ aſſeveret, virium jacturam inde conſecutam momentaneam eſſe, parum nihilque conſiderandam. Quæ ſententia generatim accepta, neque in peculiares circumſtantias contracta, tanto magis pernicioſa eſt, quanto magis tutari venæ ſectionem, ejuſque celebratores videtur. Nullum eſt abſurdum, ut Tullius animadvertit, quod ab aliquo Philoſophorum dictum non ſit; an idem vero de Medentibus affirmari poſſit, alii dijudicent. Nemo mihi ſanguinis dotes ita extenuabit, ut concedam momento temporis fluere detrimentum illatum viribus ab ejus effuſione, & ſine conſideratione prætereundum eſſe, nulla habita animadverſione temperaturæ ægrotantis,

(a) *De Phlebot. par. 2. cap. 23.*

tis , & ipſius ægritudinis , ſexus , ætatis , anni temporis , aliorumque accidentium . Annon ſani homines , qui ſeſe tempore verno , ſcalpello ſubjiciunt præſervationis gratia , inde aliquando contrahunt virium infirmitatem , ſalutiſque turbationem plures menſes permanentem ? Appello Lodovicum a Ripa celeberrimum Aſtronomiæ , & Meteororum Profeſſorem , qui ſub fine Aprilis anni 1728 , poſt aliquot excreta ſputa ſanguinea , quorum tamen credebat caput dicendo percalefactum in cauſſa fuiſſe , de ſalute ſollicitus conſilio Medici decreverat menſe Maii , ſanguinem præcautionis nomine ex brachio , deinde ex talo ſibi educi . Dum hæc agitabat , mihi forte in via obvius factus , narrat deliberationem , hortationemque alterius Medici ad venæ brachii , talique vulnerationem . Dolui mecum ipſe , amicum citra indigentiam bis eſſe paſſurum phlebotomum , & ſi videbatur propter ætatem florentem , temperaturam , firmumque corporis habitum ſine notabili offenſa perferre poſſe , hortatuſque ſum , ut ſaltem parceret brachio , ſolum talum permitteret ſauciari ; cum a pluribus diebus jam nihil ſanguinei in ſputis appareret , nec ullam capitis noxam pateretur . Paruit , & poſtridie mane detractis plus minus ſanguinis unciis octo, proximam noctem egit inquietam , & propemodum inſomnem : conſecuta eſt imminutio virium , & appetentiæ , triſtitia , pallor , & attenuatio faciei , perinde ac ſi plures dies febricitaſſet , ſenſitque ex bonæ valetudinis ſtatu , quo perfruebatur , receſſum tantum , ut vix poſt plures menſes in priſtinum reſtitutus fuerit . Quod accidit juveni ſanguineo, integraque valetudine prædito , annon accidere poterit febricitanti ? Quod uni , annon pluribus ? Viget robur optime valentis a ſanguine , & ſpiritibus , iiſdemque vires , quæ ſuperſunt in febricitante contra morbum ſuſtinentur:

quo fulcro debilitaro in me certe non recipiam, nullius momenti, & fugaciſſimum detrimentum vires inde capturas duntaxat eſſe. Quis ignoret, quantum temporis requiratur, ut vires a forti febre attritæ recolligantur, & ſanguis priſtinum vigorem recuperet convenienti facta adjectione? Ipſa vero præſens febris permittet ne celerem pro indigentia reparationem ſcalpro roboris imminuti? Obſervavi equidem pluries, utque alii obſervarent auctor fui, febricitantes poſt extinctam febrem citius in priſtinam conditionem vindicatos fuiſſe, parciorem, quam largiorem effuſionem ſanguinis paſſos. Quid multa? Admonemur a natura, ex cujus anticipatione aſpectu ſcatentis e vena ſanguinis turbamur, illius jacturam levem, & contemnendam non eſſe, ſed eſſe redimendæ vitæ pretium, non levibus cauſſis impendendum. Porro in omnibus putridis, ſola cauſſa earum proxima ſpectata, niſi interſint certa inditia affluentiæ ſanguineæ, ſi probabilis ratio ſuppeditari queat pro utilitate phlebotomi, indubitatam tamen non poſſe exiſtimo; cum ea utilitas ab imperſcrutabili ſanguinis ſtatu, aliorumque accidentium concurſu nocenter impediri queat. Hiſce vero ignoratis nequit in totum caute, & ſecure decerni ſanguinis detractio, multoque minus detractionis iteratio frequens: cui permulti ita ſunt addicti, ut etiam in ſtatu febrium hirudines hæmorrhoidibus appoſitas ſcalpello ſubſtituant, nil commoti a Proſpero Martiano (a) hunc uſum acriter inſectante. Enimvero, inquies, ſi quædam accidentia ſunt, quæ prænoſcere nequimus, redditura inutilem noxiamque phlebotomiam, poſſunt etiam alia incurrere, quæ fructuoſam efficiant. Quod effectum incertum habet, mutabilemque ex accidentium varietate, poteſt tam bene, quam male exire, nec

(a) *In Com. Com. Hippoc. ſeil. 2.*

nec plus habet momenti in alterutram partem. Cur igitur apparente veriſimili argumento venæ tundendæ executionem relinquemus, metu obſcuro damni, quod fortaſſe non eveniet? Rationem quæſiti habes ex lege ſecure medendi, atque natura opinionis, quam ſequeris, ſecuritatem non pollicentis; & quod potius eſt, quia in majus diſcrimen conjicitur æger, ſi erratur executione, quam prætermiſſione, & gravioris errati periculum adeundum non eſt, niſi ſolidioris rationis patrocinio, ſæpius inter medendum optato, quam impetrato. Nunc, ſi placet, Medice operoſe, qui in febribus putridis continuis, ſive ſint ſimpliciter putridæ, ſive maligna qualitate infeſtæ, primum in tergo ferrum cruentas præmiſſis cucurbitulis, deinde venam brachii feris, poſtea tali, repetis ictum in manu, vel brachio, poſtremo ſaturas hirudines ſanguine hæmorrhoidali; ſi placet, inquam, confer Te cum Medico, qui nec in omnibus putridis continuis venam pungit, nec toties renovat punctionem, atque ex facili cognoſces, uter providentius ſeſe gerat cum ægroto; ſi animadvertas ex probatis, raro in febricicantibus offerri perſpicuam rationem feriendæ venæ, plerumque tantum probabilem occurrere, eamque non magni ponderis, imo neceſſario conjunctam cum timore receſſus a veritate parituri nocentiorem lapſum. Et ſane raro, ſi verum profiteris, effectum reſpondere vides, & cum levamen aliquod conſequi vides ad pertuſam venam, huic certo adjudicare identidem nequis, & inde tui operis commendationem capere. Sæpe etiam uſuvenit, ut poſt ſanguinem extractum febris miteſcere videatur, brevi vires recolligat, fluxoque decremento quaſi credulitati illudat. In ceteris rebus effectuum crebritatem naturali inſtructione attendimus ad eorum inſtrumenta adprobanda, & continuanda. In febribus vero

ro undenam frequens phlebotomia, quod pretioſius eſt in ægroto, exhauriens commendatur? quæ plurimum in irritum cedit, fruſtraturque liquidi vitalis expenſam, perſeverante febri ante ſuum naturalem terminum non intercepta. Scio reſponderi poſſe, vulneratam venam obſtare, quo minus febris in deterius ruat, interea præparari opportunitatem aliorum remediorum, & ſpatium naturæ concedi ad ſeſe levandam. Hæc tamen facilius excogitaſti, quam ut probare poſſis. Si enim repoſuero, per eductum ſanguinem ejus miſtionem turbari poſſe ad futuram ſeparationem, expulſionemque extraneæ materiæ, minui vires adhibendas aliis remediis ſuſtinendis, morbique vigori, unde, quæſo, convinci potero? Unde Tibi præclara ratio in oppoſitum præſto erit, ut cum certo emolumento venam ferias? Non ideo velim opineris, me contendere in Medicina perſpicuam tantum rationem, & demonſtrationem amplectendam eſſe, rejiciendam probabilem, & opinionem. Nimium anguſte agerem cum Medente, eumque cautiorem volens, otioſum ſæpiſſime redderem, & majorem partem artis funditus convellerem conjecturis innixam. Unica eſt invicta ratio ſanguinis hauriendi in febribus, vaſorum plenitudo luculenter apparens; reliquæ ſunt probabiles, non indubitatæ, ex iis tamen aliquæ fortiores, aliquæ languidiores, aliquæ adiutæ favorabilibus accidentibus, puta, florente ætate, verna tempeſtate, amplis venis laborantis, idque genus aliis, aliquæ hoc concurſu deſtituuntur. Fas eſt igitur, non inficior, Rationali uti conjecturis, & probabilibus ſpeculationibus ad reconditas indagandas morborum cauſſas, & remedia quæcunque nanciſcenda, contra quam Methodicis præfinitum erat, dummodo tamen, ut in aliis negotiis tractandis mos eſt, eligantur notæ graviores, illu-

illuſtrioreſque, raro ſuppetentibus ita perſpicuis futuri eventus, ut ad tutam omnino actionem Clinicus perducatur. Ex artis noſtræ conditione, atque humani ingenii infirmitate nequit ille ſuum penſum obire, quin ſit expoſitus errori, & aliquando erret, fere ſolum certus pauciora peccandi, cum adminiſtrat pauciora. Niſi tamen adhibitæ diligentiæ, & rationis præſidio omnes errores vitari poſſunt, poſſunt certe graviores, aliorumque pariter frequentia. Itaque, dum inculco infrequenter cadere occaſionem evidentem minuendi ſanguinis, atque ea ſola oblata tuto imminui, non id laboro, ut ſolam evidentiam Noſtris ad agendum præfigam, conjecturam quamcumque removeam, operamque perturbem. Occurrit in dies obſervare, ſæpius delinqui in curationibus nimia fiducia remediorum, quam dubia fide, frequentia, quam raritate, celeritate agendi, quam cunctatione: atque expoſitis dubitandi momentis, exponendiſque exiſtimavi, me de ægrotantibus bene meriturum, ſi nimiæ fiduciæ aliquid detraherem, frequentiam minuerem, celeritatem quadantenus retardarem. Ergo nil aliud contendo a Medico operoſo, niſi ut advertat, ſeſe in ancipiti verſari, aleamque jacere, quoties in febribus abſque apertis veſtigiis repletorum vaſorum, hæc incidit, & inciſionis frequentiam temperet, ac pernicem deliberationem: quas hercle temperabit, ſi tantummodo operis ineundi firmioribus ſtet inditiis, paret Hippocrati commendanti circa ægrotantem œconomiam, & obſervet celebrem regulam prudentiæ, quantum permittitur, non eſſe obviam eundum fortuitis, crepentiſque eventibus. Delinqui quidem poteſt in prima ſanguinis detractione, ſed nocentius, ſi ſæpius ea renovetur, pro qua renovanda multo gravior conjectura requiritur, raro tamen impetrabilis in putrida,

ſola

ſola febre conſiderata. Quid quod in decurſu febris vires acciduntur, & ante venæ punctionem iterandam judicandum eſt, an pares illi ferendæ futuræ ſint? Quam operoſum vero ſit hoc judicium, & proclive ad errorem, dolendum potius eſt, quam probandum. Quamquam autem extant plura exempla febrium putridarum acutarum, quæ curatæ vulgantur terque, quaterque, & pluries elicito ſanguine, mihi tamen argumento non ſunt ad imitandum, ſcienti narrari fauſta, & voto ſcribentis faventia, reticeri contraria, & infauſta. Neque vero proſperi caſus cum ignoratione cauſæ, unde proſperitatem fortiti fuerint, ſufficiunt ſtabiliendo judicio Rationalis, non ſola experientia inſtar Empirici contenti, ſed cauſſæ ſcrutatoris. Febrem, in qua ſanguis educitur, & alia uſurpantur remedia, quis plane ſibi perſuadeat, ſectura vaſis eſſe ſubactam? ſi conſtat, vel ea prætermiſſa ab Eraſiſtrateis medicis paſſim depelli, conſtat in pauperibus ob paupertatem tutis ab uſu remediorum. Secto tamen vaſe, quam raro accidit, ut artis periti aperte cognoſcant, inde, vel allatam eſſe ſalutem febricitanti, vel ſaltem præparatam? imo ſæpe, ſi veritatem celare nolumus, dubitari poteſt; utrum vulneratio venæ, & præſertim repetita ſanitatis reditum maturaverit, an retardaverit, & in dubium vocaverit. Multum habet illa fortuiti, incertique, & rarius expectatione facit ad febres ſedandas; nihilo tamen ſecius conſuetudine celebratur, credita ſalutaris, niſi noxam ſubito manifeſtam infligit. Quamquam autem ipſe contendo, tam frequentem uſum phlebotomiæ in febribus, & ſine earum delectu, periculoſum eſſe, nullum tamen apud Hippocratem invenio ſolitarias febres, quamtumvis fortes, pravaſque curantem; quem ſcilicet in febricitantibus deſcriptis lib. primo, & tertio Epid. non ap-

paret,

paret ; venam reſignaſſe , præter quam in Anaxione ; cui die octavo dolore lateris fomentis non ſedato, ſanguinem detraxit . Diligenter enarrat , quicquid ſingulis laborantibus toto ægrotationis curriculo accidit , aliaque curationis gratia peracta ; ſed in ſolo Anaxione mentionem facit de ſanguinis effuſione . Quare , tametſi plures cum Galeno arbitrentur, Hippocratem in narrationibus tacuiſſe venæ punctionem , non omiſiſſe in curationibus, quod eam generatim in aphoriſmis , & alibi adprobaverit , graviſſimam tamen conflat ſuſpicionem , de illa ſiluiſſe , cetera , & quidem minoris ponderis referentem ; cum præſertim , uti advertit [a] Daniel Clericus , febres ſine inflammatione vel acutas non recenſuerit Hippocrates inter morbos ſcalpellum poſtulantes . Quin etiam eidem eruditiſſimo viro argumento ſunt, ab Hippocrate non eſſe ictam venam in dictis ægrotantibus , tot evacuationes ſponte , & ſalutariter factæ , quas pro certo credit minime futuras fuiſſe , ſi primis diebus , ſicuti Galenus autumat , large ſanguis eductus fuiſſet . Fortaſſe tamen propenderem in arbitrium Galeni , ſi in Anaxione , in quo Senex ait , ſe vulneraſſe venam , non interfuiſſet peculiaris cauſſa vulnerandæ , nempe dolor pleuriticus fomentis non mitigatus ; unde elucet ratio , cur in aliis non vulneraverit . Tantum vero abeſt Seni febrem fuiſſe indicem detractionis ſanguineæ , ut obſtaculum fuerit , quo minus ea uteretur , locuplete teſtimonio Martiani [b] id oſtendente , ut etiam ſupra indicatum eſt . In expoſitione Coacarum prænotionum , inde ſummo argumento reprehendendi audaciam Medicorum , febrem habentium pro præcipuo indicante hauriendi ſanguinis , quæ Hippocrati Medicorum ſupremo ſummum prohibens fuit . Videtur igitur ,

(a) *Lib. 3. cap. 19. de Hiſt. med.* (b) *Lib. 3. pag. 411.*

Proſpero Martiano tam fido & docto Hippocratis interprete ita ſentiente, nullus remanere dubitandi locus, utrum venam aperuerit febricitantibus, quibus ſe aperuiſſe non memorat. Non ego tamen cum Martiano redarguo Medicos eam in febribus recludentes, perinde ac ſi relicto Coi placito apertionem vetante, ſemper pernicioſe, nunquam utiliter panderetur. Duo nobis ſplendidiſſima Medicinæ lumina largita eſt Antiquitas, Hippocratem, & Galenum, alterum ſcientiæ conditorem, alterum eximium amplificatorem exornatoremque, alterum in ſolitariis febribus ferro parcentem, alterum utentem, ſapientius tamen, quam ut plurimi in præſentia ſoleant. Quem mavis ſequi? Summa eſt divini Senis auctoritas, magna Galeni, vel pluribus Novatoribus invitis; & ſi ſobrie ſcalprum adhibebis, tua praxis non erit laude indigna, non vacua ratione, & patrocinio, licet Hippocratico careret. Utraque ſententia generatim elata opinio eſt, & ſolum ex diverſitate ægrotantium, & accidentium alterutra firmitatem majorem acquirere poteſt. Tironibus aperiam, quemadmodum me geſſerim erga me, meoſque. Bis paſſus ſum febrem continuam ſtigmaticam, ut alii vocant, puncticularem, primam annum agens circiter trigeſimum, deinde aliam quinquageſimum quintum, in mea methodo medendi deſcriptam, nec in utraque admiſi ſectionem venæ grandis, vel minorum ſub cucurbitulis, nec ullum ex Noſtris in conſilium advocavi; cum mihi praxis Hippocratica hac in re inſtar omnium eſſet, non tamen ejus ſola auctoritate ductus, ſed etiam alia peculiari ratione accedente, videlicet inclinatione humorum ad alvum, excrementorumque redundantia, non ſanguinis, qua præſente non refugiſſem a ſcalpello. Ita mecum egi, nec aliter cum meo filio natu majore, annum vigeſimum pri-

primum agente, temperamenti bilioſi ſanguineo affinis, gracilis corporis habitus, qui ſub fine Aprilis an. 1733 incœpit affligi capitis dolore, non tamen impediente, quo minus ſolita munia obiret. Ideo pulſum non exploravi, ſed arbitratus cauſſam doloris eſſe ventriculum cruditate bilioſa impeditum, porrexi bolum ex electuarii lenitivi drachmis ſex. Dejecit ita copioſe, & ſupra vires pharmaci, ut in ſuſpicionem venerim, febrem adeſſe, nec omnino mala qualitate carentem; & inde excitatus ad explorandum pulſum, quod ſuſpicatus eram, comperi, juſſique decumbere. Poſtridie quater excrevit bilioſa liquida, perſeverante tamen dolore capitis, & febre invaleſcente. Tribus conſecutis diebus totidem habuit ſimiles dejectiones cum aliquanto decremento capitis doloris, non tamen febris. Hæc in adoleſcente continua, acuta cum capitis dolore, pulſu duro, & oppido frequenti videbatur phlebotomiam clamare, uti mos eſt regionis; cum præſertim antea valida corporis exercitatione, & ambulatione ad Solem incaluiſſet. Mihi tamen, præter Hippocratis mentem, egeſtiones bilioſæ, liquidæque argumento fuerunt ad reſiſtendum conſuetudini, venæque inciſionem omittendam, contento propinatione ſeri defæcati, aliorumque refrigerantium. Die quarto decubitus incœpit pati vigilias, turbataque ſomnia, ſi brevis ſomnus obreperet, imo die ſexto etiam interdiu aliquidpiam abſurdi loqui, ex raris tamen intervallis. Hoc ipſo die emicuerunt puncta rubra in tergo, & pectore raritate, & diſtinctione æqualiter, atque colore non ominoſa. Cum autem die ſeptimo doleret, pondus ſtragulorum eſſe ſibi impedimento, quo minus libere per lectum devolveretur, detractum eſt quod oneri erat, obſtabatque commodæ volutationi, mihi nullum timorem incutiente, quo minus id

permitterem, eruptione macularum: quæ poſt duos dies a pondere operimentorum detracto penitus evanuerunt, nullo tamen novo moleſto ſymptomate oborto, nec adauctis prægreſſis. Quinimo congruenter ad Sydenhami animadverſionem in ſchedula monitoria de novo febris ingreſſu, peticulas ſæpius efflareſcere ab intempeſtivo cardiacorum uſu, & regimine paulo calidiore, ſuſpicatus ſum in juvene calidi temperamenti veris tempore acute febricitante idem contigiſſe a calore ſtragulorum. Quare juxta ſuperius ſtabilita in Regimine magnorum auxiliorum nihil egi ad inſtigandam rubram eruptionem inchoatam ad cutem, nec ad revocandam, quæ videbatur ſuppreſſa. Revera die nono remiſſa aliquantum febris eſt, frequentia pulſus, & durities, multoque magis die decimo tertio, præſagium integræ futuræ ſalutis conſecutæ die decimo ſeptimo. Natura in hac febre duas vacuationes molita eſt, primis ſex diebus per alvum, deinde tribus noctibus per ſudorem. Ipſe vero univerſam curationem abſolvi electuario lenitivo ante exploratum pulſum, ut dixi, præſtito; deinceps in decurſu morbi, ventere reſtricto, ſemel uncia dimidia caſſiæ cum pulpa thamarindorum; refrigerandi cauſſa, nitro defæcato, & decoctione folior. acetoſæ, cichorii, & borraginis; occurrendi vigiliis, uno grano laudani nepentes ſemel tantum exhibito, & tribus vicibus modico confectionis hyacintinæ, cum mihi vires id exigere viderentur. Neque ſane in curationibus aliorum extra domum meam obeundis, oblato ſimili morbi genere, & accidentium comitatu, operoſior eſſem; ſi, vel per domeſticos, vel alios medicos in conſultationem acceſſitos, vel conſuetudinem dominam multitudinis jure meo agere liceret: ſed difficillimum eſſe non inficior, hiſce omnibus obſiſtere, & aliquando etiam in-

vitos,

vitos, averſoſque a fucis trahi in obſequium, impellique ad imperanda, vel permittenda, quæ vel ſuperflua, aut dubia judicantur. Semper tamen, teſtor Deum, in gravi controverſia ſententiam meam patefeci, & patefactam defendi, quantum permiſit cognitio judicaturi conventus, incertique morborum eventus, expoſiti variis vulgi interpretationibus foventibus artis imperitiam. Ob hæc neque multiloquio, neque aſſentatione, neque dejecta obſervantia, neque amicorum ope, alia nec arte multorum gratiam aucupatus ſum, qui operam meam poſtularent. Malui paucis ægrotis prodeſſe, quam multos viſitare, morum honeſtati, animique tranquillitati vacare, quam lucro.

CAPUT V.

Expenduntur argumenta venæ ſecandæ in febribus propoſita ab Joanne Freind tanquam evidentia.

QUamquam Hippocrates, uti nuper adnotatum eſt, in ægrotis relatis lib. 1 & 3, qui ſoli genuini auctoris creduntur, nullam mentionem fecit de celebrata ſanguinis miſſione; & inter doctos auctores controverſum eſt, utrum operis mentionem prætermiſerit, nisi opus, tamen eruditiſſimus Joannes Freind [a] tanquam invicta ratione probaſſet ab Sene fuſum eſſe ſanguinem, ex ejuſdem narrationibus quatuor colligit conjunctiones ſignorum: quibus apparentibus in ſimili morbi genere confidit, poſſideri evidens, & invincibile argumentum protinus venæ aperiendæ, dummodo vires permittant. *Quatuor,*

(a) *Com. 2. Hip. de Feb.*

tuor, inquit, *ægrotos ſponte facta ſanguinis eruptione ſanatos ſcribit Hippocrates: quorum quidem hiſtoriæ ita ab eo contextæ ſunt, ut ſi quando inciderit ſimilis morbi genus, clariſſima inde luce pateant ſanguinis mittendi indicia. In primo quippe ſignata ſunt hæc: Febris vehemens, lumborum gravitas, & dolor, delirium. In ſecundo: Febris ardens, inquietudo, rubor, ſurditas, vigilia, delirium. In tertio: Febris, inquietudo, vigiliæ, convulſiones, dolor, coma, delirium. In quarto: Febris ardens acuta, vigiliæ, capitis gravitas, dolor, faciei rubor, delirium.* Antequam inſtituo examen de ſignatis indiciorum conjunctionibus, moneo, non eſſe expenſurum, utrum illis exhibita ſit, necne tundenda vena, ſed duntaxat, an ex illis eluceat evidens tundendæ ratio, omnemque tollens dubitationem de opportunitate remedii, & ſecuritate medicationis, uti opinatur Freind. Miror autem Hippocratem ita contexuiſſe eas hiſtorias, ut præſeferrent evidentes notas educendi ſanguinis, ab aliis diſcendas, ipſum autem de educto nullum verbum feciſſe, cetera minoris ponderis indicaſſe, quod erat majoris, ſuppreſſiſſe. Mehercle mihi viderer Hippocratis diligentiæ, & prudentiæ eſſe aperte injurioſus, ſi tenerem in omnibus febricitantibus narratis venam eſſe diſſectam, qui video in nullo eſſe memoratam. Nihil igitur certi habet Freind ex praxi Hippocratica, uti deſcribitur, quo comprobet, tradita copulata ſymptomata nitidiſſima luce fulgere, demonſtrante apertiſſimas occaſiones eliciendi ſanguinis. Niſi porro Senis praxis incruenta favet Freind, producat ex illis narrationibus rationem oſtendentem in illo complexu ſignorum manifeſtam opportunitatem venæ apertionis. An illam inde trahet, quod ſinguli febrientes, ex quibus ea ſigna collegit, morbo redempti ſpontaneam ſanguinis excretionem habuerunt,

aſ-

arſque debet imitari naturam? Expendamus hiſtorias.

Metoni, uti ordiar a prima, die quarto bis ex dextra nare paulatim ſanguis effluxit, ſed proxima nox laborioſa fuit; quinto ex nare ſiniſtra liberaliter effluxit ſincerus ſanguis; ſubditque Hippocrates, ſudore oborto judicatum eſſe. Quid, rogo, ex Metone ſuppetit arti ad imitandum? Quinto die, ideſt in vigore morbi ſanguis e ſiniſtra nare copioſus ſcatuit, quo exemplo ſi quis velit in ſimilis febris vigore ſanguinem emittere, perſpicue contradicet Hippocrati, eo tempore quietem præcipienti, & negotium naturæ credi tunc fortius cum morbo pugnanti, conantique victoriam. Neque hercle id animo agitaſſe judicem Freind proponentem Metonis hiſtoriam tanquam complectentem lucidiſſima ſigna adhibendi ſcalpri. Ceterum neque ex copioſo ſanguinis fluxu die quinto facto poteſt eliei ſolida probatio, in principio ſimilis morbi vas reſignandum eſſe, ſimiliter ac ſi idem ſperare liceret ex ſpontanea ſanguinis excretione, ſi ſalutaris fuiſſet, atque ferro extorta; & quaſi quædam imitatio, vel admonitio naturæ foret, quia ipſa quinto die fudit ſanguinem e naribus, oportere in principio morbi ex brachio fundere. Nihil verius prædicatur in Medicina, quam ingrediendum eſſe naturæ veſtigiis, eamque imitandam. Quam tamen difficilis eſt imitatio? Ignoramus opportunitates, quas natura abſque doctrina intelligit, arripitque citra periculum erroris: caremus inſtrumentis, quibus utitur ad agendum, ciendoſque ſalubres motus: itaque inanibus occaſionibus agendi, quas captamus, cum naturæ imitationem prætendimus, ſæpe diverſa, & aliena molimur, ignari legitimæ tempeſtivitatis, defectique idoneis inſtrumentis actionum. Hinc petenda eſt cauſſa, cur ab eadem quantitate humoris excreti, ſive fuerit ſanguis

guis ipſe, ſive humor alius, ſoleant vires magis labi, ſi excretio fiat artis impulſu, quam naturæ. Porro in Metone febris extinctio conſecuta eſt ad ſudoris eruptionem, non ſolius ſanguinis; meritoque poſtremæ evacuationi primæ partes reſtitutæ ſalutis adjudicantur. Erant præterea in Metone febris vehemens, dolor, gravitaſque lumborum, & delirium: e quibus pro certo credit Freind ſuffici clariſſimam rationem phlebotomiæ uſurpandæ, licet nulla ſpontanea ſanguinis ejectio contigiſſet. Mihi tamen tam perſpicua indicatio hauriendi ſanguinis ex illis affectibus non offertur; idque oſtenſurus prius animadverto, Metonem deliraſſe ſolum poſt judicationem, febriſque ceſſationem, Coum delirio compeſcendo non adhibuiſſe ſcalprum, ſed balneum capiti ad vias ſanguini laxandas; id quod ſe impetraſſe ſcribit. Viderat Hippocrates die quinto e ſiniſtra nare ſanguinem largiter erupiſſe; neque tamen inde perſuaſus eſt de ſectione venæ, neque ad iſtam progreſſo effluvio ſe invitari a natura credidit, contra quam plures de Noſtris ſapientiores, ſi Diis placet, Hippocrate, in præſens ſentirent, plus nimio proclives ad ſanguinis detractiones. Ergo Meto tantummodo ſoluta febri deliravit, quod propterea delirium conjungendum non erat a Freind cum febre, & aliis ſymptomatis, quæ tempore febris acciderunt, tanquam ſignum cum ceteris evidenter petens apertionem venæ, ſi velit ſtare narratis ab Hippocrate. Die tertio in Metone oborta eſt gravitas capitis, quam tamen Freind non repoſuit inter dicta ſigna. Cur igitur repoſuit delirium poſt febrem excitatum, atque ex ſententia Valleſii melancholicum, propter quod Hippocrates venam non pupugit? Quod vero attinet ad febrem vehementem, gravitatem, & lumborum dolorem, ut ut poſſent iſta hortari ad venam vulne-

ran-

randam probabili ratione, manifeſta ſane non poſſunt, ſecus quam ſentit auctor. Nullum enim indicium vim habet evidentem ad phlebotomiam deſignandam in febre, niſi quod præclare oſtendit plenitudinem vaſorum, tamen ex illis tribus non oſtenſam. Non ab febris vehementia, quæ ex ſententia Hippocratis indicat magnam ſeparationem humorum, efferatamque bilem, non copiam ſanguinis, abs qua proxime non producitur; atque indicatæ cauſſæ certum eſt recta non adverſari venæ ſectionem, nec alteri, niſi adjungitur copia vaſis incommoda, uti ſupra probatum fuit. Adde vehementi febri gravitatem, doloremque lumborum. An idcirco hic comitatus prælucidam occaſionem venæ ſecandæ interesſe demonſtrat? Demonſtraret ſane, niſi ea ſymptomata a variis cauſſis incutI poſſent abſque vera redundantia ſanguinis; ſed certe poſſunt, videlicet a ſanguinis fervore in vena cava lumbis adjacente contenti, & a forti febre rarefacti, aut copia excrementorum in inteſtinis: quam in Metone fuiſſe conjectare licet ex alvo poſtridie large ſoluta, poſt aquam uberius hauſtam, aut naturali impulſu, aut Medici ſuaſione. Harum vero cauſſarum altera rationem demonſtrativam pro phlebotomia non exhibet, altera nullam, imo potius contrariam. Ageſis, ſi placet, adjunge febri, lumborum gravitati, & dolori delirium, quod ex hiſtoria liquet ſolum poſt judicationem eveniſſe. An hocce una cum aliis luculenter oſtendet certam indigentiam ſanguineæ detractionis? Excepta Phrenitide, me latet, quomodo delirium ex doctrina Hippocratis poſſit onerare pondus rationis pro venæ punctura, docentis [a], ita illud provocari: *Cum igitur bilis commota ad venas, & ſanguinem ingreſſa fuerit, ſanguinem ex conſueta compage, & motione dimovet,*

[illegible] Ggg [illegible] *& ſe-*

(a) *Lib. 1. de Mor.*

& ſeroſum facit, & calefacit. Calefactus autem iccirco reliquum corpus, totum percalefacit, & deſipit homo, & non ſibi conſtat prae febris copia, ad ſeroſitatem tranſmutatione, & motione non ſolita contingente. Si annuis Hippocrati ita ſentienti de delirii productione, hujus curationem inſtituas oportet evacuatione bilis illapſæ in ſanguinem, non ſanguinis, quæ non ſedat commotionem, ſed auget, ejuſque compagem laxat, non confirmat. Et ſane Hippocrates Anaxioni febricitanti, cui die ſexto ſupervenit deliratio, venam non aperuit, & ſolum aperuit die octavó propter febris incrementum, intenſumque dolorem a fomentis non mitigatum. Quinimo Montanus refutans Galenum aſſerit, ab Hippocrate die ſexto ſanguinem elicitum non fuiſſe, quod eodem die ſuperadditum ſit delirium cum aliis ſævis ſymptomatis. Tantum abeſt, a delirio augeri robur indicantis ſauciandæ venæ.

Singillatim alias tres copulationes inditiorum a Freind adnotatas ex Hippocratis hiſtoriis examine non perſequar; quæ præter jam diſcuſſas notas nil aliud continent præſeferens momentum aliquod ad depoſcendam venæ inciſionem, quam faciei ruborem, capitiſque gravitatem, quæ propterea duo ſola conſiderabo. Per ſanitatem facies, quæ rubere non ſolet, ſi rubet ex febre cum gravitate capitis, ex Priſcorum placitis præbet argumentum non contemnendum tundendæ venæ revulſionis gratia, non tamen omnino tutum, & ab omni dubitatione aſſertum. Ut enim ea ſymptomata, ſicuti rebantur Antiqui ante inventum ſanguinis circuitum, produci poſſunt ab collectione ſanguinis intra vaſa capitis, exigente revulſionis, & derivationis nomine ſcalpellum; ita poſſunt aliunde cieri abſque aſſumpta collectione, ſed tantummodo a fervore ſanguinis, vi materiæ biliosæ attenuati, diffuſique, &

com-

comprimentis adjacentes partes. Cui cauſſæ auferendæ bilis evacuatio, vel correctio opportunior eſt ſanguinis effuſione, apta pro certis circumſtantiis, uti ſupra animadverſum eſt, ad augendam bilioſam partem ſanguinis. Vidi non ſemel capitis notabilem gravitatem in febre continua bilioſa cum rubore faciei, non ſanguinea e naribus excretione, ſed ex alvo copioſa, bilioſaque magna ex parte ſublatam; indicavitque levamen cauſſam ſymptomatis. Porro admiſſo ſanguinis circumductu adeo ab Recentioribus celebrato, ceſſat occaſio revulſionis, & derivationis ſtagnantis, cumulatique ſanguinis in vaſis capitis, impediente ſtagnationem perpetuo impulſu motus circularis univerſam animalis œconomiam moderantis, & ſuſtinentis.

Poſtremo de animadverſionibus Freind illud mihi excutiendum remanet, utrum quatuor febricitantium, e quibus inditia, ut putat, clariſſima phlebotomiæ adhibendæ depromit, quaſi febris per ſpontaneam ſanguinis eruptionem ſoluta fuerit, huic potiſſimum excretioni febris ſolutio debeatur, an alteri, dubitationem hac de re Hippocratis narratione conflante. Febricitantes, de quibus Freind narrat, ſunt, Meto, Virgo Abderæ decumbens ad viam ſacram, Mulier in Thaſo auſtera, Virgo Lariſſæ. Quinto die ait Cous Metoni, de quo ſupra dictum eſt, ſanguinem ex ſiniſtra nare abunde defluxiſſe, & poſtea ſudore oborto judicatum eſſe. Virgo, quæ Abderæ decumbebat ad viam ſacram, copioſum habuit ex naribus ſanguinis effluxum die decimo ſeptimo, poſt quem ſurditas non nihil imminuta eſt, ſed proximis diebus cibi faſtidium, & ſurditas aderant, præterea delirium. Vigeſimo paucus ſanguis e naribus emanavit, & ſudoribus inquit Senex, febre liberatam fuiſſe. Vigeſimoquarto febris reverſa eſt, & vige-

ſimo ſeptimo copioſis ſudoribus extincta. Mulieri in Thaſo auſteræ & aſperæ ita ſanatio contigit. Die tertio noctu ſudor calidus ex univerſo corpore largiter effuſus eſt, & cum febre cuncta moleſta ſymptomata deliverunt. Subjungit autem Senex in fine hiſtoriæ, ſub judicationem muliebria copioſa profluxiſſe. Poſtremo Virgini Lariſſæ acuta, & ardente febre vexatæ ſexto die e naribus multus abunde ſanguis effluxit, atque ubi inhorruiſſet, ſudore copioſo calido per totum corpus diffluente, ut refert, ex febre immanis judicatione liberata eſt. Ergo ita loquitur Hippocrates, ut febricitantium deſcriptiones conſideranti multo proclivius ſit, expulſionem morbi ſudoris, quam ſanguinis effluvio tribuere, in Virgine vero decumbente ad viam ſacram neceſſarium. Die decimo ſeptimo ei abunde ſanguis e naribus fluxit. Quod, precor, inde levamen reportatum eſt? Parum imminuta fuit ſurditas, ſed proximis diebus ſurditati acceſſerunt cibi faſtidium; & delirium. Quoties autem ſudavit, febris deſiit, ſcilicet vigeſimo, & vigeſimo ſeptimo, & hoc die, quo narrat Hippocrates ſudores uberes fuiſſe, non reditura deſiit; quæ rediverat poſt vigeſimum, forſitan ob ſudorem imparem indigentiæ, nil memorante auctore de abundantia ſudoris hoc die extruſi, quam expreſſit referens vigeſimi ſeptimi ſudorem. Quocirca, ſi ſponte, & proluxe ſanguis effuſus abſque ſudore nil profuit, profuit cum ſudore, quare Freind inde ſtabilivit judicium de ſanguine eliciendo, quaſi criſis acta per eum foret? Quare ex aliis tribus ægrotis ſanguineum, & ſpontaneum effluxum paſſis, & ſuæ ſententiæ a Freind deſtinatis? Ecce quemadmodum ſcribit Hippocrates: *Quinto die Metoni ex nare ſiniſtra liberaliter ſanguis ſincerus effluxit, ſudore oborto judicatus eſt Mulieri in Thaſo auſteræ, & aſperæ, eadem nocte*, hoc eſt

diei tertii, *ſudor copioſus, calidus toto corpore dimanavit, a febre immunis fuit*. Poſtea in fine narrationis hæc habet: *Sub judicium autem muliebria copioſa profluxerunt. Virgini Lariſſæ ſexto die ex naribus ſanguis abunde multus effluxit, atque ubi inhorruiſſet, ſudore copioſo calido per totum corpus diffluente ex febre immunis judicatione liberata eſt*. Igitur Hippocrates loquitur de ſanguineo effluvio in hiſce ægrotis facto tanquam de conjuncto cum judicatione, vel ei propinquo, non tanquam de vacuatione judicatoria, cujus nomine intelligitur a Medicis expulſio morbidæ cauſſæ a natura victrice peractæ, quam Senis ſermo refert proxime ad ſudorem. Hiſce animadverſis, conſtituo ſpontaneam ſanguinis eruptionem non fuiſſe principale molimentum naturæ nitentis ad ejectionem fomitis febrilis, ſed potius effectum intimæ commotionis ſanguinis, ſimulque provocantis, aut mox provocaturi ſudorem. Ut calidus ſudor ex univerſo corpore liberaliter efferatur, totum corpus æſtuare oportet, æſtuque facile accidere poteſt, ut tenuati ferventiſque ſanguinis portio ſibi aditum per aliquam partem muniat, ad ubi tamen concurrente peculiari ſanguinis qualitate, & quantitate, atque ad certa loca propenſione: quæ quoniam non in omnibus conveniunt, non omnes, quibus febres ſudore finiuntur, ſanguinis effuſionem patiuntur. Mihi ita opinanti argumento eſt perſeverantia febris a ſanguine delapſo, niſi conſecutus ſit ſudor, iſque prolixus; itemque conſideratio de febricitantibus ab Hippocrate lib. 1, & 3 relatis, quorum multis accidit judicatio per ſudorem abſque ſanguinis excretione, nulli ſine ſudore, cui copioſus ſanguis emanaverit. Enim vero Joannes Freind[a], ut animum intenderat ad colligendas notas evidentes educendi ſanguinis arbitratur,

(a) *Comment. 3. de ſud.*

tur, in quatuor illis febricitantibus febrem magis eſſe finitam ſanguinis profluvio, quam ſudoris; ſubditque ad ſuæ ſententiæ fulcimentum, Hippocratem perpetuo proponere ſudorem ut preſagii inditium, non ut inſtrumentum curandi. Quomodocunque tamen Senex conſideraverit ſudorem, de quo non eſt, quare diſputem, quid frequenti experientia notius, quam a natura victrice materiam febrilem attenuatam in ſudorem amandari? Paucis quidem in febribus proponit Hippocrates pro remedio ſudorem, & ſolum in illis, uti notat Daniel Clericus[a], quæ neque a bile, neque a pituita generantur; de quo forſan mirarer, niſi omnium remediorum in febribus parciſſimus fuiſſet, ſeſe ſola diæta contentus. Sudore tamen ſæpe ſalutariter uti naturam pugnantem in morbos acutos, expreſſe docet inquiens[b], ſudores optimos eſſe in omnibus acutis, qui in diebus judicatoriis fiunt, & febrem perfecte ſummovent. Eſt etiam celeberrima ſententia Hippocratis[c], vel alterius graviſſimi Medici, niſi liber ille detur Hippocrati, reliquas excretiones ſingularibus tantum morbis convenire, ſolum ſudorem omnibus, aut omnium ſolutionem æqualiter eſſe; quem tamen puto venæ repetitis ſectionibus inhiberi, ſanguinis vigorem enervantibus debitum vertendæ materiæ febrili in ſudorem, extrudendæque.

CA-

(a) *Hiſt. Medic. Part. 1. Cap. 10.* (b) *Lib. 1. Prænot.*
(c) *De Rat. vic. Acut. Lib. 4.*

CAPUT VI.

Expenditur frequentia venæ ſectionis in inflammationibus internis.

LUculentius in inflammationibus interiorum partium peti phlebotomiam, quam in ſolitariis febribus, de quibus hactenus egi, apud eos manifeſtum eſt, extraque controverſiam poſitum, qui cum Chryſippo Cnedio, hujuſque fautoribus ſententiæ de tundenda vena bellum univerſim non indixerunt. Utrum autem liberalis creberque uſus ducendi ſanguinis in eis affectibus, qualis apud multos Recentiores invaluit, ſit omni dubitatione, & erroris periculo liber, plenuſque fiducia, excutere inſtituo. Cum inflammationum materia ſit ſanguis, aut extra ſuâ conceptacula pulſus, occupanſque ſolidi intercapedines, aut vaſa extendens in varices, ſicut multis placet, ſi adeſt ſanguinea copia incipientibus inflammationibus, certo certius eſt ſcalpello protinus detrahendam eſſe, quæ pariter extra morbos ſuſpicione non caret. Non ſola tamen redundantia habenda præ oculis eſt, ſed motus morbidus ſanguinis; quem & copia urgere poteſt, non tamen ſola excitare. Alia inſunt ſanguini incitamenta; quibus extemplo amotis, ſi præſto forent inſtrumenta ſubito amoventia, vitioſus motus, atque inflammationis incrementum cohiberentur. At paupertas medicinæ tam opportunis carens inſtrumentis neceſſum eſt, ut confugiat ad venæ inciſionem oppoſitam motui præter naturam inchoato, atque revellendo, derivandoque paupertati quadantenus ſuccurſuram. Itaque adamuſſim cum Priſcis revulſione, & derivatione per venæ punctionem obtinendis, triplici utilitate commendatur

datur iſta in phlegmonis, detractione redundantiæ, ſi adeſt, impeditione fluentis ſanguinis extra ſuas vias, ejuſque, qui fluxit, derivatione, quæ tollit copiam partis affectæ, & adjacentium. At quandiu permanet occaſio revellendi, derivandique? Quia claritate ſignorum proditur? Ut autem lucidior, utiliorque hæc tractatio evadat, quæ communia ſunt omnium phlegmonarum, conſiderabo in Pleuritide uſque adeo frequenti, & perniciosa, ut a Verna nuncupetur acutorum morborum princeps; quamque multi curare ſolent pluries infixo ſcalpello; imo vidi non ſemel Patavii ſepties infixum eſſe, non tamen morte redemptum laborantem. Ergo oborta Pleuritide cum redundantia ſanguinis univerſali ſubito auferenda eſt, vel totam ſemel quantitatem adimendo permittentibus viribus, vel ex intervallis iterando venæ apertionem, quod tutius eſt, dummodo inter initia iteretur. Nulla vero præſente univerſali ſanguinis copia, illius præcipuum commodum expectandum eſt ab revulſione, & derivatione, opportuno tempore peractis. Docent Inventores revulſionis per Phlebotomiam tempus revellendi eſſe principium univerſale inflammationis, quod latitudinem habet, variaſque partes; quarum ultimam Horatius Augenius inde deſignat, quod tota materia in locum affectum confluxerit, & in hac ipſa parte principii dijudicat ceſſare indicationem revellendi. Hæc tamen latitudo principii univerſalis in plures partes diviſa, quam mente non difficulter concipimus, manifeſta ſigna non habet, claramque diſtinctionem, ut inde doceamur de opportunitate moliendæ revulſionis, vel prætermittendæ. Quandoquidem Pleuritides, ut inſiſtam propoſito, aliæ ſunt tardioris curſus, aliæ velocioris, in aliis citius, in aliis tardius accurrit humor ad locum affectionis, deſinitque accurrere: Pleu-

ritidis

ritidis exquiſitæ conſtitutio, uti ſtatuit Valleſius[a] eſt quatuordecim dierum: ſæpe tamen ejuſdem auctoris; & experientiæ documento eadem affectio intra ſeptem dies ſuum curriculum abſolvit. Benignæ ſpatium novem & undecim dierum Hippocrates deſignat[b]: *Bilioſæ ſimul, & ſanguineæ Pleuritides plerumque nona, & undecima die judicantur, & maxime ſanantur.* Extant etiam narrationes, ſed paucæ de Pleuritide extenſa ultra vigeſimum diem, imo etiam ultra trigeſimum, uti contigit Anaxioni; quocirca, cum pro varia conſtitutione Pleuritidis variet etiam tempus accurſus humoris ad partem affectam, redditur incerta principii ſecundum omnes ſui partes cognitio, & ſimul tempeſtivitatis revulſionis, nullis objectis perſpicuis inditiis ex varia ætate morbi, vel ex alio fonte. Valleſius[c] in hiſtoria Anaxionis quatuor tempora Pleuritidis circumſcribit, ſingulorum adjectis veſtigiis. *Eſt*, inquit, *Pleuritidis principium cum neque multa, neque concocta excreantur; ſtatus; & declinatio cum multa, & concocta; incrementum cum aut multa, non cocta, aut pauca, & cocta.* Quæ ſane inditia negligenda non ſunt, ſed conveniunt ſoli humidæ Pleuritidi bonum exitum habituræ, non conveniunt ſiccæ memoratæ ab Hippocrate[d], non conveniunt lethali frequenter incurrenti, in qua non peragitur concoctio ſputaminum, opus naturæ ſibi conſulentis. Magna inſuper varietas ſputorum in diverſis pleuriticis eſt, conſiderata ab Hippocrate[e], & inde duntaxat denuntiante morbi conditionem, vel ſalutem pollicentem, vel minitantem exitium. Nimium igitur confideret ſputis, ſive iſtorum colorem ſpectaret, ſive materiæ modum, ſive quantitatem, qui crederet, ſeſe ex illis certo agniturum diverſa tempora

(a) *Sect. 5. Apho. 8.* (b) *In Coac. Præn.* (c) *Lib. 3. Epid. ſect. 3.*
(d) *Lib. 1. de Morb.* (e) *In Prægn.*

Pleuritidis, præſertim principii extenſionem, & incrementi: affirmatque Galenus, non poſſe haberi exquiſitam principii notitiam, antequam incipiat incrementum, neque incrementi ante adventum ſtatus. Si autem tota extenſio principii non ſubjicit certam ſui cognitionem ante incrementum, incertum pariter eſt tempus inſtandæ revulſionis per phlebotomiam; eademque ambiguitate, & difficultate involvitur occaſio derivationis, quæ documento Horatii Augenii[a] ſolummodo in ultima parte principii univerſalis, aut in aliis parum inde diſtantibus mediis, antequam materia incipiat ſuppurare, vel tenaciter loco affecto inhæreat. Hac porro vel ſuppurare incipiente, vel conſtanter loco affecto inhærente, incrementum, vel ſtatum adeſſe judicat Augenius, & utrumque tempus inopportunum derivationi, quippe invalidæ ad dimovendam, alioque deducendam materiam infixam, coactamque. Utrum ita metienda ſint tempora inflammationum non eſt, quare diſputem. Illud enim ex omnium ſententia pro certo tenetur, veram revulſionem ſoli haberi humori defluenti, derivationem humori, qui partem affectam vel obſidet, vel proxime obſeſſurus eſt, dummodo nondum e vaſis eruperit, & concreverit inhabilis ad reſumptionem. Quis autem ſibi plane perſuadeat, ſe poſt certum tempus a principio te inflammationis exploratum habere poſſe, adhuc fluxi humorem in partem afflictam, vel lapſum ibi coactum nondum eſſe, ut queat cum firma ſpe inſtaurare venæ inciſionem, vel revulſionis, vel derivationis nomine, vel utriuſque? Exiſtimo non poſſe fieri, quin venæ frequentius ſector in Pleuritide revellendi, derivandique cauſſa extra opportunitatem phlebotomiam adhibeat, ægrotumque lædat, vel ſaltem ſolida ſuæ actionis ratione careat, niſi igno-

(a) *De Sang. miſſ. cap. 6.*

ignoto ſavore noceret. Dempta in hoc morbo ſanguinis ubertate, ſi adeſt, tranſactoque tempore revulſionis, & derivationis, & humore in parte affecta, vel denſato, vel ſuppurante, ſciſſuræ venæ fidendum non eſt, ſed naturæ robori, quæ, vel denſatum humorem diſſolvet, vel genitum pus niſi per aſperam arteriam excernere poterit, poterit alias vias ſibi adornare, atque obſervatum eſt aliquando per alvum, aliquando per veſicam adornaſſe. Mira eſt hercle naturæ vis ad ſuperandas vias inaceſſas, atque impenetrabiles, uti nobis videntur, ſi vera ſunt quæ narrantur. Prægnantem, referente Helmontio[a], libido invaſit edendi conchylia nigra, & aliquot præcipitanter edit, ut etiam teſtas crudas bis terve conciſas devoraret. Poſtea infra horam fœtum peperit ſanum, & adultum cum ſemimanſis teſtis, vulneratumque in abdomine; atque nihil obſtitit naturæ, quo minus celeriter truderet ſemimanſas teſtas in uterum contra inſuperabilem noſtro captui viarum difficultatem. Multo autem proclivius eſt naturæ parare puri Pleuritidis vias ad alvum, & veſicam; & ipſe vidi, niſi hallucinatus ſum, paratas in robuſto adoleſcente ad alvum. Neque vero reprobo venæ ſectionis iterationem in morbi decurſu, ſi nova concitetur fluxio, concitataeque gravis eluceat conjectura. Id unum inculco, etiam in hoc morbi genere dubias nimis eſſe notas, quibus plures utuntur ad renovandam ſanguinis expanſam, & me malle delinquere ſemel tantum, vel bis percuſo vaſo, quam toties ex more multorum, niſi ſanguinis ingens redundantia intereſſet plures iterationes punctionis ſuadens. Quo tempore maxime ſuppurat materia, ut adnotavit Hippocrates, febres, & dolores augentur; quibus, ſi adduceris, ut ſanguinem elicias, non niſi per-

(a) *De inject. mater.*

nicioſe id facies, & attenuabis exiguam ſpem ſalutis propemodum in ſolis viribus naturæ ſuperſtitem. Plures tamen inde, ut ſæpius adverti, ad id adducuntur, prætermiſſaque conſideratione Hippocratis de cauſſa febris auctæ, doloriſque, habent pro argumento renovandæ inciſionis, quod ei opponitur. Ac ſane Antiqui, quantum ad ſanguinis emiſſionem, methodo longe diverſa in curatione Pleuritidis procedunt, qui duobus, vel tribus primis diebus venam feriunt, neque in reliquo morbi curriculo amplius mentionem faciunt de repetendo vulnere, aut de superventu novæ fluxionis repetitionem exigente, qui frequens eſt in ore Recentiorum pro repetitione, nulla temporum univerſalium conſiderata diverſitate. Sic Aretæus in Pleuritide metuens acervatam, & ſemel factam eductionem, primo die ad juſtam ſanguinis quantitatem hauriendam bis venam vulnerat, ſpatio aliquo interjecto, quo æger recreetur, neque ſatis recreato, differt vulnerationem in diem tertium, nec ultra vulnerat. Non aliter ſe gerit Aetius (a) in curatione ejuſdem affectionis, qui primo die bis modicum ſanguinis aufert, ſi viribus fidit; ſin aliter, die ſequente repetit ablationem, de qua amplius non loquitur. Quod ſi Hippocrates Anaxioni octavo die ſcalprum admovit, in cauſſa fuit cruditas morbi tanta, ut Valleſius arbitretur, primam partem principii in eum diem incidiſſe. Nunc videamus, quemadmodum Priſci reliquum curationis abſolverint. Avicennas (b) poſt phlebotomiam, niſi ſedentur accidentia, vetat eam renovari, ne congeletur materia, collectionem habitura. Aetius poſt diem ſeptimum, & remedia lateri dolenti admota, perſiſtente eodem modo dolore, affigit eidem cucurbitulam, cutemque ſcarificat cum certa ſpe manife-

(a) *Serm. 8. cap. 60.* (b) *Lib. 3. cap. 1. de cura. Pleur.*

nifeſtiſſimæ utilitatis; idemque remedium eodem tempore Aretæus uſurpat: quos auctores Valleſius, Riverius, aliique aliquando imitati ſunt.

Sydenhamus clari nominis neotericus præſtituens curationem Pleuritidis, totus eſt in ſanguine effundendo, neglecta conſideratione temporum univerſalium inflammationis, quæ dux erat Antiquis ad eam ægrotationem curandam, ſic opportunitatem revulſionis, & derivationis venantibus. Opinatus enim Pleuritidem ex propria ſanguinis inflammatione, atque a natura materiam peccantem in pleuram contrudente, pene univerſam medelam collocat in repetita venæ apertione, ejus orificium, ut ait, ſubſtituens in locum tracheæ, per quam communiter creditur morbi fomes amandari. Ergo Sydenhamus unice phlebotomo confiſus, primis quatuor diebus continuis quater ſanguinem ducit, ſi perſeverent ſævire ſymptomata, & vires conſtare: quibus dejectis nihilominus iterat detractionem uno tamen, vel altero die interpoſito; teſtaturque ſe raro obſervaſſe confirmatam pleuritidem in adultis minore ſumpto, quam quadraginta circiter unciarum ſanguinis ſanatam fuiſſe, & nondum ſibi innotuiſſe minimum damni abs tam largo ſanguinis diſpendio importatum, fretuſque ſua ſententia, & obſervatione pollicetur hac ratione facilem brevemque expugnationem morbi plurimum lethalis. Et ſane jure Sydenhamus oſtentat, hanc viam medendi pleuritidi facilem eſſe; quæ videlicet detrahit ſollicitudinem de explorandis indiciis diverſorum temporum ad nanciſcendam opportunitatem phlebotomiæ, in qua Majores maximam hujus morbi curandi partem poſuerunt. Veruntamen quanto facilior eſt hæc medela Sydenhami, expeditiorque a laborioſa attentione, tanto magis artificio caret. In ægroto, qui nequit perferre quatuor venæ

ſectio-

ſectiones quatuor diebus continuis factas, unum, vel alterum diem interponit, qua mora uſuveniet, ut alia inciſio fiat quinto, alia ſexto, aut poſterioribus diebus, ideoque præter artem, & præſertim ſi materia inflammationis ſuppuret. Non diffiteor plures pleuritides non mutari in apoſtema, ſed indubitatum eſt, plures etiam mutari, & omnes, ut obſervat Galenus (a), quæ magnæ ſunt. Materia vero proxime parata ad ſubeundam puris conditionem, & ſubire incipiente, ſtagnat, affigiturque parti inflammatæ. Si venam hoc tempore perfores, quid efficies? Quid commodi afferes? Niſi omnino impedies, ſaltem retardabis maturationem coctæ materiæ, non hanc attenuabis, non diſſolves, ut, vel poſſit extuſſiri, vel in venas remeare, partemque apoſtemate inchoato liberare; præterea faceſſes grave periculum, ne vires renovata ſanguinis detractione magis acciſæ, valeant ſufficere ſpatio requiſito ad confectionem expulſionemque puris, vel alterius materiæ. Ob hæc Majores, diligentes exploratores diverſorum temporum inflammationum, præſentientes fieri ſuppurationem, imponebant loco affecto cataplaſmata ex pyretro, ſinapi, aliiſque calidis parata, fovebantque calorem cataplaſmatum veſica bubula ſuper impoſita ad adjuvandam, feſtinandamque apoſtematis maturitatem. Ita porro venæ ſciſſura maturationi adverſatur, ut Valleſius (c) innixus auctoritati Rhaſis, Avicennæ, aliorumque, poſt diem quartum temperet a ſcalpello, ſollicitus de evitando periculo inhibendæ puris confectionis, & adimendæ ſpei curationis. Tamen Sydenhamus (b) inquit, liberali, & repetita ſanguinis extractione prohiberi inflammationem, & ſuppurationem, comparari facilem brevemque medicationem. Omnes igitur, opinor, Sydenhamus pleuriticos

rodo-

(a) *Lib. 5. cap. 8. de Pleur.* (b) *Sect. 6. cap. 3. de Pleur.*

redemit etiam morbo progreſſo, & inde animos ſumſit ad aſſerendam præſtantiam, felicitatemque ſui ſcalpri plane ſingularem. Singularem inquam; quippe plures Medici noſtrates utentes eadem methodo reſignandæ venæ contrarium pluries experiuntur, nec veteri famæ fidem abſtulerunt, magnam pleuritidem plurimum exitialem eſſe. Si quis in aggreſſione fortis doloris lateris primo die venam ter aperiret, deinde reliquis diebus ad octavum uſque partitim ſexies, nonne tantum ſanguinis effudiſſet, quantum ſufficit inhibendæ inflammationi? Ante quatuor plus minus annos ea curatio obita fuit in nobili Patavina ſexaginta ſex circiter annorum, pleuritide vexata; quæ tamen a ſanguine novies detracto, ut accepi ab affinibus, nihil adiuta octavo ægrotationis die mortalitatem explevit; uſque eo proceſſit animoſitas ſanguinis in hoc morbo profundendi etiam contra clamores, & lamentationes ſenectutis. Quid autem ſuaſit illi medico, ut novies in muliere ſexagenaria majore venam vulneraret? Quoties extrahebatur ſanguis, durus erat, hincque argumentum capiebat renovandæ extractionis, perinde ac ſi per ſolam extractionem redigi poſſet ille ad priorem habitum; itaque ſolum ceſſavit ab vulneranda vena ex conſpectu mortis, ſed aſpexit vitam mutatam, minime ſanguinem. Vidi nuper ex pleuritico ductum prima, & ſecunda vice ſanguinem durum, duraque materia flaveſcente obductum, nihilominus ſponte moto propemodum tres dies continuo ſudore reſtitutum ægrotantem. Enim vero, quibus mens eſt Sydenhamum imitari effuſum in emiſſionem ſanguinis pleuriticorum ad ejus inflammationem compeſcendam, ſaltem etiam in reliqua curatione imitentur extinctionem quoque molientem aqua florum papaveris Rheados cum ſale prunellæ, & emulſ:. Multi porro incitati ad ſan-

gui-

guinem ſæpius etiam eliciendum, quam Sydenhamus, poſtea præbent pleuriticis ſuccum depuratum cardui benedicti amariſſimi, calidi, ſiccique, addito potu ejuſdem aquæ, & ſcabioſæ, quibus contendunt cum reprimenda inflammatione, & a praxi Sydenhami recedunt. Audiant præterea Medici noſtrates, qui maximam ſpem vincendæ pleuritidis collocant in repetitis toties ſanguinis effuſionibus, Hollerii animadverſionem aſſerentis (a) ex diverſitate regionum variam item eſſe ejuſdem morbi curandi rationem, nimirum juvari pleuriticos phlebotomia in locis perflatis ab Aquilonibus, lædi in regionibus, quæ obvertuntur Auſtris. Hic ergo, ut ſubdit, vel purgatione utendum eſt, temperanda ſanguinis detractio.

Excitantur interdum dolores lateris etiam vehementes non una ex cauſſa cum febre acuta, abſque tamen inflammatione, & collectione ſtagnantis materiæ, minus illa periculoſi, faciliuſque curabiles; quales mihi tractandi non ſemel obtigerunt, & præſertim in Aromatario Patavino ad inſigne Roſæ in Platea Nobilium. Quamvis primis diebus dolor fuerit valde acutus cum æquali febre, nihil tamen effatu dignum excreavit, nec ſigna veræ inflammationis prodidit, iiſdemque caruit bis eductus ſanguis. Poſt ſeptem, vel octo dies multum remiſſa febre incœpit copioſa ſputatio, ſed incruenta, alba, & majori ex parte liquida, qualis ſolet apparere in benigno catarrho. Idem Aromatarius menſe Januarii anni 1730, quo Rheuma Italiam longe lateque vexavit, eodem correptus eſt, cum dolore lateris, & difficultate ſpirandi, & febre. Pleraque ſputa erant craſſa, & viſcoſa, aliqua tamen minus craſſa, ſed leviter ſanguine ſparſa. Sub die 12 ægritudinis noctu ita crevit difficultas ſpirandi, ut ſolum ſedens in lecto ducere

poſ-

(a) *Lib. 1. de Inter. Morb. cap. 14.*

poſſet anhelitum. Cum tamen febris mihi gravem ſuſpicionem inflammationis non injiceret, nolui venam aperire ne frangerem vires debitas excretioni difficilium ſputorum; meamque deliberationem brevi conſecuta ſalus comprobavit. Item in lateris doloribus pluries obſervavi, poſt unum, vel alterum diem extrudi ſputa aliquantum flava, leviterque ſanguine conſperſa, qui felicem exitum habere ſolent, & curari unica ſanguinis detractione, aliquando nulla, uti contigit in viro ſexaginta annorum Logicæ Profeſſore, initio ſimilis doloris *ſcalprum* recuſante, qui, cum in morbi decurſu extuſſiendo valde fatigaretur, gratias agebat Deo de refutata phlebotomia a Medico propoſita; abs qua, ut opinabatur, majus ſenſiſſet virium detrimentum, exſcreationem fortaſſis impediturum. Ipſe quoque ante biennium incruentam curationem peregi in fœmina ſexaginta annorum, plenioris corporis habitus, detenta dolore lateris cum febre non acuta, & ſputis leviter ambigueque ſanguine coloratis. Ceterum vetus eſt obſervatio, leves pleuritides ſolius opera naturæ ſanari; reprobatque *Celſus* venæ inciſionem ut ſupervacuam; quamvis in præſens, vix latus dolore afficitur, levi comite febre, cum de phlebotomia decernitur. Illud tamen multo magis a Majorum praxi, & ratione abhorret, quod etiam in morbo plurium dierum, jam ſputis exeuntibus, ab ſcalpro non abſtinetur. Sanciavit venam octavo die Anaxioni Hippocrates, ſed nondum apparuerant ſputa, & licet febris ſolum die undecimo imminuta fuerit, ſputaque ſolum die decimo ſeptimo inceperint, ſanguinis impendium non inſtauravit. Quis vero ex Medicis operoſis, quibus hodie abundamus, octo dies temperaſſet a ſcalpro in pleuritico, nec ſaltem vulneraſſet ſalvatelam? Vulneratur etiam pene animam agentibus. Anno 1731

Nobilis Patavinus annor. circiter 60 temperamenti ſanguinei bilioſique, menſe Januarii incidit in lethalem Pleuritidem, quæ primis duobus diebus mitis videbatur ob remiſſum lateris dolorem, facilem reſpirationem, vacuitatem tuſſis. Advocatus ſecundo die ad ineundum conſilium cum aliis duobus Medicis, qui curationi præerant, imperavi cum collegis ſanguinis emiſſionem; ſed dilata eſt in proximum mane, perſuaſo ægroto ab incremento doloris, qui pridie eam recuſaverat. Ab effuſo ſanguine pulſus hebetior redditus eſt, & quarto quoque ictu ſubſiſtens, ſimuliſque perſeveravit tres, ſi bene recordor, dies. Toto morbi curriculo pauca excreavit, eaque bilioſa, non cruenta. Quinto die deterior fuit morbi aſpectus, ſed multo pejor ſexto, ut mihi parum extrema diſtare viderentur. Tum cœperunt collegæ agitare de apponendis veſicantibus, aut aliqua ratione ducendo ſanguine, quibus nihil annui, certus de infelicitate experimenti. Junior Medicus una cum domeſticis ad me venit hora tertia circiter noctis, ut meum impetraret ſuffragium pro aperienda ſalvatela, quod ab altero ſeniore Medico jam impetraverat. Repugnavi deliberationi cauſatus, nihil ſpei remanere, neque eſſe in deſperatione ſalutis remedia dehoneſtanda, nihil aliud præſtitura, niſi mortis feſtinationem; ſed perſiſtenti in propoſito cum favore domeſticorum meum aſſenſum, neque conceſſi, neque negavi. Aperta igitur eſt ſalvatela eadem nocte, vulnerique impoſitus obulus, animo iterandæ detractionis mane, ſi noctu facta aliquid boni attuliſſet; ſed poſt detractionem oborto ſudore lethali reliquam noctis tranſegit inſomnis, & vehementer inquietus, ac proxima nocte æternum quievit. Dii boni! Quam facile labimur! Primis diebus elicitum ſanguinem ſequente pulſus depreſſione, & intermiſ-

miſſione, nemo ex collegis cogitavit de nova effuſione, licet Verna[a] non dubitet vel pulſu intermittente bis, terve ſanguinem effundere; cujus tamen ſecuritatem non doleo neglectam fuiſſe. Solum miror, poſtquam progreſſus morbi vires confecit, cetera lapſa ſunt in deterius, mors erat in conſpectu, aliquid commodi ſperaſſe collegas ab venæ apertione, quam inter initia ſuſpectam habuerant, propter inde ortam pulſus humilitatem, & intermiſſionem. Verumtamen, ſicuti poſt primam punctionem dejectus eſt pulſus, cœpitque intermittere, ita multo magis intermiſit poſt ſecundam. Cogita ſerio tecum ipſe, Medice operoſe, quam Te tranſverſum agat proclivitas ad agendum, quam periculoſum ſit experimentum, ut admoneris ab Hippocrate, & quotidiani eventus oſtendunt. Quamobrem, ſi velimus ſtare in priſcis veſtigiis a ratione deſignatis, ſive Pleuritis abeat in apoſtema, ſive excretione ſputorum diſſolvitur, extra methodum eſt, ſine accidentium, & temporum univerſalium conſideratione cruentos ictus renovare. Illud etiam animadvertant, qui ſæpe repetunt ſanguinis ablationem in decurſu pleuritidis, per inflammationes eum bilioſum reddi, ideoque minus aptum ex Priſcorum mente effuſioni. Opinor igitur, præceptum illud generale Sydenhami de iteranda fidenter phlebotomia valde periculoſum eſſe, multiſque præbuiſſe anſam errandi, & præbiturum, ob auctoris celebritatem, noſtramque propenſionem ad fugiendum laborem. Facile trahimur fama clari viri ad imitandum, quod minore conſtet opera ſequi auctoritatem, quam rationem, credere, quam ſcire, & ſubire laborioſum examen indicationum ductarum ab explorata rerum natura. Enim vero, quoniam Sydenhamus intendit animum ad ſtabiliendam uti-

(a) *De Pleurit. progn. par. 1. cap. 5.*

Nobilis Patavinus annor. circiter 60 temperamenti ſanguinei bilioſique, menſe Januarii incidit in lethalem Pleuritidem, quæ primis duobus diebus mitis videbatur ob remiſſum lateris dolorem, facilem reſpirationem, vacuitatem tuſſis. Advocatus ſecundo die ad ineundum conſilium cum aliis duobus Medicis, qui curationi præerant, imperavi cum collegis ſanguinis emiſſionem; ſed dilata eſt in proximum mane, perſuaſo ægroto ab incremento doloris, qui pridie eam recuſaverat. Ab effuſo ſanguine pulſus hebetior redditus eſt, & quarto quoque ictu ſubſiſtens, ſimiliſque perſeveravit tres, ſi bene recordor, dies. Toto morbi curriculo pauca excreavit, eaque bilioſa, non cruenta. Quinto die deterior fuit morbi aſpectus, ſed multo pejor ſexto, ut mihi parum extrema diſtare viderentur. Tum cœperunt collegæ agitare de apponendis veſicantibus, aut aliqua ratione ducendo ſanguine, quibus nihil annui, certus de infelicitate experimenti. Junior Medicus una cum domeſticis ad me venit hora tertia circiter noctis, ut meum impetraret ſuffragium pro aperienda ſalvatela, quod ab altero ſeniore Medico jam impetraverat. Repugnavi deliberationi cauſatus, nihil ſpei remanere, neque eſſe in deſperatione ſalutis remedia dehoneſtanda, nihil aliud præſtitura, niſi mortis feſtinationem; ſed perſiſtenti in propoſito cum favore domeſticorum meum aſſenſum, neque conceſſi, neque negavi. Aperta igitur eſt ſalvatela eadem nocte, vulnerique impoſitus obulus, animo iterandæ detractionis mane, ſi noctu facta aliquid boni attuliſſet; ſed poſt detractionem oborto ſudore lethali reliquum noctis tranſegit inſomnis, & vehementer inquietus, ac proxima nocte æternum quievit. Dii boni! Quam facile labimur! Primis diebus elicitum ſanguinem ſequente pulſus depreſſione, & intermiſ-

miſſione, nemo ex collegis cogitavit de nova effuſione; licet Verna[a] non dubitet vel pulſu intermittente bis, terve ſanguinem effundere; cujus tamen ſecuritatem non doleo neglectam fuiſſe. Solum miror, poſtquam progreſſus morbi vires confecit, cetera lapſa ſunt in deterius, mors erat in conſpectu, aliquid commodi ſperaſſe collegas ab venæ apertione, quam inter initia ſuſpectam habuerant, propter inde ortam pulſus humilitatem, & intermiſſionem. Verumtamen, ſicuti poſt primam punctionem dejectus eſt pulſus, cœpitque intermittere, ita multo magis intermiſit poſt ſecundam. Cogita ſerio tecum ipſe, Medice operoſe, quam Te tranſverſum agat proclivitas ad agendum, quam periculoſum ſit experimentum, ut admoneris ab Hippocrate, & quotidiani eventus oſtendunt. Quamobrem, ſi velimus ſtare in priſcis veſtigiis a ratione deſignatis, ſive Pleuritis abeat in apoſtema, ſive excretione ſputorum diſſolvitur, extra methodum eſt, ſine accidentium, & temporum univerſalium conſideratione cruentos ictus renovare. Illud etiam animadvertant, qui ſæpe repetunt ſanguinis ablationem in decurſu pleuritidis, per inflammationes eum bilioſum reddi, ideoque minus aptum ex Priſcorum mente effuſioni. Opinor igitur, præceptum illud generale Sydenhami de iteranda fidenter phlebotomia valde periculoſum eſſe, multiſque præbuiſſe anſam errandi, & præbiturum, ob auctoris celebritatem, noſtramque propenſionem ad fugiendum laborem. Facile trahimur fama clari viri ad imitandum, quod minore conſtet opera ſequi auctoritatem, quam rationem, credere, quam ſcire, & ſubire laborioſum examen indicationum ductarum ab explorata rerum natura. Enim vero, quoniam Sydenhamus intendit animum ad ſtabiliendam uti-

(a) *De Pleurit. progno. par. 1. cap. 5.*

liorem legem curandæ pleuritidis frequentatione ſanguineæ detractionis, fungente munere aſperæ arteriæ, ſibi multis exemplis comperta, & explorata, nobis gratum feciſſet, & prolixius conſuluiſſet poſteritati, ſi reſtitutos pleuriticos deſcripſiſſet, quemadmodum Hippocrates Anaxionem.

Hactenus oſtendi ex Methodo Majorum, quæ ſæpius repetitæ phlebotomiæ in pleuriticis more Sydenhami adverſantur. Nunc ejus ſententiæ ratio breviter penſitanda, in eo poſita, quod credat Pleuritidem produci a propria ſanguinis inflammatione, & natura pellente noxiam materiam in pleuram. Hoc conſtituto, cupio intelligere a Sydenhamo, quemadmodum inciſio venæ inhibeat inflammationem, gerat vices tracheæ, & ſine ſputo ſalutem expediat. Etenim, ſi infeſtus humor, quem natura tranſmittit ad pleuram, differt a reliquo ſanguine pleuritici, ut per hujus emiſſionem inhibeatur inflammatio, imaginari oportet, vitioſum humorem a natura ſeparari, trudique ad venæ foramen, quæ tamen imaginatio plus ſatis fiduciæ plena eſt. Sin autem minime differt, non alia ratione phlebotomia impedire valet inflammationem a fluente ſanguine inſtantem, quam ablatione copiæ univerſalis, ſi adeſt, prætereaque tempeſtive revellendo, derivandoque. Porro ab Sydenhamo peto, quo pacto in Pleuritide confirmata, de qua pariter loquitur, materia peccans a natura traducta ad pleuram per venæ ſectionem inde recedat. Antequam iſta colligitur, & cogitur in parte affecta, video quid poſſit conferre phlebotomia ad ejus remotionem, quid poſſit non video, poſtquam collecta coactaque eſt; imo video quomodo poſſit obſtare ejus excretioni. *Solet* illa præparata a natura vincente per ſcreatum extrudi, qui tranſacta tempeſtivitate revulſionis, & derivationis, impediri poteſt, non adjuvari venæ ſectione, ut pote retardante

dante coctionem materiæ, & imminuente vires, quo tempore vegetiores requiruntur adverſus conatum extuſſiendi. Enim vero etiam Sydenhamus confidit, ſanatum iri Pleuritidem, effuſo abunde ſanguine, effuſione revellente particulas ejuſdem accenſas, *quæ in membranam coſtas ſuccingentem cum fecerunt, & incendio collabefactarunt omnia.* Egregie, Sydenhame. Verum ut revulſionem, & derivationem tempeſtive utiliterque peragas, neceſſum eſt cum Priſcis naviter obſervare diverſa tempora inflammationis factæ ab illapſo ſanguine in pleuram; ſine quorum animadverſione tradidiſti generale documentum de ſanguine largiter educendo repetitis vulnerationibus.

Ut negotium cum Sydenhamo abſolvam, ſuperat duntaxat reſpondendum ad ejus experientiam, qui affirmat, ſe raro obſervaſſe confectam curationem Pleuritidis confirmatæ in Adultis quantitate ducti ſanguinis minore unciis circiter quadraginta, & nunquam inde minimum damni ægrotos ſenſiſſe. Quid? Ergone ita erit præfinienda methodus curandæ Pleuritidis? Si hæc ab eventu ſancienda eſt, nulla ſanciri poteſt, propter numeroſam eventuum varietatem, parem ægrotantium varietati. Si Sydenhamo bene vertit prolixa ſanguinis extractio, aliis multo parcior eundem exitum tulit. Plures & ego ſanavi Pleuritides, leviores ſine ulla ſanguinis expenſa, multas ſemel, aut bis eo elicito, aliquas ter, nullas pluribus vicibus. Sed mea prætermittantur. Quot alii multo minus ſanguinis detraxerunt in eodem morbi genere, quam Sydenhamus ſine diſpari medicationis eventu? Ceteros prætermitto, unum produco. Petrus Foreſtus (a) ſuis obſervationibus bene de re noſtra meritus, plures deſcribit Pleuriticos, alios levius, alios gravius conflictatos, omneſque, uno exco-

(a) *Lib. 16. de Peſt. & Pal. Mor.*

excepto reſtitutos, in quorum nullo juſſu ſuo phleboto-mia iterata eſt, quamvis dolor aliquando duos, treſve dies non mitigatus perſeveraret; ſed iteratis levibus deji-cientibus curationem confecit. Et ſane, quamvis Hippo-crates[a] aſſeruerit, malum eſſe Pleuritide, aut Peripneu-monia detentis alvi fluxum ſupervenire, aliquando obſer-vatum eſt, utilem fuiſſe: ideoque Valleſius ſententiam Se-nis interpretatur ſolum de ægrotis, in quibus affectio eo uſque progreſſa eſt, ut tabidi facti ſint. Revera narrantur a variis Auctoribus ſaluberrimæ excretiones factæ in pleu-riticis per alvi fluxum, quales etiam ego vidi, narrantur etiam criſes factæ per Icteritiam, alvi fluxu prægreſſo. Mul-ti pariter gravi Pleuritide preſſi abſque ulla ſanguinis miſ-ſione ſolis ſudatoriis convaluerunt; teſtaturque Valleſius[b] Idiotas, qui Empiricorum more quorundam Pleuritico-rum curationem ſuſcipiunt, ſudatoriis cum optimo ſuc-ceſſu uſos eſſe, atque inter reliquos unum ſervatum, qui, cum ſeptimus jam eſſet dies, & nihil cœpiſſet excrea-re, propemodum jam præ reſpirandi difficultate ſuffoca-batur. Quin etiam Proſper Martianus[c] ex Hippocratis doctrina animadvertit, non unam eſſe Pleuritidis ſpe-ciem, nec omnes venæ ſectione, aliiſque in præſens uſi-tatis remediis curari. Tamen Sydenhamus ſola excepta Pleuritide maligna, nulla adhibita diſtinctione in reliquis, nulla multorum praxeos conſideratione, conſtanter aſſe-rit, ſua methodo ſervata de copioſa, & repetita ſangui-nis extractione brevi, & facile profligari morbum, qui ſolet eſſe vehementer periculoſus, perinde ac quemlibet alium: ſiquidem quod erat per tracheam cum gravi pe-riculo extrudendum, per recluſam venam nullo negotio edu-

(a) *Aphor.* 16. *ſect.* 6. (b) *Lib.* 4. *de rat. vic. in mor. acut.*
(c) *De Mor. Lib.* 2. *ſect.* 2.

educit . Enim vero id fortaſſe reciperem , ſi tantam felicitatem medelæ de Pleuritide imminente , & incipiente ſpopondiſſet , non de confirmata ; quam , quia minime explicuit , eſſe concipio , cum ſanguis hæret pleuræ, ſtagnatque collectus , & coactus , mutationem in pus ſuſcepturus , quo tempore certe nihil commodi a vena aperta ſperarem . Itaque ſi operoſum eſt , recte determinare repetitionem phlebotomiæ etiam obſervatis diverſis illius temporibus , propter iſtorum dubias notas , quanto proclivior lapſus erit in repetitione, nulla ſervata rerum , temporumque diverſitate ?

Ex perpenſis de phlebotomia in febribus , & inflammationibus ſatis habent Medici illius frequentatores, unde etiam in aliis morbis temperatiores ſint in ejuſdem remedii uſu, ſi velint ampleсti ſecuriora, & cum ſuis ægrotis conſultius agere . Namque, ſi animo revolvant varios fortuitoſque venæ ſectionis effectus , dubias identidem eſſe indicationes ejuſdem, per eam naturæ medicatricis partem detrahi , levius , & facilius emendabile eſſe peccatum abſtinentis ſcalpro, quam abutentis, procul dubio tam prompti non erunt ad illud cruentandum , nec indulgebunt populari conſuetudini, peſſimæ magiſtræ . Communis prudentiæ lex eſt, oportere, in obſcuris dubiiſque lucem quærere , & tutamen, atque hiſce non inventis, gradum continendum eſſe, ſi tutius eſt ſubſiſtere , quam progredi . Niſi detraxero ſanguinem, morbo poſtulante non adjuvabo ægrotum ; ſinam naturam morbumque ſuis viribus uti ; ſi detraxero non poſtulante, naturæ moleſtus ero , impetum morbi augebo , & potentiam reſiſtendi minuam . Utrum autem præſtet , non eſt difficile cautioribus ad deliberandum .

Expoſitis de ſorte ducendi ſanguinis in propoſitis morbis,

bis, finem huic diſputationi imponebam, ſed notabili, & recentiſſimo eventu adducor, ut pauca adjiciam. In curatione vehementium dolorum, & præcipue capitis, celebratur venæ inciſio fiducia tanta, ut exceptis Eraſiſtrateis, fere nullum invenias, quin ad eamdem confugiat. Ergo fœmina quinquaginta circiter annorum, temperamenti calidi humidique uxor Aromatarii, de quo ſupra mentionem feci, ante tres annos vulnerata in oculo ſiniſtro ab aculeo aloes cum viſus amiſſione, ingentem in ea parte capitis, ipſoque oculo dolorem contraxit, caloremque; qui ſolum excurſu temporis ita leniri potuit, ut laborans ad ſolita vitæ munia rediret. Hoc anno 1733, quo hæc ſcribo, ſub fine Junii dolore, qui nunquam omnino conquieverat, conſueto fortius affligente, me impenſe rogavit, ut ſibi ſanguinem educi permitterem. Obſtiti, quo ad potui, cauſatus, nihil profuiſſe in recenti dolore iteratam emiſſionem, & inſuper in præſens opponi aeris fervorem. More fœminarum non acquievit, donec quod animo conceperat, executioni mandatum fuerit. Pertuſa igitur eſt vena brachii, deinde more regionis tali. Ecce qualis fuerit exitus. Poſt ultimam ſectionem adeo ſævиit dolor, ut in animi deliquium inciderit, & neceſſitatem quindecim dies jacendi præ vehementia doloris, intenſionem, uti fas opinari, adepti tantam propter attenuatum detractione ſanguinem, emerſaſque bilioſas particulas acrius partem offenſam ferientes.

CA-

CAPUT VII.

Oſtenditur quam in lubrico verſetur purgationis frequentator in febribus .

EXponens moderamen magnorum auxiliorum , ſeparatim egi de alvi ductione , & vomitione : quam diſtinctionem non ſervabo in hac tractatione , nec de utraque vacuatione diſſeram , ſed tantum de dejectione , omiſſa vomitione , quippe multo rarius ſaltem in noſtris regionibus uſurpata , & idcirco conſiderationi peccantis frequentationis exempta .

Hippocrates aggrediens ad tractationem medicamenti purgantis , frænum injecit plus ſatis incitatis ad illius uſurpationem , ante oculos poſita ejuſdem actionis varietate : *Medicamentorum* , inquit , *purgantium res non ita ſe habet , quemadmodum vulgo putatur . Eodem enim medicamento purgantur , & non purgantur . Quandoque vero alia purgat , quam quæ purgare ſolet , aliquando nimium purgat , aliquando ea , quæ debet , facit . Quare fieri non poteſt , ut quis medicamentis confiſus ea temere exhibeat* . Hac ſola Senis admonitione doceris , quam ſobrie , & caute adhibenda ſint purgantia , quam dubiam adminiſtrationem incerta eorum actio efficiat . Non tamen inficias eo , utilitatem purgationis apertiorem eſſe , quam phlebotomiæ , & frequentiorem adminiſtrandæ occaſionem incurrere ; meritoque creditum fuiſſe a Joanne Clerco [a] , ejus uſum vetuſtiorem eſſe , quam phlebotomi : quando acutiores ſumus ad invenienda , quibus magis indigemus , adjuti naturali inſtructione . Si contingat , ut nimii cibi repletionem , vel

(a) *Hiſt. Medic. Lib. 1. cap. 18.*

aliam ſentiamus, alvo pro more non fluente, intelligimus voce naturæ excretionem requiri retenti excrementi, quo exonerati manifeſtum levamen percipimus. Majoribus noſtris ratiocinio, vel caſu tot rerum inventore opus fuit ad purgationis inſtrumenta reperienda, non ad dignoſcendum beneficium, clara, & frequenti experientia demonſtratum. Venæ incidendæ præceptor, ut credit Plinius, fuit Hippopotamus, purgationem nos noſtra natura, non alterius animalis docuit, ſolita per alvum onus ſuperfluum, & incommodum eliminare: quo experimento plerique ægrotantes longe paratiores ſunt ad imperatam purgationem ſubeundam, quam ſanguinis effuſionem, ad cujus erumpentis aſpectum multi percelluntur, aliqui etiam animo deficiunt. Et ſane, ſi alterutro ex hiſce duobus remediis privanda foret Medicina, meo judicio longe gravior jactura impenderet ex ablatione purgationis, quam phlebotomiæ, qua etiamnum multæ regiones carent, aliæque perdiu caruerunt. Quamquam autem perſpicua eſt utilitas purgationis, crebriorque indigentia, quam hauriendi ſanguinis, tamen non ita lucide celebrandæ opportunitas exhibetur, nec ita frequens, uti opinio manat in vulgum, docente Platone, uti notat Valleſius[a], purgationem pharmacis peractam ſolum fructuoſam eſſe, ſumma urgente neceſſitate. Qua ſola conſideratione liquet, fieri non poſſe, quin ex tot purgationibus, quæ hodie in morbis in uſum vocantur, aliæ ſint inutiles, aliæ perniciosæ; cum ſumma neceſſitas, uti cetera ſumma, raro eveniat. Si tam varia eſt, uti vidimus ex Hippocrate, actio catharticorum, & cauſſæ varietatis ortæ ex continua mutatione noſtrorum corporum, magnam partem imperſcrutabiles ſunt, quis non videat, ex facili peccari poſſe in uſu pur-

(a) *Lib. 5 Mer. Papa.*

purgantium, & tanto facilius, quanto uſus frequentior eſt? Incerti medicaminis auſpicata adminiſtratio exigit laborioſam meditationem, quam ſubire menti noſtræ difficilius eſt, quam errare. Cum autem alia ſint leviora purgantia, quæ lubricantia vocantur, alia mediocria, alia fortia, nec omnia æqualem circumſpectionem requirant, eam tamen requirunt, ut nunquam fruſtra, aut nocenter propinentur: qua cautione porrigentur ab eorum frequentatore, ſi tam felix ſit, ut parem habeat frequentiam certæ rationis, contra quam incidere conſuevit. Ubi cognovero aliquo exotico humore corpus premi, ſcio illum vacuandum eſſe, ſed antequam vacuationem exequar, opus eſt, ut explorem, an ſit paratus ad evacuationem hanc peculiarem, vireſque validæ ad ferendam: & hinc multiplex errandi occaſio exiſtit propter inditia ambiguæ ſignificationis. Verum ut hæc tractatio lucidius, utiliuſque procedat, neque ſolummodo per generalia vagetur, purgationem expendam in duplici morborum genere, eorum, qui proprie vocantur acuti, & diuturnorum, initio ducto ab acutis. Nomine morbi proprie acuti intelligo primario febres celeris motus, in quibus curandis ex confeſſo valde fortia purgantia, neque raro, neque crebro ſunt porrigenda: frequens tamen eſt uſus eorum, quæ Græci eccoprotica vocant, qualia ſunt Caſſia, clyſter ventriculi appellata, electuar. lenit. idque genus alia: ſed hæc ipſa qui rarius in acutis uſurpat, quiete ſæpius utilior eſt. Laxant enim ventriculum, debilitantque, qui magnam partem impetus morbidi ſuſtinet, afflictuſque trahit in conſenſum reliquum corpus. Si Hippocratis ſuis operibus, ſcriptiſque divini famam promeriti colimus doctrinam, auctoritate ducimur, cur in curatione acutarum febrium frequentatione purgationis tam longo intervallo ab ejus

praxi recedimus? qui in omnibus ægrotis deſcriptis lib. 1, & 3 Epidemiorum, ſolum in tribus narrat ſe uſum eſſe clyſteribus, iiſque non repetitis, in quinque balano, licet hiſce deficientibus nullum ſecurius iterari poſſe videatur. Haud me latet ſcomma illud Aſclepiadis in veteres Medicos, quorum princeps Hippocrates, eorum medicinam eſſe commentationem, & ſtudium mortis; ſimiliter ac ſi Veteres non alia de cauſſa ægrotis aſſiderent, niſi ut otioſi obſervarent, quemadmodum, & quibus accidentibus ad interitum traherentur. Verumtamen fama, & gloria Hippocratis ſemper clara florenſque eum ab omni cavillo liberavit, repulitque cavilla in cavillatores, utcumque cunctator, parcuſque remediorum fuerit. Quod autem attinet ad purgationem in febribus, vel per medicamenta intus aſſumpta, vel per infuſa, etiam Celſus multo poſterior Hippocrate, nullique ſectæ devotus id generatim animadvertit [a] de curatione febrium, harum materiam ſponte diſſipari, niſi nova ſuppeditetur ex cibo imperite præſuto, & iſtum optime præſtitum optimum eſſe remedium; commendatque Aſclepiadem etiam clyſteribus parce utentem. Quis autem in præſentia exemplo Hippocratis, & hortatione aliorum Priſcorum adeo temperans eſt, ut intra ſpatium quatuordecim dierum febris acutæ unico clyſtere contentus ſit? Quis flores caſſiæ pluries non repetit? Qua tamen, Dii boni, utilitate! Natura principalis effectrix eſt curationis febrium acutarum, ſubigens ſeparanſque extranea immiſta ſanguini, debiliorque opus urget crebris irritamentis perturbata, & fatigata. At enim, inquies, levia cum ſint ea pharmaca, nec primam regionem prætergrediantur, tuto exhibentur ad educenda in dies genita excrementa, quæque ad cavitates pri-

(a) *Lib. 2. Cap. 12.*

primæ regionis , quaſi ad ſentinam totius corporis demittuntur . Eſto , ſi placet , non prætergrediantur illa primam regionem . At perturbatio ventriculi , & conjunctorum viſcerum cum toto communicantium, nonne cito , lateque quoquoverſus propagabitur , agitabitque humores ex febris fervore mobiliores redditos ? Jacchinus[a] teſtatur , ſe vidiſſe mollientia , cujuſmodi eſt Caſſia , febricitantibus delicatis , nec purgari conſuetis oppido nocuiſſe, & idcirco ad purganda inteſtina , venaſque meſeraicas ſola mulſa , vel oximelite utitur ; iſtaque propinans magis imitatur Hippocratem , quam præbitores caſſiæ , & ſimilium . Non ſolis porro delicatis uſitata laxantia non leve incommodum important , ſed interdum ceteris : vidique nuper ab ſex drachmis caſſiæ in viro quadraginta annorum circiter , nec delicato, ſtigmatica febre vexato multas turbas excitatas fuiſſe . Addo dubitari poſſe , utrum caſſia, ſimiliaque lubricantia ſolam primam regionem tenent , an ultro permeent , dubitationem ingerente coloratiore urina inde reddita, quæ creditur a ſanguine circumrapto abjungi . Ceterum , ſi dicta pharmaca totam ſuam actionem impendunt duntaxat excernendis impuritatibus primarum viarum , inde magis eorum frequentatio redarguitur , quod per eadem nihil humoris noxii fuſi per univerſum ſanguinem , qui ſolet eſſe cauſſa febris continuæ, educitur , & fruſtra exercetur ægrotus . Hac conſideratione fomitis febrilis, qui continuis in febribus non in alvo , ſed in venis continetur interjectus ſanguini , Proſper Martianus[b] congruentius decernit , ſi purgandum eſt , eligendum eſſe catharticum humorem e venis elicitorum . Aliud incommodum impendet ex uſu frequenti caſſiæ , quod porrecta infra juſtam quantitatem ob morbi acutiem , vireſque inva-

(a) *De meth. curand. feb. cap. 14.* (b) *In Com. de Loc. in Homine Hip.*

invalidas, non raro commovet excrementa, nec evacuat; infertque indigentiam eodem die imponendi clyſteris, aucturi afflictionem afflicti. Non una eſt via, per quam natura excernit materiam febrilem, & commodior eſt, quæ patet per inviſibilia foramina, oppoſita meatibus, per quos alvus exoneratur: quo monemur, ut caveamus, ne per repetita purgantia quantumvis levia divertatur utilior excretio. Enimvero Archibaldus Pitcarnius[a] tam bene ſentit de pharmacis lenientibus, ſolaſque vias primas abſtergentibus, ut credat, per illa duntaxat promoveri perſpirationem inteſtinorum cuticulari ſimilem, aſſerens poris inteſtinorum apertis, majorem erumpere molem perſpirationis, quam ex æquali portione externæ ſuperficiei corporis. Unde tamen hæc conſtant Pitcarnio? Sunt Caſſia, idque genus alia lenientia inſuetudine, & laxatione fibrarum ſtomacho moleſta, item ſæpe incommoda excretione imparati a natura ſucci, aut retinendi; unde febrientes præſertim acute iteratis clyſteribus, nedum laxantibus intus acceptis fatigantur, delaſſanturque cum detrimento [illegible] expiratur, obſervante Sanctorio[b] a quolibet dolore, ſeu labore corporis, & virium debilitate illam imminui. Neque vero frequentatoribus caſſiæ patrocinatur Sanctorius, affirmans ejus pauxillum non divertere perſpirationem, nec vires lædere, ſed tantum e corpore auferre inutile pondus. Quippe non loquitur de acute febricitantibus, neque de drachmis circiter quinque ſolitis porrigi, repetique ex brevibus intervallis: quæ repetitione majorem vim in viſcera facientes imminutionem inſenſilis effluvii, aliaque invehunt detrimenta, conſiderata a Martino Liſtero[c] in commentario ejuſdem Sanctorii. Si æger, loquendo de divitibus, uno, vel altero die

(a) *De curat. Feb. per evacu.* (b) *De Pond.* (c) *De Pond. Aphor. [illegible]*

die nihil excernit, poſtridie imponitur clyſter, vel porrigitur caſſia, aut electuarium lenitivum, & fere nullus dies exit, quin aliquo vacuante vires exerceantur, alvo ſponte non ſoluta. Qua curandi ratione augetur moleſtia ægritudinis, turbatur retardaturque coctio, & conſequentia coctionem, videlicet ſeparatio, & expulſio materiæ febrilis, & inde ſecutura ſalus, quæ aliquando etiam in diſcrimen adducitur. Eſt coctio motus inteſtinus humorum tendens ad ſecretionem exotici, naturalem miſtionem ſanguinis pervertentis, quo ſecreto, eliminatoque reſtituitur priſtina miſtio, ceſſatque febris. An non igitur cavenda eſt agitatio humorum, & ſpirituum crebris irritamentis facta, debilitans, & perturbans motum illum naturalem reducturum priſtinam miſtionem ſanguinis, & ſalutem? Adde, ex frequentatis laxantibus humores ſeroſos tanquam paratiores excerni, minuique, uti notat Hippocrates,[a] præſidium adverſus calorem febrilem in eo genere humorum poſitum. Et ſane in ægrotis, quorum opulentia non allicit oſtentationem artis, & copiæ Medicamentoſæ, ut non ſemel obſervavi, tutior jucundiorque curatio inſtituitur; magiſque prodeſt negligentia medentis, quam opulentis quæſtuoſa, & aſſentatrix diligentia. Æquali redundantia divitibus per ſanitatem menſa extruitur, atque in ægrotatione medicatio paratur; & opes, quæ incitamento fuerunt ad evertendam intemperantia ſalutem, impedimento ſunt ad recuperandam ſine ſuperfluitatibus, & fucis. Dii Deæque! Quæ monſtra aliquando vidi in curationibus Magnatum lethaliter laborantium! Veruntamen dicunt Medici operoſi, ut ſupra innui, eſſe amandanda inquinamenta quotidie in acutis genita, quæque ab venis ad inteſtina tanquam ad ſentinam

(a) *Lib. 4. de Mor.*

nam tranſmittuntur. Separatim utramque rationem ponderabo. Falſo in primis aſſumunt, ſervata victus ratione, quæ requiritur in acutis, poſſe in primis viis generari copiam excrementorum poſtulantem tam frequens incitamentum evacuationis; & adjungo inditia producti excrementi dubia eſſe, uti liquet ex nimio plus ſollicitis de alvo movenda, qui, ſi ſerio advertant, & veritatem fateri velint, ſæpe nihil ejectum vident per repetitos clyſteres, aut laxantia interna, quod ſit juſtum pretium illatæ moleſtiæ. Profecto decubitus pigriorem alvum reddit, exigentemque certis temporibus irritamentum: *tamen* ea tempora ex ſolo numero dierum alvi ſiccæ metienda non ſunt, ſed ex ſignis traditis ad cognoſcenda purgamina ventriculi, & inteſtinorum, in quibus conſiderandis cavendum eſt, ne decipiamur ab ſymptomatis febrilibus, & imputemus quantitati impuritatum, quod qualitati debetur, potius emendationem, quam excretionem poſcenti. Identidem ſane in tota acceſſione febrili amarum, vel alium aſperum ingratumque ſaporem percipit æger, unde videntur indicari ſordes ventriculi, ſed una cum febri ceſſat afflictio palati abſque ulla dejectione, aut vomitione. Quod attinet ad alteram rationem aſſignatam pro frequenti indigentia purgationis ad exturbandam materiam, in febribus ſolitam quotidie detrudi ad primam regionem, tanquam ad locum deſtinatum, peto ab ipſis, unde hoc ſciant. Si enim natura prius coquit, poſtea ſecernit, ſecretaque depellit, depulſio fieri deberet finita coctione, ideoque circa finem ſtatus: quo reſpectu, ſummi Præceptoris monitu, expedit, ut in ſtatu ceſſemus ab irritamentis, quo minus fatigemus, & agitemus naturam, ſi ſperamus, fore victricem, intentam excernendis noxiis per commodiorem viam nobis ſatis

tis

tis non declaratam. Interdum quidem, ut animadvertit Galenus, & ſupra adnotavi agendo de regimine purgationis, febrilis humor totus non reſervatur ad ſtatum ſemel, & univerſim ejiciendus, ſed paulatim coquitur, ſeparatur, expelliturque: ſed hæc lenta curatio a natura facta acutarum febrium propria non videtur, in quibus ſolet materiæ præparatæ evacuatio ad ſtatum differri. Hunc eſſe morem naturæ, inde conjicio, quod Antiqui temperantiores ab irritamentis, & evacuationibus naturæ œconomiam pervertentibus, frequenter in ſtatu acutarum febrium veras criſes aſpexerunt. Sin autem in acutis aliquando partitim fieret ſubactio fomitis febrilis, & exploſio, inde tamen tuta non redderetur crebra adminiſtratio molliter purgantium, niſi cognoſcendo naturam per alvum ejectionem molituram eſſe, & iſtam adjumento indigere, quorum ut plurimum perſpicua notitia deeſt. Ipſe porro humor, cum in acutis ſit tenuis, calidus, & valde mobilis, poſtquam ſejunctus eſt, impulſu naturali facile per vias commodiores excernitur, auferteque ſollicitudinem de frequentandis impulſionibus ad alvum. Enim vero frequentatores dejicientium in acutis fortaſſe trahent in ſuæ praxeos commendationem naturæ inclinationem ad febrilem fomitem per alvum ejiciendum, uti viſum eſt Joanni Freind, & antea Fernelio [a] pronuntianti, febrem continuam una ſpontanea alvi ſolutione tuto, ac perfecte judicari, minime, aut ſudore, aut ſanguinis profluvio, aut abſceſſu. Ceterum ex ægris ab Hippocrate deſcriptis lib. 1, & 3 Epid. id non apparet, in quorum tribus alvi fluxu expulſa febris eſt, undecim ſudore. Verum enim vero conceſſo quoque, quod placet Fernelio, inde non approbatur in acutis frequentia pur-

 gan-

(a) *Lib. 2. Meth.*

gantium vel debilium, eodem auctore animadvertente, materiam, perfecta jam concoctione, apparatam a natura excludi, quam tamen coctionem, uti dictum eſt, crebra dejicientia perturbant. Sive igitur meditemur naturæ modum agendi, & providentiam, ſive humoris conditionem ad exitum parati ſine ſtimulis adventitiis, ſive obſcuras notas indigentiæ dejectionis, deputabimus eſſe in auxilio acute febricitantis rariorem per pharmaca ſolutionem alvi. Eadem animadverſio magis valet adverſus purgantia, quæ vera electivaque vocantur; ſi pari frequentia in uſum venirent; qua tamen venire non ſolent, & ſolum permittuntur ab Hippocrate, turgente materia, vel concocta, niſi natura ſuis viribus, quantum ſatis eſt, exterminet, & ſuppleat artis vices. Quinimo, licet Hippocrates ſuadeat purgationem in principio morbi turgentis materiæ cauſſa, non difficilis in ea celebranda lapſus eſt, nondum conſentientibus Medicis, quid ſit intelligendum nomine turgentis humoris, & quibus indiciis dignoſcatur. Cum Galeno multi definiunt turgentem materiam ex ejus huc illucque motione, modo in partes ſuperiores, modo inferiores, qualis eſt vagus motus animalium ad coitum concitatorum. Ab hoc ſenſu recedit Proſper Martianus [a], huncque inclinat, ut credat humorem turgentem dici, qui & nulli parti affixus eſt, & in aliqua de ſe ſignificationem præbet, excitato in ea ſenſu, quaſi repleretur, & tumeret; unde moti ægrotantes ſponte medicamentum purgans a Medico expoſtulant. Id ſane aſſentirer Martiano, ſi dixiſſet percipi tumorem, & repletionem ventris, quod non determinavit, ſed tantummodo alicui parti inferri ſenſum inflationis; ex quo non apparet, cur æger catharticum expoſcat, nec ambigat de cauſſa inflationis, quam ſibi

(a) *In Com. Aphor. Hip. ſect. 1.*

ſibi videtur percipere, nec videt habere. Ipſe quoque Hippocrates dubitationem conſtat [a] de purganda materia turgente; ex cujus decreto non omnis turgens evacuanda eſt, ſed tantum temporis excurſu coctionem non receptura: *Impetus*, inquit, *humorum ducendus eſt, qui repit per regiones convenientes, exceptis iis, quorum concoctio ſit tempore.* Quamquam igitur cum impetu movetur humor, unde turgens dicitur, ſi tempore concoqui poteſt, purgationi eximitur. At quibus indiciis initio febris cognoſcam futuram coctionem? Videtur Martianus, ea deſumere ex urinæ cruditate, quæ tamen fallacia ſunt: ſiquidem interdum urina cruda aſpicitur principio febris, & nihilominus facta mutatione morbi in lethalem, ut aliquando contingit, conſtat, materiam non potuiſſe coqui, nec quidpiam certi urinæ cruditatem oſtendiſſe. Ergo pro diligentia noſtro muneri adhibenda, etiam purgatio turgentis materiæ cognitu difficilis requirit oppido attentam meditationem; quæ tamen in præſentia paucos ſollicitos habet, pleriſque inchoantibus curationem febrium a purgatione, quam minuentem vocant, nulla facta exploratione, utrum materia turgeat, an minus: de qua conſuetudine conſule Proſperum Martianum [b] eam accurate perpendentem. Nec enim ad me attinet in præſens cum hiſce purgatoribus negotium habere, qui duntaxat exaggerandam ſumpſi peccantem frequentiam medicamentorum, illuſtrandamque partem praxeos, quam Vallelius in quiete ponit, & principalem exiſtimat. Utinam, quem animo concepi, hiſce meis animadverſionibus, qualeſcunque ſint, impetrare poſſem cautiorem, & temperatiorem uſum remediorum: impetrato ſane non diffiderem, me magis profuturum eſſe ægrotis, quam tot editis famo-

LII 2 ſis

(a) *Lib. de Humor.* (b) *In Com. ſect. 1. Aph. 21.*

ſis novitatibus a praxi remot is. Nequeo ſane; quin vehementer commovear, quotieſcunque accipio, laborantem febre acuta incidiſſe in manus Medici operoſi, qui animo compoſito potiſſimum ad quæſtum, & ad ſuam famam tuendam, atque iccirco attento ſervandæ naviter aſſuetudini vulgari, fere nunquam eum convenit, quin præſcribat aliquid novi, aut palato ingratum, aut infeſtum viribus, & quieti ægrotantis, identidem ſanguinem eliciendo, aut vena grandi pertuſa, aut exilibus ſcarificatis, aut hirudinibus appoſitis; præterea crebro interjectis alvum ſollicitantibus, & noviſſime, ſi nihil aliud ſuperſit addendum, affixis veſicantibus, inhibentibus, quo minus æger ſua membra ſecure moveat, mutetque innocenter decubitum, unicum, quod ſupererat inter angores ægrotationis, ſolamen. Quod ſi tot oppugnationibus reſiſtere valeat natura morbo profligato, eas vulgus, & aliqui etiam Medici interpretantur, neceſſarias fuiſſe recuperandæ ſaluti; ſine quibus tamen natura, ut etiam per ſanitatem paucis contenta eſt, tutius, & jucundius curationem abſolviſſet. Reputent, oro, qui continui ſunt in adhibendis remediis curationes febrium acutarum a Medicorum [illegible] obitas, & plane noſcent, quanto majus negotium exhibeatur naturæ a morbo, & remediis, quam a ſolo morbo; deſerentque, ſi ſapere velint, vacuationes temere repetitas, & quicquid vires aut deterit, aut diſtrahit.

Quam ſit ſuſpecta de errore in febribus acutis crebritas purgantium, ſat expoſui; eademque in longis ſuperat expendenda. Longæ in quibus ſolent iterari purgantia tum debilium, tum mediocrium virium, ſunt, quæ vocantur putridæ, quarum aliæ intermittentes ſunt, aliæ continuæ, & in utriſque apud me offendit frequentatio pur-

purgantium: Exordior ab intermittentibus ex ſententia doctiſſimi Fernelii, & plurium quoque Recentiorum, ſedem habentibus in prima regione, partibuſque conterminis: qui locus propius actioni purgantium expoſitus ſua opportunitate deberet reddere efficaciorem purgationem ad febris radices extirpandas: tamen ante inventum corticem peruvianum plurimæ febres in longum protrahebantur, nihil proficiente repetito pluribus, & conjunctis diebus ſirupo de cichorio cum rheubarbaro, ſimilibuſque purgantibus, quibus identidem corpus extenuabatur, parum febris. Demonſtravit cortex peruvianus, purgationem non eſſe ſummam curationis intermittentium, nec eam pertinaciter iterandam eſſe, uti a multis iterari ſolebat, non alio argumento, niſi ob febris perſeverantiam. Quis neſciat conſtantiam, & diuturnitatem quartanæ frequentibus etiam catharticis invictam? Forſan idem infortunium accideret etiam in tertianis intermittentibus, niſi naturalis morbi curſus ex majore tenuitate humoris brevior foret. Et ſane vidi ipſum corticem peruvianum in Magiſtro Epiſtolarum Epiſcopi Patavini vi ſua ſpoliatum uſu frequenti purgantium. Menſe Decembris anni 1731 recidivam tertianam patiens, ſuaſu amici ſumſit drachmas duas corticis cum una aloes quatuor vicibus, quatuor diebus continuis; ſed ex brevi intervallo reverſa febri, eamdem quantitatem pharmaci eodem numero dierum accepit, & præterea aliis duobus proximis diebus dimidiam. Itaque brevi tempore ſumſit uncias duas, & dimidiam corticis, unciam unam, & drachmas duas aloes, quibus copioſiſſime purgatus eſt; ſed per ipſam purgationem quinquinnæ facultate detrita, extincta febris non eſt; quam poſtea aliquot dierum imperata quiete, & alvum deinde nimis adſtrictam drachmis duabus tartari ſolutilis laxando,

cor-

cortice peruviano cum nitro defœcato præſtito fugavi. Non inficias eo, in intermittentibus fructuoſam eſſe poſſe purgationem, eamque non ſemel aliquando renovatam, ſed hujus indigentiam non ex ſola febris conſtantia colligendam eſſe cenſeo, ſed aliis ex indiciis non ita procliviter dignoſcendis, ut Medici credunt, quibus magiſtra eſt vulgaris conſuetudo. Accedit etiam illud impedimentum, quo minus recte inſtituatur purgatio in intermittentibus, quod deſtituimur ſolita purgandi regula innixa coctioni, declaratæ colore, habitu, & urinæ contentis; ſi cum Fernelio, aliiſque multis materia febrilis extra venas collocetur. Vulgata ſententia eſt, per urinam tantummodo denunciari conditionem humoris fuſi per ſanguinem, videlicet coctionem, aut cruditatem, non humoris in prima regione inſidentis; qui, uti Priſci docent, præparationi, non veræ coctioni ſubjicitur. Revera Fernelius in pura ſimplicique intermittente animadvertit, urinas plerumque toto morbi decurſu laudabiles eſſe colore, ſubſtantia, ſedimentoque; ſcilicet nihil bilis e præcordiis in venas irrumpente. Nonnunquam vero ejus portione invaſionis impetu in venas impulſa, ſub ejus finem urinæ craſſæ redduntur, atque flavæ, iis longe diſſimiles, quæ paulo ante acceſſionem fuerant. Porro facilius evitabis occaſionem perperam iterandæ purgationis in intermittentibus, niſi tam cito, ut multi ſolent, eam imperabis, ſed differes poſt aliquot acceſſiones, exemplo Hippocratis[a], qui in tertiana ſolum poſt quartam acceſſionem cathartica porrigit; dummodo tamen principio impuritatum copia non appareat. Ipſe equidem curans intermittentes, quantum in me fuit, diſtuli purgationem ad tempus, non tam a lege Majorum, quam ratione deſtinatum,

(a) *Lib. 2. de Mor. ſen.*

tum , & ſemper vidi dilationem aliquam melius vertiſſe feſtinationi , & multo longiorem in quartanis intermittentibus. Et ſane, cum ſtatim in principio nondum ſit attenuatus humor , nondum ex ſuis latibulis tentet exitum, catharticum nihil , aut parum noxii ſucci educit , plus utilis , mollioris humidioriſque : quo imminuto, qui remanet infeſtus arctius adhæret partibus , ſicque protrahitur curatio . Inchoantibus morbis , inquit Hippocrates , ſi quid videtur movendum , move ; ſed hunc monitum cum Proſpero Martiano[(a)] contraho ad morbos acutos , in omnes valere non judico . Ceterum admonendum eſt , ab Hippocrate non ita anguſte , ut a multis creditur , accipi principium univerſale febris , ſed , uti notat Proſper Martianus[(b)] protendi ad vigorem uſque ; adeo ut in acutis non admodum celeriter motis aliquando dies ſextus non ſit extra principium , & opportunitatem purgationis ; idque Martianus conſiderandum Medicis properis expurgandi proponit .

De frequentia purgationis in febribus intermittentibus fugienda non eſt , quare longius diſſeram , quam celebratus uſus corticis peruviani apud pleroſque correxit . Diſſeram de longis putridis continuis , quæ ex confeſſo accenduntur ab extraneo ſucco ſanguini intermiſto , neque tam facile , & ſecure indico cortice ſuperantur . Si mente concipimus in huſce febribus primas curationis partes naturæ deberi , ut etiam dictum eſt de acutis, coquenti, ſeparantique, quicquid præter ejus leges interjectum eſt ſanguini , non difficulter percipiemus , quod inde ſequitur , nimirum crebritate purgantium non eſſe naturalem operam turbandam , & debilitandam . In longis profecto febribus continuiſque non ſemel tantum incidere poteſt purgatio-

(a) *In Com. Hip. Lib. lib. 2. de Mor.* (b) *Sect. 1. Aph. 22.*

gationis opportunitas, orta vel ex congeſtione impuritatum in primis viis propter diuturnum cubitum, læſamque coctionem facta, vel ex ipſo fomite febrili fuſo per ſanguinem, ſi natura hujus partem coquat, non totam ſimul, parte cocta ſui excretionem poſtulante, niſi ſponte natura moliatur. Hæc etenim coctio materiæ partitim facta, tametſi accidere poteſt in acutis febribus, tamen longe frequentius accidere in diuturnis icirco conſtat, quia in iſtis non evenire ſolent veræ criſes, ut in acutis, quæ indicant materiam totam, vel ſaltem maximam partem ſimul præparati, poſtea ſimul extrudendam. Cum vero noxius humor partite præparatur, ſubigiturque, quomodo ſe geret Medicus in hujus febris medicatione? Iterabit ne purgationem educturus, portionem ſubactæ materiæ, eam non excernente natura? Sed quibus inditiis cognoſcet, & eam concoctam eſſe, & ea quantitate, ut exigat operam purgantis? Signa concoctionis declarantia tempeſtivitatem purgationis, nequeunt non eſſe ambigua, & obſcura, ſi altera pars materiæ cocta eſt, altera cruda, & utraque per urinam ſignificatur: quæ præterea indicare nequeunt quantitatem concoctam, poſcentem expurgationem. Adde præter alvum alias eſſe vias, per quas natura poteſt paulatim amandare, quod paulatim apparat, nec ab illis deflectendum eſſe conatum naturæ frequentatione purgantium. Quocirca Sydenhamus(a) agens de febribus continuis ita arduum judicat, aſſequi conjectura per quam viam commodius extrudi poſſint morbida, ut nulla ſpeculatio humana id præſtare poſſit, ſola valeat experientia. Perge igitur, ſi potes, Medice operoſe, purgantia abſque formidine erroris frequentare, ſi præ oculis habeas expoſitas difficultates, inſuperque naturam prætermiſſæ vacuationis vices

(a) *Sect. 5. cap. 2.*

vices obire eadem, vel alia via poſſe, non poſſe tuto facile obſtare detrimento ab intempeſtiva purgatione illato. Catharticum qualitate offendit viſcera, actione turbat humores, neque noxios imparatos, & commotos exigit; ex quo poteſt cadere, ut ad ventrem deducti, nec inde ejecti ibi corrumpantur in novum fomitem febrilem, vel aliter moleſtum. Sed audiamus Gliſſonium de facultate excretrice ventriculi, & inteſtinorum, ni fallor, producentem novum argumentum purgandi in febribus lentis, in quibus ait, fructuoſe præberi cathartica etiam ante concoctionem materiæ ad excitandam ignaviam fermentationem. Solum igitur, Gliſſoni, vis concitare ignavam fermentationem, non evacuare crudum humorem, quem in eodem capite aſſeruiſti, idcirco purgante tentandum non eſſe, quod natura nullum organum ad eum ſecernendum comparaverit. Verum, ſi animus eſt fermentationem promovere depreſſam a craſſis ſuccis, cur attenuantia non exhibes prætermiſſis purgantibus, quibus nequeuntibus crudam noxiamque materiam excernere, quicquid ſani fluere paratius eſt, educetur. An hoc expediat, Tu judex eſto. Niſi mihi alia rationum momenta ad purgandum afferantur, malo fidere naturæ induſtriæ, quam imaginationi fallacia ſuggerenti. Equidem non ſemel obſervavi, modicam dejectionem in febribus ſponte factam magis profuiſſe, quam repletum laſanum opera dejicientis; immo per hanc copioſam vacuationem intentam fuiſſe febrem, jactatis magis, perturbatiſque humoribus. Cur autem hæc perturbatio infeſta ſit febricitanti, declarat ſententia Hippocratis, febrem non oriri, niſi facta diſſolutione temperationis, ſive mixturæ diverſarum ſanguinis partium, ejuſque fieri curationem reſtitutione priſtinæ temperationis. Hanc vero ars adjuvare poteſt, ſola natura efficere; &

promptius efficit, niſi humores externo impulſu incuſſo a purgante agitentur, reparationi priſtinæ miſtionis adverſo per quietem faciendæ. His ipſis veſtigiis inhærens Galenus decrevit [a], purgationes eſſe contrarias coctioni, poſt quam naturalis miſtio reſtituitur, expulſo, vel ſubacto, quod eam perturbabat. Hinc aperte ſequitur, copiam purgantium inſeparabilem ab commotione humorum etiam in febribus diuturnis fere intutam eſſe, fugiendamque. Memini, me in quadam febri longa continua habente tamen incrementa, & decrementa mulieris annor. circiter 65 cum ſucceſſu frequenter uſurpaſſe poſt multos dies mitiſſimum laxans, nimirum ſerum lactis cum drachmis duabus tartari crudi, ſed eo ducebar, quod videbam, tam levi pharmaco impetrari cum levamine non exiguam vacuationem, & inde docebar, naturam ſanguinis impura detrudere ad inteſtina, detruſaque levi accedente impulſione dejici: ſed hæ occaſiones raræ ſunt, ſoloque effectu manifeſtæ. Neque vero in re medica conſtitui poteſt certa regula omnium ſingularium communis, omnique limitationi exempta: ſcienterque viſum eſt Galeno [b], tot eſſe methodos medendi, quot ſunt morborum ideæ: quæ methodi, partim ex præceptis generalibus, partim ex obſervatis in ægroto eruendæ ſunt. Quocirca propoſitis commodis, incommodiſque ſequentibus uſum remediorum, dirigat opus oportet prudentia Medici exercitati, methodoque inſtructi, varietatem occaſionum nullo certo numero comprehenſibilium diſpicientis. Multa in certo rerum concurſu cognoſcimus, quæ aliis tradere, qualia ſenſu percepimus, & cum omnibus circumſtantiis nequimus, vel propterea quod iſtas adamuſſim explicare perarduum eſt, vel quia cito aliquæ mente elabuntur, poſtquam

ab

(a) *Lib. 4. de rat. vic. acut.* (b) *Lib. 4. Meth.*

ab ægro ſenſuum contentionem amovimus, e quibus, ſimul cum aliis hauſimus, arripuimuſque occaſionem remedii. Tument tot medica volumina laudibus remediorum, quæ repetitis experimentis prædicantur utiliſſima ad varios morbos fugandos; ſed in eodem affectionis genere uſurpata identidem decantato effectu fraudantur, admonentque, ne fide tanta uſurpentur, ut nihil de ſucceſſu dubitetur. Tot autem difficilia, & ſalebroſa, quibus in remediis tempeſtive adminiſtrandis circumvenimur, non alia ratione melius ſuperare poſſumus, quam illuſtriores conjecturas, forteinque duntaxat aſſenſionem trahentes ſectando: quibus duntaxat attentis, paucæ quia occurrunt, parci quoque erimus remediorum; quæ non tantum morbis opponuntur, ſed naturæ quoque, aut virium extenuatione, aut humorum perturbatione, aut exotica, infeſtaque qualitate, aut hiſce univerſis. Si etiamnum perſiſtis in propoſito, Medice ad purgandum in febribus ſummopere proclivis, nec incipis tuam proclivitatem ſuſpectam ducere, dic quæſo, unde petas certas regulas ad errata declinanda. Admonet Joannes Freind (a), rationem curandi febres per purgantia multis indigere cautionibus, ſed nullas ſatis accuratas ab auctoribus traditas fuiſſe, neque tradi poſſe, niſi plurimum laboris, judiciique acceſſerit. Addo ego id plurimum accedere non poſſe. Si enim fertiliſſima Priſcorum ingenia, & diligentiſſima curandarum febrium, firmas, certaſque regulas minime ſancire valuerunt, id ſane vertendum eſt inſuperabili rei difficultati, & obſcuritati, non præceptoribus, qui nec ſatis laboris, nec judicii in hoc contulerint. Si ſecus eſt, exoptare tempus oportet, quo leges purgandi in febribus induſtrius tradantur; & interea rarius incidere in periculum erran-

(a) *Comment. 7. de purg.*

di abſtinentia frequentationis purgantium, & ſæpius naturæ viribus confidere: ſiquidem aliorum quoque fortium irritantium, perque alios aditus evacuantium opportunitates identidem involutæ ſunt, perinde ac purgationis, fortaſſe magis.

CAPUT VIII.

Expenditur frequentatio expurgationis in morbis longis.

EXamine præmiſſo de crebra repetitione purgantium, cum debilium, tum mediocrium in febribus putridis, aliquid attingendum eſt etiam de forti ex purgatione in quibuſdam morbis frequenter iterata propter difficultatem expugnationis. Non ibo tamen per ſingulos hoſce morbos, ſed inſtar omnium mihi erit hydrops aquoſus, ſive utricularis, quem Græci Aſcitem vocant; ideoque conſiderandum ſumo, quia pariter oſores purgationis inferioris, inter quos Cælius Aurelianus, hydropem excipiunt, validiſque dejicientibus adoriuntur. Hiſce hercle morbis non militat ratio favens curationi febrium, in qua vidimus primas partes eſſe naturæ coquentis ſecernentiſque excrementa; adeo ut credat Sydenhamus, febrem eſſe inſtrumentum naturæ ad ſeparandas impuritates, quod de omnibus concedi nequit, poteſt de aliquibus, iiſque, in quibus puram quantitate ſuperat impuram, prævaletque. Contra vero morborum, de quibus nunc eſt ſermo, profligandorum tota, vel propemodum tota ſpes a multis ponitur in valida crebraque expurgatione: unde tot fortia cathartica in honorem venerunt propter domitam morbidam pertinaciam. Fateor & ipſe, in qui-

buſ-

buſdam contumacibus morbis requiri fortem repetitamque dejectionem; ſed hujus indicationem ſæpe dubiam eſſe ſentio, meæque opinionis momenta eo ſcopo producam, quo eamdem ambiguitatem in febribus propoſui, videlicet ad augendam Medentis circumſpectionem, temperandamque concitationem ad agendum. Ergo quod attinet ad Hydropem aquoſum, mihi propoſitum pro exemplo ſubigendarum difficilium ægrotationum, Sydenhamus affirmat, hunc affectum poſtulare fortem, celeremque, non debilem, atque ex intervallis factam purgationem, qualis ſalutariter in aliis multis longis arduiſque morbis inſtituitur. Hanc praxim ante Sydenhamum [illegible] Riverius (a) in quodam Piſtore Monſpelienſi annor. 35 Aſcite impedito, tumentibus inſigniter ventre, cruribus, & ſcroto. Auſpicatus eſt curationem ægroti poſt duos menſes a morbo, die vigeſimo ſeptimo menſis Novembris cathartico, quo mediocriter purgatus eſt: die 28 detraxit e brachio dextro ſanguinis uncias octo, detractuſque apparuit multo ſero perfuſus. Proximo die exhibuit bolum ex granis 24 Calomelanos, & uno ſcrupulo pulveris Jalappæ, eumdemque iteravit die trigeſimo ejuſdem menſis, addito dimidio ſcrupulo Jalappæ, quo copioſius excrevit. Primo, & ſecundo die Decembris repetitum eſt idem pharmacum; tertio impoſitus clyſter ex drachma una, & dimidia Colocynthidis cum decoctione furfuris in vino albo, adjecta uncia olei communis; idemque clyſter die quarto injectus eſt; nullaque facta intermiſſione, die quinto præſtitus fuit pulvis compoſitus ex Senna, Turpeto gummoſo, Hermodactilis, ſeminibus Ebuli, Jalappa, Mechoacanna, Gutta gummi, & cremore tartari, largeque vacua-

vit

(a) *Centur. 3. Obſervat. 23.*

vit materiam nigram, qualis etiam per clyſteres educta fuerat: idem pulvis die octavo, & undecimo repetitus eſt, atque interpoſitis diebus porrecta potio diuretica; congruentique mandata victus ratione, & pro potu infuſione chalybis in vino albo, finis curationi, morboque impoſitus eſt. Quam maximos potuit, edidit Medicina conatus in hac curatione; nec majori crebritate poterat fortia purgantia uſurpare. Quam pauci tamen hujuſmodi ſucceſſus occurrunt! Quam iſti paucitate inefficaces ſunt ad eam rationem curationis hortandam in Aſcite! Id generatim edixit *Sydenhamus* (a), *ab eo hydrope præ ceteris morbis quibuſlibet catharſim*; & quidem valentiſſimam poſtulari, & maxime velocem. Si tamen advertiſſet varias contrariaſque ejuſdem morbi curationes ab aliis celebratas, profecto hæſiſſet, neque tam ample deliberaſſet. Egregie proſunt in Medicina exempla victarum ægrotationum; ſed hæc ipſa facile in errorem inducunt, niſi victoria ad ſuas veras cauſſas referatur: & ſimilia probe noſcantur, quod perdifficile eſt, ideoque dubius, & fallax exemplorum ductus, ignorata vera ratione progreſſi eventus. Quem lateat, ſæpe uni non prodeſſe, imo etiam officere, quod alteri ſaluberrimum fuiſſe in eadem ſpecie morbi accepimus? Confide igitur, ſi potes, exemplis, & potiſſimum raris in tanta hominum varietate, ratione temperamenti, ſexus, ætatis, conſuetudinis, vitæ inſtitutionis, aliorumque accidentium, aut clam, aut palam alterantium. Hæc inde nata varietas efficit, ut in eadem ſpecie morbi varient cauſſæ, diverſa requirantur, difficulter inveniantur, non ſuppetentibus teſtatis indiciis ejus varietatis. Patavii anno 1729 Medicus clari nominis mulieri temperaturæ calidæ humi-

da-

(a) *Pag.* 562.

dæque, annorum plus minus ſexaginta hydrope impeditæ, rurique degenti miſit pulverem catharticum in viginti quatuor partes diviſum, totidem continuis diebus ſumendas, ſpopondítque ab acceptis ſalutem. Enim vero quatuor ſine intervallo ſumptæ ita vires fregerunt, ut non ſolum ſpem ſalutis, ſed vitæ protrahendæ ademerint, ſi reliquæ acceptæ fuiſſent. Ergo ſub initium veris ægra Patavium advecta eſt, mihique commiſſa. Totus venter valde intumeſcebat, coxæque cum cruribus, pedibuſque. Magna inſuper premebatur difficultate ſpirandi, & ſolum ſedenti extra lectum concedente ſomnum, inchoata ante tumorem ventris, & reliquarum partium. Urina pauca, atque ex rubro fuſca. Principium curationis duxi ex agarico cum therebintina ter alternis diebus iterato. Mediocriter purgata eſt, poſtque ultimam acceptam doſim perſeveravit tres dies excretio copioſior naturali, & inde remiſit aliquantum reſpirationis difficultas, aliique boni ſucceſſus apparuerunt. Tamen ceſſavi a purgante dies octo, nihil præbendo medicamentoſi, præter potum ordinarium, aptum ad promovendam urinam; poſt quos propinavi agaricum cum diagridio, & tartaro vitriolato, quo multa liquida dejecit; idemque pharmacum facto decem dierum intervallo iteravi. Id tempus purgandi mihi præfinivi, quod permittebat ægræ tolerantia, habito quoque reſpectu urinæ, quæ poſt excretiones petitas craſſior coloratiorque reddebatur. Quamquam autem ex longis ſpatiis, poſt primos ſex dies contra mentem Sydenhami inſtauratum eſt catharticum, & iſtuc non valde forte ob paucam quantitatem diagridii, intra menſem circiter magnam partem evanuit ventris tumor, omnino femorum, & crurum; expeditæque fuerunt viæ reſpirationis, ut in lecto jacere poſſet, jacenſ-

ceeſque placide dormire. Aliquot diebus poſt urina habitum propemodum naturalem, coloremque adepta eſt, ut integram ſalutem ſperare liceret, ſi fœmina & in urbe permanſiſſet, & in parcitate cibi, deleſtuque qualitatis; ſed rus reverſa, neglectaque victus ratione, poſt plures menſes ex recidivo morbo fato conceſſit. Id notabile animadverti in hac fœmina, quod diebus circiter duodecim poſtquam curabatur, ſic dejectus eſt appetitus, ut ſemel tantum in die comederet, & parum, quæ bis ſolebat, & plenius cibari; quo moderamine autumo maxime adjutam eſſe, & fortaſſe magis, quam medicatione. Sat de exemplis: conſulamus rationem. Cur, Sydenhame, edicis univerſe in hydrope celebrandam eſſe maxime feſtinatam, fortemque purgationem? An hic morbus unam, eamdemque in omnibus corporibus cauſſam habet? An habet in omnibus eadem adjuncta? Te non hercule latet, illum identidem initium capere vel ab jecoris obſtructione, vel lienis, & meſenterii, vel ſaltem cum ea conjungi. Inſuper tritum eſt, quod docet Hippocrates (a) de præparandis corporibus ad purgationem deſtinatis: *Corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere*. Præparatio vero præmittenda purgationi duplex eſt, altera pertinens ad humores, altera ad corporis meatus tranſmittentes ſuccos evacuandos, qui, ſi clauſi ſunt, obſtructique, procul dubio reſerandi ſunt, dilatandique. Pone nunc occaſionem hydropis aquoſi fuiſſe eorum viſcerum obſtructionem. Profecto ſi vehementiora cathartica exporrigas, recta opponeris præcepto Hippocratis, & communi praxi curandarum obſtructionum, declinanti purgatorii vehementiam, qua commoti humores, nec expedite trajecti augerent obſtructionem

(a) *Sect. 2. Aphor. 10.*

nem, aliaque incommoda importarent. Alias percurramus cauſſas hydropis. Credit doctiſſimus Fernelius [a], non raro in provectis hydropem produci ex jecoris membrana fiſſa, & hanc findi ab uſu liberaliore vini meracioris, aliiſque cauſſis calefacientibus, & ſiccantibus, quibus areſactum jecur, ejuſque membrana rimas contrahit, inſtar terræ præ ſiccitate dehiſcentis. Facta rima ſero ſanguinis liberum aditum permittens in capacitatem abdominis, occaſio eſt, cur illud eo repletum inſtar utris intumeſcat; unde hic hydrops nomine utricularis deſignatus fuit. Quis autem ex fortibus acribuſque purgatoriis crebro porrectis ſperet, ex ea cauſſa hydropicum factum levatum iri? Imo caliditas, & acrimonia purgantium validiorum ſerum evacuantium, magis hepate deſiccato novas efficient membranæ fiſſiones, morbique incrementum. Quiddam ſimile mihi videtur metuendum ab eadem ratione purgandi in eodem hydrope genito, uti placet Recentioribus, ab vaſis lacteis, vel lymphaticis ruptis aquoſum humorem in cavum abdominis effundentibus. Impetum primum faciunt vehementia cathartica, quæ Manardus lacerantia vocat, in ventrem inferiorem, tantoque majorem faciunt, quanto frequentius repetuntur, ideoque valida ad novas rupturas vaſorum moliendas, morbumque adaugendum. Provoco ad Vvilliſium [b], qui Aſcitem ut plurimum incurabilem pro certo tenet, ſi generetur vel abs tumoribus circa viſcera, vel a vaſis lacteis, aut lymphaticis diruptis. Sunt etiam aliæ cauſſæ Aſcitæ ratione primarum qualitatum contrariæ, uti placet Avicennæ [c], aliiſque, dividentibus eam ſpeciem hydropis in frigidam, calidamque, quam diviſionem compro-

(a) *Lib. 6. de Part. mor. & ſympt. cap. 6.* (b) *De Aſcite ſect. 2. cap. 3.*
(c) *Lib. 3. Fen. 14. Tract. 4. Cap. 13.*

bat curationis oppoſitio. Extant exempla plura de curatione calefacientibus peracta, & aliqua refrigerantibus, inter quæ reticendum non eſt inſigne, quod narrat Riverius in obſervationibus ſibi communicatis. Quanta ſit efficacia ſalis prunellæ ad refrigerandum, præclarum eſt ex uſu communi ejuſdem in inflammationibus, urentibuſque febribus. Eodem igitur per integrum menſem ſumpto a quodam hydropico, totum abdomen exoneratum eſt ſtagnante humore, reſtitutaque ſalus; oſtenditque ſanatio, ut jure concludit auctor, cauſſæ morbidæ calidicatem. Quis igitur, ſi attente perpendat, quæ de variis cauſſis Aſcitæ, & curationibus circumferuntur, faciat cum Sydenhamo, intrepiduſque conſentiat, illi præ reliquis morbo deberi vim magnam catharticorum, celeriterque renovatam? Imo eſt, cur mirer, de hoc ipſo nil dubitaſſe Sydenhamum, convenienter ad ſuum placitum de cauſſa hydropis, conjecta in ſanguinis imbecillitatem; cui promovendæ genus illud purgantium, crebroque præſtitum aptum eſt, illius compagem attenuando, diſſolvendo, ſpirituſque abſumendo. Quocirca non deſunt multi, atque inter iſtos Hollerius, Petrus Foreſtus, qui contrariam Sydenhamicæ rationem educendi aquas hydropicorum per purgantia commendant, videlicet lentam, & paulatim factam evacuationem, cauſati ab acervatim facta depletione dejici vires, & viſcera refrigerari. Quid quod VVilliſius[(a)] obſervat, Aſcitem ſæpe exaſperari catharticis, & ſi eiſdem diutius inſiſtitur, incurabilem reddi? narratque hiſtoriam de juvene fœmina uxore Mercatoris Aſcitem patiente, quæ ab omni purgatione ſemper deterius habuit. Quod pariter obſervatum eſſe a Majoribus comperio, hortante Celſo[(b)], initio cujuſcunque ſpeciei hydro-

dro-

(a) *De Remed. ad Aſcitem ſec. 2. cap. 5.* (b) *Lib. 3. cap. 21.*

dropis, ut ventris excretio cibo potius, quam medicamento incitetur, firmioremque ſpem curationis, antequam morbus invaleſcat, magis collocante in quiete laborantis, ſiti, & inedia, quam medicamentis: & nos ſupra vidimus, quantum profuerit in deſcripta fœmina parſimonia cibi conſecuta ad ſpontaneam dejectionem appetentiæ. Quid quod idem Celſus, tametſi in morbis ortis ab atra bile, & aliis quibuſdam non abhorret a fortibus dejicientibus, tamen in curatione cujuſcunque Hydropis nullum ex hiſce proponit? Movet ſudorem, urinam, conatur reſolutionem aquæ concluſæ in ſpecu abdominis admotis diſcutientibus, nullum de dejicientibus verbum fecit. Ipſe etiam fœminam annorum circiter quinquaginta tempore æſtivo poſt tertianam Hydrope aquoſo cœptam implicari, abſque ullo purgante liberavi decoctione radicis perſonatæ per veſicam materiam tumentis ventris exigente. Quomodo denique curabit Sydenhamus Aſcitem morbis acutis ſuccedentem, de cujus vehementi periculo ab Hippocrate[(a)] docemur? Hiſce laborantibus timerem, ne feſtinata, fortiſque purgatio perinde ac morbus ipſe perniCioſa foret. Satis hæc cauſſa pertractata eſt, nec plura adjiciam ad oſtendendum, dubiam eſſe in Aſcite frequentiam fortium catharticorum, magnamque felicitatem requiri ad eam ſalutariter exequendam, fortunæ favore obtrudente Medico ægrotum ex peculiaribus cauſſis in eum morbum lapſum, præditum robuſta ſanguinis compage, viſceribuſque idoneis ex facili ſuſtinendis crebris ictibus purgantium, qualis fuit Piſtor obtruſus Riverio, ejuſque animoſa medicatione redemptus. Itaque ſi tibi fortuna adeo prona eſt, faveuſque, ſuſcipe univerſim more Sydenhamico curationem ejus hydropis: ſin cautior minus

Nnn 2 eidem

(a) *In Progn.*

eidem fidis, nitere ad dignoſcendam conditionem ægroti, & affectionis, ejuſque originis, & ſollerti animadverſione ingredere curationem, ut exploratum effectum ducem habeas ad eamdem proſequendam, cognoſcendaque ſine illo occulta.

Conſideratione Hydropis aquoſi, in quo demonſtratum eſt, frequentem iterationem vehementium purgantium pluries periculo non carere; atque propter diverſitatem cauſſarum, & ægrotantium difficulter conjectabilem, magno conſtare, certam viam curationis inire, facile apparebit, ſi diligenter attenditur, ſimilia impedimenta in aliis morbis offendi, eamdem difficultatem recte magnis auxiliis utendi, idemque errandi periculum. Valleſium [a] appello definientem, nullum eſſe morbum, qui unicam certamque habeat curationem, neque qui pro ratione cauſſæ, & naturæ hominis, ac denique ſingularium animadverſionum, non poſſit accipere contrarias. Attamen, quo præeunte lumine nobis innoteſcet in eadem ſpecie morbi varietas tanta, ut quandoque contrariam curationem requirat? Identidem nullum præeſt; ideoque præcipit Hippocrates, ſemper variare oportere modum non ſanantem; qui ſane mutandus non foret, ſi præcederet certa morbi cognitio, parem quoque medicationem ſufficiens. Quocunque ſe vertat Medicus, quamcumque artis ſuæ ſectam profiteatur, ſcopulos non evitabit, paratos lapſus inveniet, inopinata contingere dolebit. Sequatur Empiricos, ſi velit, ſequatur Rationales. Iſtis, uti monet Hippocrates [b], perarduum eſt vias ratiocinando cognoſcere; illos ſimilitudines ex facili in errorem trahunt. Hæc porro non inculco, ut medentem velim otioſum, & grandibus remediis diffidentem, ſed exci-

(a) *Lib. 7. Epid. Hipp. in com.* (b) *Lib. 6. Epid.*

excitem ad ſollertius ſcrutandam eorum legitimam occaſionem , atque ſi ſe rationalem oſtentat , ad probabiliorem rationem ſemper amplexandam : qua prælucente neque raritate , neque frequentia delinquet , poſtpoſitis levibus momentis , quibus ſæpe vidi magnis auxiliis manum admoveri . Accipienda vero eſt frequentia purgantium , de qua hactenus verba feci , non abſtracta , ſed comparata , & accommodata ſingularibus ægrotis , affectibuſque , itemque conſideranda qualitas purgationis . In aliis enim morbis , & circumſtantiis intra dies , puta , decem ter inſtituta mediocris purgatio frequens non erit , in aliis oppido frequens : neque pariter frequentem purgationem voco in plures vices diviſam , quæ ſemel facienda fuiſſet , ſi vires , & alia permiſiſſent . Definiri nequit generatim frequentia adprobanda , vel rejicienda ; & utraque deprehendenda eſt , facta collatione cum natura ægrotantis , morbo , ejuſque cauſſa , effectu prius uſurpati remedii , aliiſque accidentibus , ſed potiſſimum prægreſſo effectu , cujus interrupta proſperitate favente , certum eſt , aliquot morbos contumaces valde frequenter exhibitis purgantibus repetitioni appoſitis ſubactos fuiſſe , ſubigique poſſe . Obſervatum pariter fuit , quandoque mulieres , præſertim cœlibes , virgineſque , pene incredibili frequentia educto ſanguine , quadantenus adjutas fuiſſe ; quæ ſicut interdum patiuntur raros , admirandoſque morbos , item æque rara , & admirabili medicatione , vires ex earum imaginatione pluries adepta , curantur . Hæc tamen raritate ſua extra conſtantem ordinem naturæ poſita , & continuatam rerum ſeriem parum habent momenti ad præfiniendum moderamen univerſale remedii . Huc adde mulieres , quas Hippocrates viris calidiores judicat , naturaque comparavit ad menſtruum ſanguinis diſpendium , & copioſius in emiſ-

ſione

ſione fœtuum, etiam repetitam phlebotomiam viris minore negotio perferre ſolere.

Hactenus diſputatum eſt de difficultate recte citraque periculum frequentandæ phlebotomiæ, & purgationis, diſputataque valent etiam in alia remedia, quæ vel aliqua vacuatione, vel infeſta qualitate, vel inſuetudine vim inferunt naturæ, neque ſine moleſtia, viriumque jactura in uſum adduci poſſunt. Ergo Medentes plus ſatis proclives ad actionem, ſecurique ſecum ipſi reputent, precor, quam multiplex ſit, obſcuraque diverſitas cauſſarum morbi in eamdem ſpeciem rejecti, quam difficilis ad inveniendum juſta quantitas remediorum; quam varii inſtabileſque ſint eorumdem effectus pro diſſimilibus ægrotantium temperaturis, atque pro magna mobilitate humorum, & affectionum inde pendentium; quam pauca præclara occurrant, atque neceſſaria aſſenſione proſequenda. Reputent ſecum ipſi, gravius peccari actione lædendo ægrotum, quam ceſſatione non juvando, lapſumque manu ſua urgendo, quam permittendo, niſi ſuppetit certa, aut ſaltem valde probabilis ratio eum inhibendi. Donec ſpes ſupereſt non vana in viribus naturæ, adeſtque non inanis timor offenſæ ab adhibendo medicamento, plus habet artis, & prudentiæ ceſſare, quam aleam jacere. Neque vero contendo oppugnare decantatum effatum Celſi, ſatius eſſe, anceps remedium experiri, quam nullum, imo concedo, in magnis anguſtiis, & graviſſima occaſione licere, periclitari valde dubium, & periculoſum remedium; quale, exem. gr. proponitur a doctiſſimo Valleſio [a]. Expurgatio materiæ crudæ in febre acuta evacuationis cauſſa, non revulſionis, ſententia Valleſii, eſt vehementer ambiguum, & periculoſum experimentum; quod teſtatur, ſe non eſſe

obi-

(a) *Lib. Apho. Hipp.* [illegible]

obiturum, niſi aliunde certa mors ſibi objecta videretur. Propterea mihi viſum eſt, oblata non inani ſpe in viribus naturæ, & metu offenſionis a medicamento, providentius eſſe, naturæ favorem opperiri, quam fortunæ; naturæ, inquam, favorem, quem in pauperibus integrum auctorem ſalutis pluries admirari eſt etiam contra paupertatis impedimenta. Subdo recentiſſima. Puella triginta circiter menſium cœpta vexari febri continua cum alvi fluxu die quinto penitus voce privata eſt, cum tanta oculorum obſcuritate, ut cœca plane videretur. Hoc tempore caſu ad eam accitus deprehendi, laborare duplici tertiana continua. Oblata prompte ſumebat, ſæpe caput, ſed ſine violentia volutabat, membraque cetera libere movebat. Alvus frequenter ſoluta, excretaque varia erant, & primis ægrotationis diebus quinque vermibus permiſta. Poſt diem 13 oculi clareſcere inceperunt, & poſt 15 priſtina luce perfuſi ſunt. Hoc tempore de voce nihil melius, quæ ſolum circa 20 diem valde remiſſa febri expedita fuit. Hæc puella cœca viſum recuperavit, muta vocem, febricitans integram ſalutem. Ad iſtam quam parum contulit ars, quam multum natura, ſuis viribus integris uſa, licet in tam tenella ætate multo ſit imbecillior, quam in adulta! Non hirudines alicui capitis parti, uti optabant domeſtici, non veſicans occipiti apponi juſſi, nec alia molitus ſum, ſine quibus ſalus æque ſperari non poſſet. Divitiæ per ſanitatem bellum intendunt naturæ copia ciborum, in morbis copia medicaminum. Revertor in viam. Cognitio certa futuræ mortis a Valleſio habita pro conditione uſurpandi admodum ancipitis remedii, & periculoſi difficiliter impetrari poteſt; ſi, ut ait Poeta,

Vivere ſæpe ſolet, qui moriturus erat.

& Hippocratis teſtimonio, acutorum morborum incertæ

ſunt

ſunt prænunciationes ſalutis, aut mortis. Quanto plura de ratione medendi æqua lance penduntur, tanto plura dubia obverſantur in uſurpatione remediorum; de quibus dubitandi ratio aperta, nec ſubtiliter excogitata eſt, quod multo frequentius expectationem fallunt, quam explent. Quid mirum igitur, ſi cordatiores Medici iis affectibus aliquando impediti, quos in aliis quotidie curant, tam ſobrie parceque redundante medicamentoſa ſupellectile utuntur, ſæpe ſoli victus rationis acquieſcunt? Non deſunt tamen Medici ſua experientia non ſatis edocti, qui remediis in ſuæ, aliorumque valetudinis detrimentum affluunt, deceptique ſuæ deceptionis ipſi pœnam luunt, tractatique ægrotantes. Ante tempus non multum in urbe celeberrima contigit, ut Medicus operoſus ſenexque gravi morbo detentus propemodum omnes patriæ Medicos conſuluerit, variaque remedia frequentaverit: quibus, & morbo tandem ceſſit; de cujus morte hoc vulgatum eſt Epigramma:

Mortuus eſt Medicus medicinis pluribus uſus,
Et medicis. Fuit hæc copia cauſſa necis.
De medio plures ſata tolluntur eadem.
Aſt miror Medicum ſic periiſſe ſenem.
Si nocuit large præbendo pharmaca, pœnam
Ipſe tulit, periit qui miſer arte ſua.
Ægris multa dedit medicamina, multaque ſumſit,
Eſtque in peccato mortuus ille ſuo.

In eadem urbe paucis menſibus ante memoratam mortem Medicus alter remediorum parcus ægrotavit, & quemadmodum convaluerit, ſic alteri Medico amico ſuo deſcribit:

Solibus alternis, prægreſſo algore, reverſas
Quinque tuli febres; compeſcuit indica cortex,
Sumpta tribus vicibus: pondus fuit uncia ſemis
Cum miſtis drachmis nitri ſine fece duabus.

Hæc

Hæc tamen ante, vias deterſit Caſſia primas.
Succeſſit febri ventris reſtrictio tanta,
Ut fuerit ſolum denis bis, & octo diebus
Ter laxata, ſemel natura, biſque medela
Adjectis ſtimulis. Hærebant viſcera viſco,
Glutine ſive alio quaſi tota aſperſa fuiſſent.
Atque licet peſſum febris tranſacta dediſſet
Vires, & ſtomachus pauxillum admitteret eſcæ,
Non ſum diffiſus, ſtatuique obſtare ferendo,
Atque quiete moras tardæ ſuperare ſalutis,
Nec crebris, juxta morem, laxantibus uti.
Conſilio natura arriſit. Creſcere ſenſim
Cœperunt vires, nullo medicamine languor
Imminuit ſtomachi, menſæque rediit voluptas,
Sincerusque ſapor vini, nota magna ſalutis.
Sentio jamque meos majori ex parte lacertos
Confirmatos, cor lætum, mentemque ſerenam.
Ars mea me juvit, tamen hanc patientia vicit,
Humanæ vitæ rectrix, domitrixque malorum.
Eſt, *Maro ait*(a), fortuna omnis ſuperanda ferendo.
Si bene perpendas, monitus complectitur iſte
De vi virtutis, quæ ſcripſit dogmata Zeno.
Quod majus virtutis opus, quam pectore firmo
Adverſi Caſus patienter ſpicula ferre?

Non aliter ſentit Seneca(b) adhortans Lucilium ad patientiam, qua inquit, vitam e gravibus morbis in tutum eductam fuiſſe. Patientia porro æque prodeſt ægrotantibus ad recipiendam ſalutem, atque ſæpe Medentibus ad conferendam: abs quibus cupidioribus agendi poſtremo animadverti velim, non ſolum identidem eſſe dubia, obſcuraque phlebotomiæ, & purgationis indicantia, ſed earumdem

(a) *Lib. 5. Æneid.* (b) *In Epiſt.*

quoque utilitatem ab omni ſuſpicione, & litigio aſſertam non eſſe. Habuit utrumque præſidium plures claroſque oppugnatores Chryſippum, Eraſiſtratum, Aſclepiadem, alioſque ejuſdem familiæ; quorum quidem placita a multis confutata, a plurimis derelicta fuerunt; tamen extra probabilitatem ita projecta non ſunt, ut plane contemni debeant, careantque in præſens propugnatoribus. Quinimo mihi exhibitis paribus momentis pro phlebotomia uſurpanda, vel omittenda (idem intelligo de purgatione) animadverſio de natura remedii apud multos controverſa non nihil ponderis haberet ad amplectendam omiſſionem, inde pariter commendatam, quod proclivius natura morbo concuſſa proſternitur importunis, quam opportunis ſuſtinetur, & confirmatur, aut proſtrata erigitur. Experimur quotidie, quam levibus impulſionibus humana compages diſſolvatur, præſertim morbo aggrediente diſſolutionem; cujus cauſſa, ſi peccetur, gravior & teſtatior eſt in commiſſis, quibus peccati vis ineſt, nulla omiſſis. Vacuitas operis in ambiguis niſi pro natura eſt, contra eſſe non poteſt; atque utinam opus identidem contra non eſſet. Impatiens moræ, & continuis adminiſtrandis ægroto remediis nequit fieri, quin minus ſingula meditetur; adeatque ſæpius periculum nocendi, quam capiat tempeſtivitatem auxiliandi, ut in omnibus ferme rebus frequentiores ſunt mali occaſiones, quam boni, & maxime in medicinalibus mortalitatem noſtram agitantibus. Ceterum mentis noſtræ infirmitas, artiſque compar obſtat, quo minus omnes errores caveri poſſint, quæcunque diligentia, & induſtria adhibeatur. Sequitur igitur, ut divini Medici ſit, nunquam errare, magni raro errare, optimi omnes lapſus cavere, quibus æger in vitæ diſcrimen levi ſpe adducitur. Si vel magni, vel optimi animum induxiſti, neutrum aſſequeris

ris ſine parcitate remediorum reſpondente raritati præclariorum occaſionum; quarum paucitate Hippocrates [a] permotus ſuſpicit, egregieque commendat Medicum, qui parum delinquit: *Certitudinem enim*, inquit, *exactam raro videre contingit*; ſine qua quicquid molimur, non æqualiter quidem, ſed omne ab errore intutum eſt. Hinc autem concipiendus non eſt præter rationem timor remediorum, teſtis, monitu Hippocratis [b], artis impotentiæ. Fuge quod redargui, itemque vitium contrarium; quod quidem altero minus eſt perniciale, ſed utrumque tui officii labes. Eſto animatus, ſed magis præparatus ad actionem; & neceſſariam inſtructionem conquirens, quæ ſæpe deſideratur, ſi rarius ages, etiam rarius opus fruſtraberis, aut depravabis. Neque vero habita diſputatione alio animum intendi, niſi ut medicarum actionum regimen ſuaderem, quod vir ſapiens in ſuæ vitæ ratione obſervat; qui quamvis inſtructus paratuſque ſit de rebus omnibus dubitare, hinc tamen non deterretur ab actione, ſequendo, ut ait Tullius [c], habentia inſignem viſum quemdam, & illuſtrem.

F I N I S.

(a) *De veteri Medicina.* (b) *In Lege.* (c) *Lib. 1. de Nat. Deor.*

INDEX

In quatuor Diſſertationes de Regimine Magnorum Auxiliorum.

A

ACcidentia quædam copulata cum delirio purgationem inhibent. *Pag.* 180
Ægroti faciem in acutis morbis meditari oportet, non cœli. 64
Ægroti regimen poſt phlebotomiam. 65
Ægrotus a magno vitæ diſcrimine ob hydrargyrum auri foliis redemptus. 310
Ægroti regimen ſub finem ſalivationis, & poſt ipſam. 314
Aeris caliditas, ſiccitaſque cum aliis adjunctis impedimentum eſt phlebotomiæ. 63
Aere impenſe calido, vel frigido tutum non eſt ſudorem movere. 229
Ætatis conſideratio pro deliberando ſudore. 226
Aetii in menſium ſuppreſſione venam tali, & brachii incidentis requiſita conditio. 99
Anaſarca ſub conditionibus a Galeno expreſſis phlebotomiæ non repugnat. 80
Andreæ Roſetti de uſu hydrargyri epiſtola. 327
Antiquorum diligentia præparandi corpora ad expurgationem. 129
Auctoris ratio, cur ſcripſerit de medica praxi. 5
Auctoris ſententia de ſanguine mittendo in febribus peſtilentibus. 80
Auctoris praxis in exanthematum eruptione in febre maligna. 84
Auctoris ratio adminiſtrandi hydrargyri. 279

B

BAlneum opportunum eſt alvi fluori genito a rheumatiſmo, 242
Bayle experimento reſicientis conatum ventriculi in vomitu reſpondetur. 187
Botalli, & Fabricii Hildani narratæ curationes infantium opera hydrargyri penſitantur. 283, & ſeq.
Bubone apparente in febre peſtilenti non ſemper relinquenda eſt phlebotomia. 81, & ſeq.

C

CAcochymiæ definitio. 24
Cacochymia non petit phlebotomiam ut evacuantem. 28
Cacochymia venarum non impedit phlebotomiam ut revellentem. 140
Caliditas ſiccitaſque totius corporis non prohibent purgationem. 140
Calor æſtivus, ſudoreſque vitandi ſunt in uſu hydrargyri ad ſalivandum. 287
Capitis effectus geniti a materia craſſa non opponitur uſui hydrargyri. 296
Coitu prægreſſo periculoſa eſt venæ ſectio in morbis acutis. 75
Concocta in febribus vomitu purganda non ſunt. 104
Copia ſanguinis petens imminutionem per phlebotomiam. 54
Copia mali ſucci duobus modis vires infirmat. 49

Cru-

Cruditas materiæ recuſans purgationem explicatur. 152
Curatio fœminæ ad extremum redactæ hydrargyro facta. 205, & ſeq.

D

DEbilitatis inditia ſecundum diverſos gradus. 46
Debilitatis differentiæ ex Hippocrate. 50
Delirii, & vigiliarum effectus conſiderantur reſpectu tundendæ venæ. 111
Deſcenſus inteſtinorum in ſcrotum purgationi adverſatur. 178
Differentia inter revulſionem, & derivationem. 38
Dirimitur controverſia, utrum liceat perdere fœtum ad tuendam Matrem. 145
Dolore ſæviente purgandum non eſt. 284
Dolore pleuritidis deſcendente non eſt omittenda phlebotomia. 160
Dubitatio de morbis a Belloſtio curatis hydrargyro dejiciente. 321

E

EPilepſiam aliquando hydrargyrum intulit, aliquando depulit. 276
Eryſipelas faciei repetitis purgantibus a Freind curatum. 170, & ſeq.
Eryſipelate frequenter tentati minus apti ſunt ad ſalivationem per hydrargyrum. 299
Ettmullerus vetans purgationem in eryſipelate faciei rejicitur. 169
Excretorum neque color, neque materiæ modus probat inter evacuantia, & evacuata ſimilitudinem. 127
Exanthemata in febribus malignis apparentia critica non ſunt. 83
Exanthematis erumpentibus in febribus malignis non ſemper abſtinendum eſt a phlebotomia. 85

F

FAbricii Hyldani curatio uteri prolapſus occaſione partus. 178
Febris a gallica colluvie progenita hypochauſtum permittit. 237
Foramina inviſibilia ab Antiquis poſita non ſunt figmenta. 213
Fracaſtorius large concedens vinum ſalivantibus magis indulſit cuiſe, quam veritati. 299

G

GAleni hiſtoria de muliere defecta menſibus, & repetitione phlebotomiæ curata expenditur. 107
Galeni praxis initio phlegmonarum ventriculi, & inteſtinorum abſtinentis a purgantibus tutior eſt. 175
Galeni praxis in ſyncope vomituriendis adprobatur. 206
Gliſſonii experimentum de vaporibus facilius liquore penetrantibus membranas. 212
Graviditas non obſtat ſudori idoneis remediis ducendo. 228

H

HAbitus corporis momentum ad indicandum uſum phlebotomiæ. 51
Habitus corporis vomitioni incommodus aſſignatur. 198
Habitus corporis indicat proclivitatem ad ſudorem, vel repugnantiam. 226
Hecticos ab immonda venere licet

curata hydrargyro. 298
Heredia redarguens præceptum Fernelii redarguitur. 102
Hippocratis præcepti generalis de vena incidenda utilitas. 34
Hippocrates poſt purgationem nunquam præcepit phlebotomiam. 138
Hippocrates agens de purgatione gravidarum indicavit, quod tutius eſt, non quod unicum fieri poteſt. 143
Hippocrates ſolum permittit purgationem materiæ perfectæ coctæ, aut turgentis. 155
Hippocratis præcepto de purgatione tres exceptiones adducuntur. 157
Hydrargyri primi adminiſtratores. 243
Hydrargyrum non reſolvit tumores per introſum humiditatem. 250
Hydrargyrum ingenita mobilitate eſt occaſio calidorum morborum. 255
Hydrargyrum ſæpe movet utiliter ſalivam, & alvum. 260, & ſeq.
Hydrargyri ad ſalivandum variæ doſes. 267
Hydrargyrum periculoſius eſt in temperaturis calidis, ſiccisque, quam pituitoſis. 282
Hydrargyri uſus in pregnantibus non eſt expers periculi abortionis. 285, & ſeq.
Hydrargyri fumus non differt ab ejus ſubſtantia. 295
Hydrargyri nimium impetum lacientis remedia. 307
Hydrargyri genuinus modus agendi. 320
Hydrargyrum præſtat admiſcere levibus purgantibus, quam fortibus. 324
Hydrargyrum ad ſalivandum dulce, ad purgandum crudum porrigendum eſt. 326

I

INdicans generale hydrargyri ad educendam ſalivam. 277, & ſeq.
Inſuetudo non deerret ab venæ ſectione. 59
Judicium de ſecanda vena in Variolis. 87

L

LApidis bezoartici virtus valde dubia eſt. 218
Lemerii ſimilitudo ad probandam actionem hydrargyri in acidos humores nihil evincit. 259
Leonardi Botalli, & Hildani narrationes de infantibus mercurio curatis expenduntur. 263, & ſeq.
Liene indurato purgantia Hippocrates vetat. 177
Lienoſi memorati ab Hippocrate ſalivationem per hydrargyrum non ferunt. 299
Litigium de vomito ciendo in uteri prolapſu dirimitur. 207

M

MAgnitudo morbi exigit venæ ſectionem vel ſine redundantia mali ſucci. 132
Martiani ratio contra phlebotomiam tali ad educenda menſtrua exagitatur. 70, & ſeq.
Materia, quæ cruda non erat ante febrem, hac oborta cruda evadet. 155
Materia coquitur, aut tota ſimul, aut partite. 156
Menſtrua fluentia mediocre vomitorium non interdicunt. 200
Menſtrua purgatio, vel imminens, vel præſens obſtat ſalivationi. 289
Morbi hydrargyro curati enume-

rat-

vantur. 274
Morbi tutius curabiles per Hydrargyrum dejiciens recenſentur. 321
Motus humoris ad cutem non opponitur eductioni ſalivæ per hydrargyrum. 201
Multitudo ſuccorum, ſi magna eſt, prohibet ſudationem. 232

N

NAturæ agendi modus ex Hippocrate. 262
Naturæ opera elucet in ſalivatione facta in variolis confluentibus. 262
Neoterici purgantes per inferiora tempore verno recedunt ab Hippocratis praxi. 197

O

OBſtructio paulatim facta, & vetus plus habet momenti ad diſſuadendam phlebotomiam, quam ſuadendam. 104
Opiniones oppoſitæ de curanda lienteria examinantur. 84
Os, fauceſque ab aere externo refrigeratæ aptiores ſunt hydrargyri propenſioni. 246

P

PAlmarii argumenta pro evitanda frigiditate hydrargyri. 251
Partes diverſæ ſanguinis ex aperta vena promiſcue manant. 13
Phlegmonis incipientibus cruda materia non repugnat revellenti purgationi. 161
Phthiſis uſu hydrargyri in viro melancholico genita. 297
Plenitudinis multiplex eſt differentia. 15, & ſeq.
Plenitudo vaſorum non eſt cauſa proxima febris. 25
Plenitudinis ad vires variæ ſunt explicationes Antiquorum, ſed nulla clara. 17
Plenitudinis ad vires nova explicatio. 19
Pleuritidis curandæ ratio quorundam Recentiorum rejicitur. 234, & ſeq.
Poterit argumento ſanguinem copia nocere non poſſe reſpondetur. 11
Puerorum copioſus perſpiratus magis obſtat phlebotomiæ, quam purgationi. 148
Pueri ad vomitum Senibus paratiores ſunt. 199
Purgantia ſæpius non invadere vitales ſuccos, quam excrementa contra Helmontium probatur. 123
Purgantium non attrahentium ſimilia in diverſis morbis habendus eſt delectus. 139
Purgatio non eſt certum impedimentum fluentium lochiorum. 146
Purgatio obita in ſtatu febris ſtigmaticæ cum ſudore. 167
Purgantia oppertuna febricitantibus tempore æſtivo. 147
Purgantia temere non adhibentur menſtruis fluentibus. 150
Purgationis in dyſenteria utilitas. 176

Q

QUalitas peccantis humoris expurgandi declaratur. 251, & ſeq.

R

RAtio, cur ſudor aliquando paralyticis noceat, aliquando proſit. 238
Refrigeratio non eſt primarius, & perpetuus effectus venæ ſectionis. 12

Re-

Revulſionis definitio, ejuſdemque phlebotomiæ faciendæ indicans. 36

S

SAlivatio quatuor percurrit generalia tempora, ut aliæ fluxiones. 311, & ſeq.
Sanguinis effuſio uſque ad animi deliquium permittitur, non purgatio. 136
Senecæ ſententia de retractandis ab aliis tractatis. 1
Senectutis conſideratio in uſu phlebotomiæ. 58
Spleſſii experimentum de aqua in glaciem denſata opera hydrargyri. 281
Situs expellendi humoris ſudorem movendum indicat. 283
Sudore manante licet aliquando ſanguinem emittere. 187
Sudori movendo imbecillitas partium principalium opponitur. 233
Sudorem inter aliaſque naturales vacuationes diſcrimen. 264
Sudoris indicans aſſignatur. 220
Sudoris aquoſæ materiæ aliæ particulæ admiſcentur. 210
Sudoris ducendi ratio in febribus ab Celſo indicata efficacior eſt quibuſdam uſitatis remediis. 235
Sudoris materia proxima, & remota. 244
Sydenhami ſecuritas in infantibus venam aperientis nimia eſt. 55, & ſeq.
Sydenhami ſententia de ratione ducendæ ſalivæ expenditur. 290
Sydenhamus, & Joannis Freind diverſa praxis in curando eryſipelate faciei. 89

T

TEmperamenta minus apta ad phlebotomiam perſtituntur. 51
Tenuitas ſola humorem turgentem non reddit. 106
Tremor nervorum ſudationem non admittit. 240
Tullius neglexit libros Philoſophorum vacuos accurata ratione ſcribendi. 2

V

VAlleſii ratio de mittendo ſanguine in morbo magno Hippocratis doctrina infirmatur. 43
Valleſii, & Proſperi Martiani oppoſitæ ſententiæ de vomitu in morbis capitis explicantur. 203
Valleſii obſervatio de pituita craſſa per poros cutis educta. 222
Venæ ſectio habet vires ingenitas, & acquiſitas. 7
Venæ ſectionis examen adhibendæ in conjunctione febris hecticæ, putridæque. 98
Venæ ſolvendæ in febribus cum alvi fluxu multiplex conſideratio. 114
Venæ ſectio alii repetita in enixis conſideratur. 22, & ſeq.
Vernæ cauſſa de plenitudine a frigore conſtringente vaſa rejicitur. 20
Vernæ ſententia de mittendo ſanguine in hectica febre, multa habet ſpinoſa. 199
Vernæ ſententiæ non favet hiſtoria Hippocratis, de viro in Oeniadis. 101
Vernæ ſententiæ de tundenda vena in febribus meſentericis impedimenta oſtenduntur. 113
Verum vero contradicere nequit, itemque ratio experientiæ. 57

Ulcus malignum linguæ hydrargyro curatum. 273
Ulceribus in ambitu corporis citius juſto ſiccatis ſalivatio ſuperftis partibus infeſtior eſt. 304
Ulrichi Hutten lues venerea guajaco curata. 269, & ſeq.
Vomitio in tabidis ſuſpecta eſt. 204
Vomitio generalis eſt evacuatio. 190
Vomitionis dotes a Gliſſonio aſſignatæ conſiderantur. 208
Vomitorium quadam peculiari dote ad os ventriculi dirigitur. 189
Vomitorium tantum forte in prægnantibus metuendum eſt. 199
Vvilliſii opinio de curandis magnis morbis per vomitum admodum dubio nititur fundamento. 196
Vvilliſius ſali alchali vim eliciendi ſudoris arbitrario tribuit. 216

INDEX IN DISSERTATIONEM
De Medico Operoſo.

A

Agilitas mentis humanæ occaſio eſt, cur incidat in multos errores. 335
Alteratio cita, & continua corporum mutare apta eſt medicamentum effectum in contrarium. 304
Alvi fluxus utilis eſſe poteſt pleuritico, antequam tabidus fiat. 428
Anaxagoræ ſophiſma de nigro colore aquæ. 334
Antiqui ultra diem tertium ſanguinem pleuritico non detraxeruut. 428
Apoplexiæ exemplo oſtenditur, plures differentias morborum, & cauſſarum eſſe inutilem oſtentationem artis. 347, & ſeq.
Archibaldi Pitcarnii nimium favorabilis ſententia de laxantibus. 445
Aromatarii dolore lateris laborantis hiſtoria. 432
Ars maxime conjecturalis redditur ex cujuſque remedii quantitate. 377
Aſcitæ cauſa aſſignata ab Sydenhamo parum congruit curationis methodo ab eo tradita. 466
Aſcitæ cauſæ multæ opponuntur vehementibus purgantibus. 465, & ſeq.
Aſclepiadis ſcomma in veteres Medicos. 444
Auctor deſcribit, quemadmodum ſe ipſum curaverit, & filium ſuum nata majorem. 410, & ſeq.
Auctor gratiam multitudinis non quæſivit. 413

B

Bilis conſideratione oſtenditur difficultas examinandi differentias humorum a Sanctorio productas. 300

C

Carmen Medici remediorum parci de ſui curatione. 472
Celſi methodus de curando hydrope. 407
Cleonactidis hiſtoria probat, poſſe congeri in ventriculo biliosa, redundante in corpore humore pituitoſo. 351
Coctione materiæ partitim facta purga

gationis inditia obſcura ſunt. 456
Coctionis materiæ febrilis deſcriptio. 447
Cognitio certa futuræ mortis ſine uſu ambigui remedii difficulter impetrari poteſt. 471
Collatio inter Medicum parcum phlebotomiæ in febribus, & effuſum. 405
Colori rejectorum fidendum non eſt. 353
Colorum, & ſaporum differentiæ incerto denotant mutationes humorum. 366
Conſuetudo popularis medendi inducta eſt conſentiente vulgo cum falſis Medicorum judiciis. 309
Cortex peruvianus uſu frequenti purgantium vi ſua ſpoliatus aliquando eſt. 453

D

Democritus ne finitæ quidem vitæ certa eſſe ſigna judicavit. 345
Dolor capitis ab ſanguinis miſſione impenſe adauctus. 440

E

Epicuri error tolerabilior, quam Arceſilæ. 333
Epigramma de morte Medici operoſi. 472
Exemplorum ductus fallax eſt ignorata vera cauſa prægreſſi eventus. 462
Exercitationis labore ſpiritus inhabilis redditur ſtudiis acrioribus. 378

F

Febris in eadem ſpecie conſtitutæ humor diverſus a periodo non patefit. 356
Febrem inter, & phlebotomiam certa contrarietas non verſatur. 386
Febricitantes parciorem ſanguinis effuſionem paſſi citius reconvaleſcunt. 404
Febricitantis acute in manus Medici operoſi lapſi commiſeratio. 452
Febrilis materiæ evacuatio ſolet in acutis a natura differri ad ſtatum. 449
Febris circuitus a quolibet humore produci poteſt. 357
Febris ſine inflammatione Hippocrati fuit impedimentum venæ inciſionis. 409
Febris vehementia ex Hyppocrate notat ſeparationem humorum. 409
Febrium eventus certo non probat utilitatem phlebotomiæ. 390
Franciſci Valleſii graviſſima ſententia de uſu remediorum. 331
Frequentator medicamentorum ſæpius ab ſcopo aberrat, quam appropinquat. 383
Frequentia medicamentorum adprobanda, vel rejicienda nequit generatim definiri. 409

G

Galeni ſententia tot ſunt methodi medendi, quot ideæ morborum. 458
Gliſſonii ratio pro purgationibus in febribus lentis confutatur. 457
Gravitas corporis in febribus non eſt certum argumentum ducendi ſanguinis. 427

H

Hippocratis imitator eſſe nequit Medicus deſtitutus Philoſophiæ moralis præceptis. 378
Hippocrates dotem primam ſapientiæ,

diæ, & Medicinæ argenti contemptum conſtituit. 384
Hippocrates non elicuit Anaxioni ſanguinem ſexto die ob delirium ſuperadditum. 478
Hippocratis dilatio expurgationis in febribus intermittentibus. 454, & ſeq.
Hiſtoria Piſtoris Monſpelienſis hydropici a Riverio curati. 404
Hollerii animadverſio de diverſa ratione curandæ pleuritidis pro diverſitate regionum. 432

I

INditia producta ab Sanctorio pro cognitione quantitatis, hanc ſingularem non deſignant. 370
Inflammationum principium diverſas habet partes, non tamen manifeſta ſigna diverſitatis. 424
Joannis Freiod admonitio de ratione curandarum febrium per purgantia. 459
Juvantium, & lædentium indicatio indiget multiplici animadverſione. 368

L

LAxantium frequens uſus in febribus continuis incommoda. 445, & ſeq.

M

MAteriæ turgentis variæ ſunt interpretationes, ſignaque incerta. 490
Medentibus nimium proclivibus ad agendum ſummatim conſideranda proponuntur. 479
Medentium fatum a Plinio indicatum, & Senecæ præceptum eiſdem ſalutare. 382
Medicamentorum nimia fiducia identidem peccatur. 393
Medico ſervandum eſt regimen ſuarum actionum, quale ſervat vir ſapiens ſuæ vitæ rationis. 475
Medico neque convenit perplexitas academica, neque vulgaris proclivitas ad agendum. 365
Medici aſſidenti graviter ægrotanti conveniens mentis ſtatus. 376
Medicorum error in curando Octavio Cæſare Auguſto demonſtrat infirmitatem ſignorum. 346
Mens a ſenſuum noxa tuta non eſt. 377
Methodus curandæ pleuritidis, ſi ab eventu facienda eſt, nulla fanciri poteſt. 437
Methodicorum ſecta magis aliis convenit cum Phyſica Epicuri. 340
Morbus nullus habet unicam certamque curationem. 468
Mos obtinuit, ut pene nihil negligentius agatur negotio reparandæ ſalutis. 381
Motus laborioſus corporis febrem antecedens non indicat uberiorem ſanguinis effuſionem. 393
Mulieris hydropicæ curatio. 405
Mulieres venæ ſectionem minore negotio, quam viri perferre ſolent. 470
Multa in certo rerum concurſu cognita aliis tradi nequeunt, qualia ſenſu percepta ſunt. 450
Multiplices patent viæ ejectioni impertini, unica reparationi deperditi. 402

N

NAturæ imitatio difficillima eſt. 415
Nobilis Patavini pleuritide laborantis hiſtoria. 434
Novitatum conquiſitio vitæ ſpatium contrahit, producit artis. 343

Oc-

O

Occaſio domina eſt eorum, quæ fato, & fortunæ tribuuntur, 374

P

Patientia æque benefica eſt ægrotis, atque Medicis. 437
Philoſophiæ ex Seneca prima promiſſio. 330
Platonis ſententia de purgatione. 442
Phlebotomiæ uſurpandæ paribus momentis exhibitis, vel omittendæ, omiſſio anteferenda eſt. 474
Plenitudo ad vires nullum exhibet argumentum phlebotomiæ in febribus. 395
Plenitudinem a ſolidi cauſſa genitam Antiqui agnovere. 399
Plethora apparens Veræ non eſt cauſſa febris, ſed effectus. 398
Pleuritica novies intra ſeptem dies detracto ſanguine octavo periit. 431
Pleuritides magnæ abeunt in apoſtema. 430
Poſteritas de cauſſis flati circuitus febrilis nihil attulit anteponendum Galeni ſilentio. 345
Principii pleuritidis notitia nequit obtineri ante incrementum, neque incrementi ante ſtatum. 406
Prudentæ lex in obſcuris ſervanda. 439
Purgatio in febribus intermittentibus deſtituitur regula innixa coctioni. 454
Purgationis uſus vetuſtior eſt, quam phlebotomiæ. 440

Q

Qualitates multæ copulantur cum craſſitudine, & tenuitate humorum non conjectabiles ex motu. 357
Quatuor conjunctiones ſignorum aſſignatæ a Freind nihil evidenter concludunt. 414, & ſeq.
Quies eſt pars præſtabilior medicæ praxeos, quam actio. 386

R

Ratio unica vitandorum errorum in medendo eſt doctus conjecturæ ſortem aſſenſum trahentis. 459
Remedia multo frequentius expectationem fallunt, quam explent. 472

S

Sanguinis effuſio ſolum directo opponitur redundantiæ. 389
Sanguinis effuſio vere peracta præſervationis gratia aliquando vehementer nocuit. 403
Sanguinis ducendi in febribus unica tantum eſt indubitata ratio, reliquæ ambiguæ. 406
Sanguinis efflovii ſpontanei in quatuor ægrotis expenſis a Freind non fuit primarius niſus naturæ ad ſalutem. 472
Sanguinis effuſi colores ejuſdem qualitates incerto denuntiant. 354
Sanctorii loci ſignorum ſumti ex antecedentibus, neceſſariis, & conſequentibus. 359
Sapientius eſt quadam neſcire, quam ſcire. 342
Saporum inefficacia ad detegendam qualitatem dominantis humoris. 350

Ser-

Servientes quæſtui amplectuntur præcepta ſedulitatem non exigentia. 379
Similitudo ventriculi diverſitate ciborum fatigati cum mente. 379
Socratis oratio in qua ſibi contradicit. 335
Sudor omnibus morbis conveniens eſt evacuatio. 422
Sydenhami methodus curandæ pleuritidis. 429
Sydenhami ratio pro copioſa ſanguinis extractione in pleuritide exagitatur. 430
Sydenhami præceptum de iteranda fidenter phlebotomia in pleuritide periculoſum eſt. 435
Sydenhami præceptum generale de curatione aſcitæ redarguitur. 464, & ſeq.

T

TRanſactio tempore revulſionis, & derivationis in pleuritide naturæ robori fidendum eſt, non phlebotomiæ. 427

V

VArietatem effectuum ab eadem cauſſa corporum diverſitas parit. 359
Vena intempeſtive reſignata plus affert detrimenti, quam levaminis tempeſtive. 406
Venæ ſectio non habet requiſitam contrarietatem cum cauſſa proxima febris. 399
Venæ ſectio eſt idonea præparare ſanguinem ad naturam bilis. 392
Venæ ſectio multum habet fortuiti, & rarius expectatione facit ad ſedandas febres. 408
Veneæ ratio pro ſecanda vena in febribus refellitur. 390
Vitium maximum eſt in ſtudiis dubitandi impatientia. 380
Una natura rerum unam tantum ſubjicere poteſt veritatem. 337

Finis Indicis.

ERRATORUM CORRECTIO.

Pag	5	*lin.* 29	principem	*lege*	princeps.
Pag.	45	*lin.* 6	Ponte	*lege*	Ponce.
Pag.	110	*lin.* 9	virolentiæ	*lege*	virulentiæ.
Pag.	155	*lin.* 14	argumento	*lege*	augmento.
Pag	221	*lin.* 23	Armenum	*lege*	Armenium.
Pag.	223	*lin.* 28	alvum	*lege*	ſolum.
Pag.	235	*lin.* 1	pernicioſiorem	*adde*	generatim conceptam.
Pag.	263	*lin.* 27	gravedens	*lege*	graveolens
Pag.	279	*lin.* 26	ablutionem	*lege*	ablationem.
Pag.	388	*lin.* 32	ex accidenti	*lege*	ut privativa.
Pag.	407	*lin.* 26	paret	*lege*	pareat.

Alia patientia benevoli Lectoris corrigenda relinquo.

SS 347506

Digitized by Google

447

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google